SYNODUS
DIŒCESANA
PRÆNESTINA.

SYNODUS DIŒCESANA

AUSPICE

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO PAPA VII.

AB EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. ALEXANDRO

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPO PRÆNESTINO

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI MATTHÆIO

ADMINISTRATORE ECCLESIÆ FERRARIENSIS

HABITA IN BASILICA PRÆNESTINA

VIII. VII. ET VI. KAL. SEPT. AN. MDCCCIV.



ROMÆ

EXCUDEBAT LAZARINIUS TYPOGRAPHUS R. C. A.

PERMISSU PRÆSIDUM.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO VII.

PONTIFICI MAXIMO

ALEXANDER EPISCOPUS PRÆNESTINUS
CARDINALIS MATTHÆIUS
ADMINISTRATOR ECCLESIÆ FERRARIENSIS.

Lætandum certe maxime mihi esse video, BEATISSIME PATER, quod, meis Te precibus humanissime annuente, Synodalia hæc decreta Tuis auspiciis in lucem liceat proferre. Cum enim Ferrariensis Eccle-

siæ, quam quidem Antistes per viginti quatuor annos præsens jam gubernaveram, Administrator deinde ex Tua voluntate, et jussu, quoad Tibi libuerit, constitutus, Prænestinam Ecclesiam Apostolica Tua auctoritate regendam acceperim; nihil profecto vel optandum magis, vel vehementius conandum mihi esse duxi, quam ut quæ pro concrediti gregis salute Te auctore perficienda curaveram, eadem Te auspice evulgarem; sic ut quidquid pro Tuo Pastorali munere in me erat profectum, id omne Tibi acceptum viderer referre.

Accedit, quod in Synodalibus hisce legibus exarandis non modo pro viribus contenderim, nihil ut plane aliud in iis constituerem, nisi quod vel probatæ consuetudini, vel æquis rationum momentis, vel Summorum Pontificum decretis, vel sacrorum Conciliorum præscripto omnino congrueret; verum etiam ipsius Prænestini populi, quem quidem unum hæ spectant, rationem habendam esse censuerim. Nimirum cum semel, atque iterum Diœcesim universam lustraverim, haud raro ea reperi, quibus dolerem, atque angerer vehementer, depravatos scilicet plurimorum mores, et nonnullorum etiam fidem periculo non omnino liberam luctuosis hisce temporibus, cum ab sanctissimæ Religionis

transfugis tantopere ea impetitur, quorum *sermo ut cancer serpit* (*). Qua ex re lacrymas sæpe cum Paulo miscens, nequaquam tamen destiti, quantum in me erat, quin a veritatis via aberrantes et arguerem, et obsecrarem, (utinam etiam in omni patientia, et doctrina !) ut oves jam jam perituras, Deo auxiliante, in justitiæ semitas, atque in ovile reducerem. Cum tamen una simul animadverterim, populum eumdem egregia sane indole præditum, tum etiam ad honestatem, pietatemque propensum Religionis studio non minimum teneri, satius certe duxi monitis magis, et suasionibus eum ad virtutem excitare, quam solo pœnarum metu, legumque vi compellere, in eam ingressus spem fore, ut lenitate comite ea facilius assequerer, quæ sola severitate vix, aut fortasse omnino non fuissem assecuturus. Quod quidem meum consilium si, prout opinor, non abs re erit futurum; tum tamen multo magis ex voto cessurum esse omni jure confidere posse reor, cum hæ Synodales leges Tuo nomine sint insignitæ. Etenim qui populus, me hortante, et suadente, eas libenter audivit, quis non intelligat quo alacriori sane animo eas ipsas sit excepturus, atque ad earum normam suos mores studiosius composi-

(*) *II. Timoth. cap. 2. v. 17.*

turus, ubi perspexerit nequaquam indignas videri, quæ Tuo patrocinio donentur? Quid enim, quæso, est, quod cum ad dignitatem ornatius, tum præsertim ad tutelam validius, ad auctoritatem gravius possit accedere?

Utinam vero quæ mihi recte, et ex ordine in hoc Synodali conventu statuenda proposui, hæc et perfecerim! Id porro Tuum est, BEATISSIME PATER, pro Tua cum sapientia, tum præsertim auctoritate judicare. Tu enim vicariam CHRISTI in terris gerens operam in ea PETRI Cathedra nunc sedes, unde et in singulas quasque Christiani orbis Ecclesias venerandæ communionis jura dimanant, atque ea prodeunt oracula, quæ omnes sollicite exquirant, religiose venerentur, custodiant. *Quemadmodum* igitur *nulli dignius possum, ita nulli libentius* opus hoc, *quam Tuæ destino sapientiæ, quatenus si quid in eo corrigendum est, Tua censura castigetur*. Quæ enim ANSELMUS olim URBANO II. Pontifici (*), hæc et ego Tibi, ut si quid forte exciderit, (excidisse autem potest,) quod Tibi minus probandum esse videatur, id omne pro ea, qua polles, auctoritate vel emendes, vel immutes, vel etiam deleas omnino.

(*) *Libr. de fid. Trinit. et de Incarnat. Verbi in præfat.*


Haud dubito , BEATISSIME PATER , quin pro singulari Tua humanitate, morumque suavitate, qua omnium animos in Te rapis, hanc , qualiscumque sit, comiter excipias meæ voluntatis, obsequentissimique animi significationem in PONTIFICEM MAXIMUM , qui summa semper benignitate , ac benevolentia me complexus est . Excipias tamen , precor, una simul ut observantiæ, et obedientiæ haud dubium argumentum , quæ vel Pastori cuilibet ei est exhibenda , cui CHRISTUS Dominus non *agnos* modo , sed etiam *oves pascendas* tradidit , quemque *elegit*, *per os ejus audire gentes verbum Evangelii* , *et credere* (*) . Jam porro illud unum mihi agendum restat , ut votis omnibus , ac precibus DEUM adprecer , ut qui arcano divinæ providentiæ consilio Te in amplissimo isto dignitatis gradu collocavit, Tibique totum , qua late patet, Catholicum orbem gubernandum tradidit , DEUS ipse non modo maximo rei Christianæ commodo Te diutissime sospitem servet, verum etiam adjuvet , roboret , detque *capiti Tuo augmenta gratiarum* , quo magis magisque et *Fratres confirmes* , et devias oves in CHRISTI ovile deducas , et concreditum gregem ad

(*) *Joan. cap.* 21. *v.*16. *et* 17. *et Actor. cap.*15. *v.*7.

legem vitæ, ac disciplinæ impellas. Quæ cum ex animo precor, tum vero ad sanctissimos Tuos pedes provolutus Apostolicam Benedictionem mihi, gregique meo universo quam vehementissime imploro, atque exposco.

✠ XI ✠

INDICTIO SYNODI.



ALEXANDER

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPUS PRÆNESTINUS

S. R. E. CARDINALIS MATTHÆIUS

ADMINISTRATOR ECCLESIÆ FERRARIENSIS

Dilecto Clero, et Populo universo Prænestinæ Diœceseos

Salutem, et veram felicitatem a Domino.

Officium sane præcipuum, et formidandum Pastorum munus est, non solum singula quæque ad instaurandam, et confirmandam Cleri disciplinam, atque ad populi eorum curæ concrediti emendationem curandam spectantia diligenter, accurateque providere, ne iis exprobrari umquam possit, quod Deus zelotes, et Deus ultionis dixit: *Speculatores cæci*; verum etiam conari quam maxime, ut Christiana pietas in universo commisso sibi grege et conservetur, et in dies augescat, præsertim vero in iis, qui se divino cultui dediderunt, sic ut morum integritas, vitæ innocentia, peculiaris in Deum fervor, et religio in ipsis præ cæteris enitere videantur. *In hos* enim, prout Tridentina Synodus tam sapienter, quam vere nos admonet (1), *tamquam in speculum* Fideles *reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur.* Hinc est, quod sacrorum Canonum, præcipue Tridentini

(1) *Sess. XXII. cap. 1. de Reformat.*

Concilii præscripto sancitum est, ut non ad conservandam modo, atque augendam Cleri disciplinam, sed etiam ad amovendum, si quid forte mali in concredito grege irrepserit, Diœcesanæ Synodi ab Pastoribus congregentur, ubi Cleri conventu ea statuantur decreta, quæ vel ad evellenda vitia, vel ad pietatem fovendam, vel ad Dei cultum amplificandum, vel ad Religionem magis magisque in animis defigendam cum in Clero, tum in populo quam maxime conducant.

Qua quidem ex re cum ab Prædecessore nostro tum in Ferrariensi, tum in Prænestina Diœcesi THOMA S. R. E. Cardinali RUFO, ab anno videlicet MDCCXXIX. ad hanc diem nulla amplius Diœcesana Synodus in Prænestina Diœcesi sit habita; Nos et veteribus Ecclesiæ Canonibus, et Concilii Tridentini decretis, et recentioribus Summorum Pontificum Constitutionibus inhærere, ac parere cum omnino velimus, lustrata jam bis in sacra Visitatione hac nostra Diœcesi universa, primam nostram Diœcesanam Synodum nunc habendam statuimus. Quamquam enim in commemorata lustratione non levia sane vel Cleri disciplinæ, vel populi pietatis, ac religionis argumenta perspeximus, quibus quidem lætari, et in Domino exultare, unaque simul debitas ei gratias persæpe agere, ut par erat, nequaquam omisimus; cum tamen experientia satis doceamur, in vineis etiam electis tribulos quandoque, et spinas suboriri, et in agro Dominico inimicum hominem non admodum raro superseminare zizania, Pastoralis nostri officii principem partem esse censuimus, hoc Diœcesanæ Synodi congregandæ consilium haud diutius differre, ut vinea hæc, quam a Domino excolendam accepimus, vinea electa semper perstet, ut ager Nobis custodiendus traditus is omnino sit, ubi una cum tritico numquam zizania concrescant, ut grex nostræ fidei creditus ad salutaria semper pascua deducatur.

His igitur de causis invocato precibus omnibus primum quidem DEI OPTIMI MAXIMI auxilio, deinde vero præsentissimo DEIPARÆ semper Virginis MARIÆ patrocinio, cui nostra hæc Diœcesis peculiari sane ratione devotam se esse profitetur ob celebrem ejus Imaginem MATRIS BONI CONSILII, quæ in oppido Genazani religiosissime colitur, tum etiam imploratis suffragiis inclyti Martyris Sancti AGAPITI, cujus titulo Cathedralis Ecclesia, tutela vero Civitas, ac Diœcesis universa merito gloriantur, nostris hisce Literis primam nostram Diœcesanam Synodum indicimus inchoandam summo mane VIII. Kal. Septembr. hujus Anni MDCCCIV. die sacra Sancto BARTHOLOMÆO Apostolo, cujus proinde opem in hoc Synodali negotio Nobis petentibus haud defuturam confidimus.

Ad hanc porro Diœcesanam nostram Synodum venire teneantur, eique adesse omnes, et singuli obtinentes Dignitates, et Canonicatus in Ecclesia Cathedrali; omnes, et singuli Parochi tum sæculares, tum regulares Civitatis, et Diœceseos; bini saltem Canonici ex singulis Collegiatis in nostra Diœcesi canonice erectis ab Collegiatis ipsis eligendi; omnes denique, qui ex jure, et consuetudine nostræ Diœcesis debent interesse. Hi vero omnes tum in itinere, tum in Civitate, atque in ipsa Synodo modestiam, compositosque mores præ se ferant, ut non minus ore, incessu, habitu, quam vita, et moribus laicos homines ad virtutem excitent, inflamment. At quibus sacris vestibus eorum quisque in Synodalem conventum debeat convenire, tum qua ratione cavendum, ne quid detrimenti, dum Pastor quisque abest, grex patiatur, quæque alia sint præstanda, cum propius aderit præstitutus Synodo dies, aliis nostris Literis significabimus.

Noverint interea Fideles, quotquot Nobis subsunt, Synodale negotium eo totum spectare, ut et omnipotenti Deo augeatur in dies gloria, et animæ Nobis

concreditæ maxima inde, et perennia commoda referant. Qua ex re singulos quosque paterna sane in Domino caritate exhortamur, ut Nobiscum preces Deo fundere ne desinant, quibus et Nobis, et omnibus, qui Nobiscum convenient ad solemnem hanc Synodalium rerum tractationem, ejus auxilium, sine quo nihil est validum, implorent, ut sedium suarum mittat assistricem sapientiam, quæ nobiscum sit, et nobiscum laboret. Omnes idcirco, et singuli Parochi in Civitate, in nostra Cathedrali, in Diœcesi, in Parœciis omnibus, juxta præscriptum Pontificalis Romani de publicatione Festorum mobilium, teneantur in proximo maxime solemni Epiphaniæ die annuntiare diem, quo Diœcesanam hanc Synodum habendam statuimus, tum etiam nostras hasce Literas vernaculo sermone explicare, præsertim quod attinet ad rationum momenta, quibus ab sacris Canonibus, et ab Tridentino Concilio Diœcesanæ Synodi præscriptæ sunt, ut Fideles omnes nobiscum conveniant in precibus Deo fundendis, sic ut, Deo semper juvante, omnia feliciter cedant, ac perficiantur. Volumus præterea, ut die Dominico bis saltem in mense post publicationem præsentium tum in nostra Cathedrali, tum in Collegiatis post Missam Conventualem, in singulis vero Parœciis post Parochialem recitentur una cum populo Litaniæ majores cum versiculis, et orationibus, addita oratione de Spiritu Sancto; utque etiam in singulis quibusque Missis et solemnibus, et privatis singulis Feriis v., dummodo non sit duplex primæ, vel secundæ classis, addatur eadem oratio de Spiritu Sancto. Significamus porro omnibus, et singulis Fidelibus utriusque sexus, quod qui ex ipsis vere pœnitentes, et confessi, et sacra Communione refecti nostram Cathedralem Ecclesiam devote visitaverint eo die, quo Synodus inchoabitur, et omnibus etiam, ac singulis diebus, quibus Synodus eadem habebitur, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, atque sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias Deo preces fuderint, plenariam, semel tamen, omnium peccatorum suorum Indulgentiam consequentur, prout ex Literis in forma Brevis Smi Domini Nostri Pii Papæ VII. dat. Venetiis e Monasterio S. Georgii Majoris III. Id. April. An. MDCCC.

Postremo Jubemus, hoc nostrum Edictum et Cathedralis nostræ Ecclesiæ, et omnium Parœciarum tum in Civitate, tum in Diœcesi valvis publice affigi; cumque affixum sic fuerit, eam habere vim volumus; ac si eorum singulis, quorum interest, allatum, ac denuntiatum fuerit.

Dat. Romæ extra Portam Majorem Kal. Januariis An. MDCCCIV.

A. Episcopus Prænestinus Card. Matthæius
Administrator Ecclesiæ Ferrariensis.

XV

LITERÆ PRÆMONITIONUM

SEU CONFIRMATRICES

INDICTIONIS SYNODI.

ALEXANDER

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPUS PRÆNESTINUS

S. R. E. CARDINALIS MATTHÆIUS

ADMINISTRATOR ECCLESIÆ FERRARIENSIS

Clero, et Populo Civitatis, et Diœceseos Prænestinæ

Salutem, et veram felicitatem a Domino.

Jam a Kalendis Januariis hujusce anni, ut et mores in melius corrigantur, et Christiana pietas, atque Ecclesiastica disciplina in nostra Diœcesi et augeantur, et magis magisque confirmentur, Diœcesanam Synodum in nostra Cathedrali Ecclesia VIII. Kal. Septembr. proximi, prout ex nostris Indictionis Literis, celebrandam indiximus. At quibus sacris vestibus ad Synodalem conventum quisque debeat convenire, tum qua ratione cavendum, ne quid detrimenti, dum Pastor quisque abest, grex patiatur, quæque alia sint præstanda, cum propius adesset præstitutus Synodo dies, aliis nostris Literis edicturos Nos esse significavimus. Hoc porro est, quod modo agimus; atque idcirco omnes, et singulos, qui dicto Synodali conventui ex jure, vel consuetudine, prout in commemoratis nostris Literis innuimus, interesse debent, et Vicarios nostros foraneos, nunc iterum requirimus, convocamus, in Domino monemus, ac sub pœnis ab sacris Canonibus statutis, aliisque arbitrio nostro infligendis, nisi legitimam excusationem habeant, vel licentiam a Nobis obtinuerint, iisdem ipsis in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus, ut dicto die, videlicet VIII.Kal. Septembr., aliisque duobus proxime sequentibus cum habitu, et tonsura Ordini proprio convenientibus, veste talari, nitidis superpelliceis, et bireto, Canonici vero Collegiatarum cum suis insignibus choralibus, quæ quisque ab Apostolica Sede obtinuerit, et Parochi cum stolis rubei coloris summo mane in eadem Ecclesia Cathedrali parati adsint, ut DEI OMNIPOTENTIS ope suffulti, ac Beatissimæ semper Virginis MARIÆ, nec non inclyti Martyris Sancti AGAPITI Civitatis, ac Diœceseos nostræ Patroni, SANCTORUMQUE omnium meritis, et intercessionibus adjuti, communi studio, et consilio, quæ ad divini cultus incrementum, ad animarum salutem, ad Cleri disciplinam, ad morum emendationem, et gregis universi regimen pro tempore pertinent, statuere in Domino valeamus.

Ne vero animarum salus, dum Parochi absunt, detrimentum aliquod patiatur, in qualibet Parœcia Sacerdos aliquis, a Nobis ad utriusque sexus Fidelium Confessiones excipiendas approbatus, in ejus locum sufficiatur, qui ibidem per totum Synodalis conventus tempus Sacramenta administret. Interim Parochi, dum

ad Synodum veniunt, catalogum, et nomina eorum, qui in Paschate sacram Communionem nequaquam perceperunt, nec non excommunicatorum, blasphemorum, conjugum divisorum, publicorum concubinariorum, si qui sint, et similium personarum, quæ aliis scandalum pariunt, tum quoque abusus evellendos ad Nos deferant.

Omnes tum in itinere, tum in Civitate, atque in ipsa Synodo vita, moribus, ore, incessu, habitu modestiam, pietatem, ac religionem ostendant, ut aliis se præbeant exemplum bonorum operum, et populum, qui eos contemplatur, ad virtutem excitent, atque inflamment.

Nemo ad cauponas, seu tabernas divertat; sed honestum sibi perquirat hospitium, ubi sic modeste se gerat, ut nemini det ullam offensionem.

Prima Synodi die Sacerdotes, si qui forte non possint celebrare, et ii, qui Sacerdotio nondum sunt insigniti, jejuni, rite, et recte dispositi in Missa Pontificali sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum recipient.

Suum cuique tum in Processionibus incedendi, tum in Synodo sedendi locum cæremoniarum Magistri assignabunt, ad quorum nutum singuli quique vel sedebunt, vel stabunt, vel in genua procumbent, vel procedent.

Altum vero silentium omnes custodient, et quæ de suggestu legentur, attente audient, nec privatis collocutionibus, aut contentionibus ullo modo obstrepent.

Jam ut vota nostra dignum habeant, Deo opitulante, prosperumque progressum, ac felicem, et salutarem exitum, mandamus, ac præcipimus, ut tribus proximis diebus Dominicis ante diem Synodi, videlicet Nonis, et Pridie Idus Augusti, et XIV. Kal. Septembr. in Ecclesia nostra Cathedrali, in Collegiatis, et Parœciis post Missam majorem Litaniæ SANCTORUM una cum adjectis precibus a Sacerdote, et ab adstantibus pie, ac devote recitentur; utque Sacerdotes omnes quotidie in Missa a dicta die usque ad exitum Synodi, exceptis diebus primæ, et secundæ classis, orationem addant de Spiritu Sancto. Omnibus vero Christifidelibus utriusque sexus, qui prædictis diebus Litaniarum precibus intersint, Deumque pro felici Synodi exitu orent, Indulgentiam centum dierum singulis vicibus lucrandam in forma Ecclesiæ consueta peramanter impertimur.

Meminerint autem omnes, et singuli utriusque sexus Christifideles, qui vere pœnitentes, confessi, ac sacra Communione refecti nostram Cathedralem Ecclesiam die, qua Synodus inchoabitur, ac singulis etiam diebus, quibus eadem habebitur, devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias Deo preces fuderint, plenariam, semel tamen horum dierum spatio, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, ac remissionem fore consecuturos, prout Sanctissimus Dominus Noster PIUS Papa VII. peculiaribus suis Literis datis Venetiis e Monasterio Sancti Georgii Majoris III. Id. April. An. MDCCC. misericorditer in Domino impertivit.

Volumus porro, ut hæ edictales nostræ Literæ præmonitionum, seu indictionis Synodi confirmatrices Cathedralis nostræ, Collegiatarum, ac Parochialium Ecclesiarum valvis affixæ perinde omnes, ad quos pertinet, afficiant, ac si essent singulis quibusque exhibitæ.

Dat. Romæ extra Portam Majorem XV. Kal. Julias An. MDCCCIV.

A. EPISCOPUS PRÆNESTINUS CARD. MATTHÆIUS
ADMINISTRATOR ECCLESIÆ FERRARIENSIS.

ORATIO HABITA

IN PRIMA SYNODI SESSIONE

AB EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

EPISCOPO.

Optatus tandem, et faustus illuxit dies, *Venerabiles Fratres, dilectissimi in Christo Filii*, quo Nobis, Deo adjuvante, datum est, non solum vos omnes præsentes videre, et os ad os loqui, qui estis corona, et gaudium nostrum, sed etiam in hac Synodali actione congregatos intueri ad ea constabilienda, quæ Dei gloriam augere, Cleri disciplinam promovere, et populi pietatem, ac devotionem valeant fovere. Quid enim optatius, quid jucundius sacro animarum Pastori contingere umquam potest, quam in toto commisso sibi grege, sive eorum mores spectentur, qui in sortem Domini vocati sunt, sive Laicorum inspiciantur instituta, tam recte omnia procedere, ut Religio, pietas in Deum, Templorum frequentia, ac virtutum omnium exercitium effulgere videantur? Tum enimvero dicere cum Apostolo Joanne poterit (1): *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut filios meos videam ambulare in Christo Jesu*. Nos itaque, Fratres carissimi, sacrorum Canonum, et præsertim Tridentini Concilii jussa sectantes, idcirco in Domino hodie congregati, atque in unum collecti sumus, ut, Deo opitulante, cujus opem enixis, et etiam publicis indictis precibus postulavimus, collatis consiliis, et opere, nobis contingat in hac solemni Synodalium rerum tractatione ea statuere, quæ vere tum ad Ecclesiasticas leges consolidandas, vel stabiliendas, tum ad Laicorum mores componendos, atque ad divinum cultum amplificandum, Deique gloriam promovendam facile possint conducere.

Neque hoc magnum opus in hoc Synodico conventu peragendum quisquam leve, aut inutile vel secum reputet, vel audeat appellare. Sunt enim nonnulli, qui hosce conventus tamquam externam quamdam, neque admodum utilem consuetudinem existimant. Sunt qui latas leges humano respicientes obtutu, *sicut servi Dominis carnalibus in timore, et tremore obedire sibi proponunt, non in simplicitate cordis, ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo* (2). Sunt

(1) *Epist.III. vers.4.*

(2) *Ephes. cap.6.v.5.*

denique, qui alacres bona cum voluntate, et animi ardore, ac Dei caritate ducti Synodicis hisce conventibus intersunt; sed postmodum a caritate prima excidentes, initique consilii fere obliti ab pristino fervore quantocius defervescunt, ac miserando torpore, et languore ab optimis institutis declinant. Ne igitur labor noster in Domino inanis sit, ne fructu careat omnis nostra sollicitudo, audite verba, quæ Pastor animarum vestrarum vobis loquitur, auribus percipite, et corde retinete quam magnum opus aggredimur, et hujus magnitudinis rationes perpendite, et delibate. Non enim hic nobis vel de temporali lucro, vel de fugacibus mundi hujus divitiis, vel de honoribus adipiscendis, vel de variis muneribus acquirendis, sed de nostra, vel commissi nobis populi æterna salute procuranda, et habenda per Ecclesiasticas leges agendum omnino erit. Quis autem negotium hocce leve audeat vel putare, vel appellare, cum de eo scriptum sit (1): *Hoc est omnis homo?* Pater ipse misericordiarum, et Deus totius consolationis repleat nos divino lumine, ut in nomine ejus collecti videre possimus, quæ agenda sunt, et quæ recta sunt, agere valeamus. Spiritus Sancti gratia, quæ visibiliter in Apostolorum cœtum descendit, invisibiliter illuminet sensus, et corda nostra. Divites spiritu per gratiam ejus efficiamur in Christo Jesu, et animæ nostræ jam Deo sacræ inebrientur divina pinguedine, sicut scriptum est per Jeremiam Prophetam (2): *Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus. O magna, et inclyta Dei instrumenta, Sacerdotes,* (verbis utar S. Caroli Borromæi (3),) *a quibus omnis pendet populorum beatitudo, qui si pingues sint, erunt itidem populi pingues, et secus, si illi inanes erunt, et vacui, magnum populis universis imminebit paupertatis hujus periculum. Faxit Deus Optimus Maximus, ut ita calore repleamur, ut cæteris etiam calefaciendis, et succendendis apti reddamur; ita abundet in nobis ejus gratia, ut cæteris etiam de ea copiose communicemus.*

Huc igitur tota nostra Synodica congregatio contendit, ut integritatis fidei, obedientiæ Ecclesiæ debitæ, Religionis cultus, Ecclesiasticæ disciplinæ retinendæ, firmandæque ratio perpendatur; ut si quid infirmum sit vel in nobis, vel in populis nobis commissis, consolidemus; si quid confractum, alligemus; si quid perditum, sive abjectum, vel reducamus, vel erigamus. Si autem in populo infirma consolidare, confracta alligare, et perdita, sive abjecta, si quæ sint,

(1) *Ecclesiast. cap. 12. v. 13.*
(2) *Cap. 31. v. 14.*
(3) *Orat. prim. in Synod. Diœces. XI.*

reducere, vel erigere debemus, prout metuendi officii nostri ratio postulat, necesse est, ut præ omnibus persuasum nobis sit, judicium a domo Dei incipere oportere; scilicet, ut priusquam ad populos oculos convertamus, in nobismetipsis ea, quæ corrigenda, et reformanda sunt, et corrigamus, et reformemus. Nos enim, probe scitis, constituti sumus in domo Dei, sicut luminaria, quæ semper lucere debent in medió nationis pravæ, et perversæ. Nobis præ cæteris, Fratres dilectissimi, conclamatum fuit (1): *Luceat lux vestra coram hominibus: non potest civitas abscondi supra montem posita*. Neque lucerna corporis nostri potest stare sub modio, sed necesse est, ut super candelabrum luceat, et bonis moribus splendeat omnibus, qui in domo Dei sunt. Oportet idcirco, ut in nobis abundet totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritualis observantia disciplinæ. Nostri mores tum ad Divina, tum ad Ecclesiastica præcepta ita compositi esse debent, ut nostris exemplis imitationem sanctam plebs acquirat, et Fideles, qui in nos tamquam in speculum oculos conjiciunt, argumenta pietatis, et sanctitatis imitanda excipere a nobis valeant. Ait enim S. Hilarius (2): *Quisnam est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? . . . Qui dicto audiens, et præceptis obediens erit... hic gloriam a Domino consequetur, idest in Dei gloria collocabitur*. Caveamus igitur, ne nos, qui plus cæteris Fidelibus in hoc mundo accepimus, et in altiori, et excellentiori loco constituti sumus, de negligentia, vel oscitantia in hisce Synodicis legibus, quæ vel decernendæ, vel confirmandæ erunt, redargui possimus. Caveamus, ne uno dumtaxat obsequio, et servili quodam pœnarum metu hæc decreta vel amplectenda, vel custodienda, vel observanda nobis proponamus, ut non inter mercenarios, sed inter carissimos filios adscribi mereamur. Induamur itaque nos non spiritu, qui ex mundo est, sed spiritu filiorum Dei, qui nos idoneos fecit Ministros novi Testamenti, servientes non litera, sed spiritu; præceptis nos submittentes non timore pœnæ, sed amore justitiæ, et nosmetipsos Deo, et Ecclesiæ offerentes mente prompta, atque devota, sicut decet Dei Ministros, et dispensatores mysteriorum Dei.

Audite ergo, (verba sunt Ambrosii (3),) *audite nos, stirps Levitica, genus Sacerdotale, propago sanctificata, duces, ac rectores gregis Christi, audite nos rogantes pariter, et verentes, ut cum honoris*

(1) *Matth. cap. 5. v. 16.*
(2) *Comment. in Matth. cap. 27.*
(3) *De dignit. Sacerdot. cap. 2.*

prærogativam monstramus, congrua etiam merita requiramus. Qui enim se divino ministerio dedicarunt, ita Ecclesiasticas leges, et præcepta accurate debent adimplere, *vitam, moresque suos ita componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant . . . . ut eorum actiones cunctis afferant venerationem* (1). Accipite, et memoria retinete veneranda verba hæc a Patribus Concilii Tridentini prolata, dum ipsi Spiritu Sancto adstante Summorum Pontificum, sacrorum Canonum, et Conciliorum sacras sanctiones in usum revocari, et ab omnibus accurate adimpleri præceperunt.

Agite nunc, Fratres dilectissimi. Non sat est, ut hasce Synodicas leges et alacri mente complectamini, et lubenti animo adimplendas suscipiatis. Nostri enim formidandi muneris ratio postulat, ut pari diligentia, studio, et zelo curemus, ut etiam a cæteris Fidelibus ea omnia, quæ ipsos spectant, mandata, et præcepta observentur. Cum enim hominum natura ad malum prona sit, necesse est, ut per vigentes leges et a malis, vitiisque hujus sæculi abstrahatur, et ad bonum amplectendum excitetur, ac dirigatur. Itaque Pontificibus Maximis, sapientissimisque Patribus visum est, ut Sacerdotes Domini, et omnes, qui in sortem Domini sunt vocati, non solum custodes legum constituantur, et sint veluti specula, in quæ Fideles oculos conjiciant, verum etiam veluti quædam instrumenta habeantur, quibus sanctissimæ quotquot sunt sacrorum Canonum, Pontificum, et Synodorum leges confirmentur ad populi mores fingendos, atque coercendos; vel si quæ ex ipsis lapsu temporis sive obliteratæ, sive neglectæ, per eosdem ad pristinam vim, dignitatem, integritatemque revocentur. Quis igitur hæc omnia perficiat, nisi qui in adjutorium Episcoporum in Catholica Ecclesia electi sunt? qui in diversis Ordinibus constituti, quasi ex multis, et alternæ dignitatis membris unum Christi corpus efficiunt? qui denique omnium virtutum formam ostendentes exemplo præire, admonitione debent Fideles confirmare (2)?

Quod utique eveniet, si nobis perspectum sit, non ad temporale lucrum, neque ad otiosam traducendam vitam, sed ad animarum salutem omni vi, et conatu curandam nos esse vocatos, et sacris ministeriis mancipatos. Idcirco, Fratres, *prætulit nos Deus*, (ait auctor inter opera Bernardi (3),) *Regibus, et Imperatoribus, ideo prætulit ordinem nostrum omnibus ordinibus, immo, ut altius loquar, prætulit*

(1) *Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 1. de Reform.*

(2) *Pont. Rom. in Ord. Presb.*

(3) *Ad Pastores in Synod. congreg. n. 1.*

Angelis, *et Archangelis*, *Thronis*, *et Dominationibus*, ut ex alto, in quo positi sumus loco non cessemus nocte, et die totis viribus annuntiare legem Domini, et leges ejus sponsæ Ecclesiæ, ut in Fidelium cordibus defigantur. Oportet itaque nos, dilectissimi, zelo domus, et gloriæ Dei, et animarum salutis incensos fortiter conclamare, et altissimas emittere voces, et omni cura incumbere, ut scandala tollantur, ut fervor antiquus erga divina reviviscat, ut fidelis populus frequens conveniat ad sacram Synaxim, ad Pastorales conciones, ad Ecclesiæ functiones, et sollicitus accedat, et perseveret in addiscendis Catholicæ Religionis mysteriis, ac præceptis, ne nos in die illa magna, et amara valde ab æterno judice iis vocibus redarguamur: *Canes muti*, *non valentes latrare*, neque vigiles esse in domo Dei; et ne quis nostrum non boni Pastoris nomine, qui laboribus non parcens, etiam propria voce, et opera errantem ovem ad ovile suum revocat, sed vilis mercenarii, cui de ovibus nulla cura, tunc se audiat nuncupari. Atque eo etiam magis hisce operam obnixe dare debemus, quia in infelicissimis Ecclesiæ temporibus versamur, quibus non modo in Christiano populo caritas refrigescit, sed ipsa etiam fides tepescit, ita ut fere mortuam non sine lacrymis conspicere in multis debeamus. Nonne enim fides tepescit, aut pene mortua est, dum conspicimus magis diligi tenebras, quam lucem? Cum voluptatibus hujus sæculi allici homines ad quærenda, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi perspicimus, et a via salutis errantes huic sæculo nequam conformari, et pravis ejus consuetudinibus, fallacibus divitiis, et insipientibus vanitatibus inhærentes, ut sæculi amicos, sic Dei inimicos constitui? Quid vero nobis modo agendum? Num remedio aliquo tantis malis occurrendum? Utique, dilectissimi Fratres, et quam maxime occurrendum. Ut enim Unigenitus, qui est in sinu Patris, dum de cælo descendit ad terram, et prædicatione scilicet, et voce, et conversatione sua, idest exemplo, vera sua luce illuminans mundum persuasit hominibus contemptum mundi, et divinæ legis observantiam; ita et nos, qui in Sacerdotali officio constituti tamquam Vicarii Christi, ut ait Bernardus, et Pastores sumus animarum, supremum Pastorem, et Caput nostrum imitari debemus. Nos populos ad rectum vitæ cursum tenendum voce instruere, neque exemplo destruere ea, quæ docuimus, debemus. Ut ille in terris visus, et cum hominibus est conversatus in omni humilitate, et sanctitate; ita et nos conversari necesse est in hoc sæculo, sancte, et pie vivendo. Quod ille dissuasit, dissuadere, quod persuasit, verbo, et exemplo nos pariter persuadere debemus. Si enim aliter egerimus, quomodo nos cum commisso

populo ea via, qua Christus ambulavit, ambulabimus? Sed proh causa doloris, et fletus magni! Multi ex nobis, etsi sacris ministeriis addicti, non ambulant certe, prout suæ sunt partes, neque populo Dei viam ostendunt, neque sanctas leges servandas curant; immo inimicis Crucis Christi, (quod cum Paulo flens dico,) se sociant, et cohærent.

Qua ex re sancta Mater Ecclesia ingemiscere debet, tamquam in acerrima persecutione constituta, et intime cruciata perditionem filiorum suorum prospiciens, quos in Christo genuit, et enutrivit. Alias enim furentium persecutorum insaniam crudeliter passa est in nece Martyrum; sed sanguis Martyrum semen fuit Christianorum, ut ait Tertullianus, et ex ipso sanguine ingenti gaudio prospexit incrementum quam maximum fidem, et Religionem accepisse, auctamque in dies credentium multitudinem. Bellum dein infensius sustinuit hæreticorum, et schismaticorum telis oppugnata; sed supernæ veritatis lumine illustrata versutias detexit, et, adjuvante Deo, gloriosos de illis triumphos reportavit. Longe tamen hodie gravior, et amarior est, quam ut credi possit, persecutio sanctæ Matris Ecclesiæ, et talis, qualis certe ab initio non fuit. Hodie namque clamare cogitur, tamquam vidua mater suorum filiorum necem plorans: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*. Pacem forte ab extraneis saltem exterius habet, sed non plane a filiis, et domesticis suis interius, qui eam et depravatis moribus, et maternæ ejusdem vocis contemptu conturbant, dilaniant, et vehementer excruciant. Quid enim sunt Synodales, et omnes Ecclesiæ leges, quæ passim ab iisdem Ecclesiæ filiis, et carioribus contemnuntur, nisi quædam benevolæ ejusdem Matris voces? *Olim prædictum est*, (ait, Fratres carissimi, mox commemoratus auctor inter opera Bernardi (1), qui de nostris potius, quam de suis temporibus prophetico spiritu loqui videbatur,) *olim prædictum est, et nunc tempus impletionis advenit*: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. *Amara prius in nece Martyrum*; *amarior post in conflictu hæreticorum*; *amarissima nunc in moribus domesticorum*. *Intestina, et insanabilis est plaga Ecclesiæ, et ideo in pace amaritudo mea amarissima*. *Sed in qua pace? Pax est, et non est pax. Pax a paganis, et ab hæreticis, sed non profecto a filiis*. *Vox plangentis in tempore*: Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me; *spreverunt, et invaluerunt a turpi vita, a turpi quæstu, a turpi commercio, a negotio perambulante in tenebris*.

(1) *Ad Clerum in Concil. Rhemens. congreg.n.5.*

Quæ cum ita sint, quid, quæso, quid nos in tanta Ecclesiæ calamitate? Inutiliter ne ergo Ecclesiam, quæ pro unoquoque nostrum tamquam vidua mater pro unico filio, ait Ambrosius, dolet, et plorat, plorare, et torqueri patiemur? Annon potius totis viribus conabimur efficere, ut dilecti filii, quos in Christo genuit, in Christo, in ejus nempe semitis nunc ambulent; ita ut in die justi, et æterni judicii Dei in viros perfectos, in mensuram ætatis plenitudinis Christi conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto pleni resurgere possint? Nihil profecto Deo gratius agemus, quam si Filii sui efficiamur coadjutores; nihil Christo delectabilius, quam si redemptionis copiosum fructum servemus; nihil sanctæ Matri Ecclesiæ jucundius, quam si filios suos in sanctis suis legibus immaculatos, auxiliante Dei gratia, custodiamus, et inoffenso pede per mandatorum semitam in salutis portum perducamus. *Sic denique Infernum expoliabimus, Dæmonem prosternemus*, (ajebat Sanctus Carolus ad Clerum in Synodo congregatum (1),) *peccata eliminabimus, Paradisum aperiemus, Angelos lætificabimus, Trinitatem glorificabimus, et æternas nobis, ac immarcescibiles coronas comparabimus*.

Sic igitur laboremus, sicuti boni milites Christi, ut prius a nobis, deinde a populis tum Divina, tum Ecclesiastica præcepta, quæ per hanc Synodum firmata erunt, accurate observentur. Sic nos probemus, ut operarios inconfusibiles, non cessantes clamare die, ac nocte coram Deo enixis precibus, et coram populo verbo, et exemplo, dilectissimi Fratres; et merces dabitur operi nostro, ait Dominus, et mensura pro labore. Quæ vero merces? et quæ mensura? Merces copiosa, et mensura bona, et conferta, et coagitata, et supereffluens dabitur in sinum nostrum (2). Pro levi nimirum, et momentaneo labore æternum gloriæ pondus; pro fideli, et brevissimo obsequio dabitur ingredi in illam requiem, intrare in gaudium Domini nostri. Quam magna domus Israel! quam pulchra tabernacula Jacob! Beati, qui habitant in domo tua, Deus: in lumine tuo videbunt lumen, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (3). Fieri ne potest, dilectissimi Fratres, ut harum rerum meditatione animus noster non exardescat, suamque quisque imbecillitatem, et infirmitatem quasi erigi, ac confirmari non sentiat? Si enim Moyses, teste Paulo Apostolo (4), in remunerationem aspiciens, majores divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum improperium Christi; si David inclinavit cor suum ad fa-

(1) *Orat. Jert. Syn. cit.*
(2) *Luc. cap. 6. v. 38.*
(3) *Psal. 35. v. 9.*
(4) *Hebr. cap. 11. v. 26.*

ciendas justificationes propter retributionem (1); si antiquiores illi nostri Patres, sanctissimi Præsules, et Sacerdotes sancti zelo Dei, et animarum inflammati tot laborum, et ærumnarum genera sustinuerunt non acceptis hic retributionibus, sed eas a longe aspicientes; cur nos iisdem propositis præmiis, eadem laborum nostrorum objecta mercede, ea patienter, libenterque non sustinebimus, si quæ ferenda in custodiendis, et servandis Dei, atque Ecclesiæ legibus, in populis nostræ fidei commissis ad suave Christi jugum formandis? Nonne eo majori exprobratione, et pœna digni nos reperiemur, quo longe quidem leviora ea sunt, quæ nobis agenda, ac toleranda proponuntur?

Exposuimus vobis, Venerabiles Fratres, et dilectissimi filii, hujus nostræ Synodi propositum. Exposuimus, qua mente vos interesse, quaque animi dispositione Synodicas leges amplecti, exequi, et ut populus eas exequatur, curare debeatis. Restat nunc, ut omnes nos oculos levemus in montes, unde veniet auxilium nobis. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; Deus ille, qui spei, qui Deus est totius consolationis, ipse in spem nos erigit, ut totum hoc Synodale negotium, quod in ejus nomine agendum suscepimus, ejus ope perficiatur, et solidetur. Ipse etiam, a quo dona cuncta descendunt, infirmitati quoque nostræ vires præbebit, ut in medio semitarum judicii, et viam justitiæ ambulemus.

Adsis, o divine Spiritus, adsis nobis in nomine tuo collectis, et dignare illabi cordibus nostris. Lumine tuæ claritatis illustra, qui ad Apostolos missus es, ut doceres eos omnem veritatem. Fac, ut etiam nos videre possimus, quæ agenda sunt. Tu, qui verus fons luminis, et sapientiæ diceris, doce nos quid agamus, quidve sancire debeamus, et quæ sancita sunt, justis operibus compleamus. Proinde tuæ supernæ gratiæ mitte in nos imbrem matutinum, et serotinum. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas.

Tu vero, Mater pulchræ dilectionis, agnitionis, et sanctæ spei, quam sequentes non deviamus, quam rogantes non desperamus, qua protegente non metuimus, o Maria, tu quæ nec cogitari potes, quin recrees, nec nominari, quin delectes; tu, quæ mittis disciplinam, sicut lucem, doctrina illuminans omnes, et illam impetras quærentibus sapientiam, quæ es vere sedes sapientiæ, mitte illam de excelso solio gloriæ tuæ: reple me indignum famulum tuum, universumque

(1) *Psal.* 118. v. 112.

hunc cœtum tibi devotum divina scientia, ut, te præeunte, te juvante, omnia nobis prospera in hac Synodali actione et inchoentur, et eveniant, et perficiantur.

Vos quoque in vota, precesque invocamus, ANGELI tutelares hujus sancti Templi, nec non hujus Civitatis, et Diœcesis. Vos denique, SANCTI omnes, quorum Aræ, sacræque exuviæ penes nos extant; teque præ cæteris tota devotione, et cordis obsequio invocamus, inclyte Protector, et Patrone Beatissime Martyr AGAPITE, cujus diem Festum octo abhinc diebus solemni ritu celebravimus, cujus præcipuo patrocinio tam sæpe et adjuvamur, et sublevamur, et per quem, uti confidimus, stabit semper hæc nostra Civitas, et Diœcesis. Vos omnes suppliciter petimus, ut ope adjuvetis vestra, vestro patrocinio perficiatis, ut sit nobis cor unum, et anima una; ut nulla in re a vero declinemus, nullisque difficultatibus territi, nullis tentationibus victi, numquam a recto deficiamus.

Sed jam totum opus, qui misericordia sua incepit DEUS, pari ipse caritate perficiat, ut et novum Prænestinæ Ecclesiæ accedat decus, et populi salus incrementum accipiat, et exterior gloria augeatur bonorum omnium auctori DEO. Ipse faciat, ut quæ hodie diximus, ea literis numquam obliterandis ita in cordibus nostris scribantur, ut e nostris animis numquam excidant; sed semper cum timore, et tremore solliciti legem Domini meditantes, tum in nostrum, tum in populi animis, quasi in firmo lapide insculpendum curemus Dominum nostrum JESUM Christum, cui sit honor, et gloria cum PATRE, et Sancto SPIRITU per infinita sæcula. Amen.

XXVI

ORATIO HABITA

IN SECUNDA SESSIONE

AB ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO

JOSEPHO GRAZIOSI

EPISCOPO ANASTASIOPOLITANO

VICARIO GENERALI.

Quæ adhuc, Eminentissime, ac Reverendissime Princeps, labore summo, et singulari laude perficienda curasti, ut solemnis hæc Synodus haberetur, quæque Pastoralibus tuis Literis tam sapienter, ut res bene cederet, præcepisti; ea profecto satis clare, aperteque ostendunt, qua paterna in Christo caritate, qua cura, quo studio concreditum Tibi gregem complectaris. Complexio enim Constitutionum, quæ jussu, et auctoritate tua publicantur, Prænestinæ Ecclesiæ membra prorsus omnia respicit, eoque pertinet, ut quamquam omnia non habeant actum eumdem, eumdem tamen in finem, qui est una spes vocationis nostræ, ferantur, ac recta fide, et caritate non ficta concordent. Itaque cum aliis Tibi sane nominibus, et his admodum multis obstricti simus, novo nunc, eodemque maximo obstringimur beneficio, quod merito summam omnibus, qui adsunt, Venerabilibus Fratribus, mihique ipsi affert lætitiam, paremque allaturum est cæteris Pastorali tuæ curæ concreditis, si quale hoc sit, quantique valeat, probe intellexerint. In hoc igitur a me, et ab hisce Venerabilibus Fratribus enixe est collaborandum, ut optati inde capiantur fructus, utque fructus hi maneant. Nemo enim ignorat, quantacumque sapientia statuantur leges, eas ipsas non inutiles modo, sed noxias quoque, exitialesque per prævaricationes futuras, nisi ex Codicibus, in quibus fuerunt descriptæ, usu, praxique eorum, quibus sunt constitutæ, educantur. Hac de causa antiquissimo ex tempore Rex piissimus Josaphat voluit in urbes Juda abire Levitas, et Sacerdotes librum Legis habentes, qui docerent, atque erudirent populum in lege Domini. Eadem de causa Paulus, et Barnabas, Judas, et Sila in Antiochenam urbem, in Syriam, et Ciliciam ab Hierosolymitano Concilio fuerunt missi, nimirum ut ad eas gentes perferrent illius Concilii præcepta, atque ad eorum observantiam ipsas traducerent.

Simile prorsus in opus vos, ac præcipue omnes ex vobis, qui præsunt animarum regimini, jam estis mittendi, Venerabiles Fratres. Etenim et vestra opera hanc in rem opus habet Eminentissimus, ac Reverendissimus Noster Antistes, quem Deus tamquam Oniam alterum suscitavit, ut Civitas hæc, et Diœcesis *habitaretur in omni pace, et leges optime custodirentur* (1). Non potui certe, quin summopere lætarer, cum paratos vos esse perspexerim ad exequenda decreta jam edita; neque dubito, quin promptiores futuri sitis in evulgandis legibus, quæ

(1) *II. Machab. cap. 3. v. 1.*

modo sanciuntur. Auctoritas, unde proxime hæc manant, ejus est, *quem Spiritus Sanctus posuit Episcopum regere Ecclesiam* Prænestinam (1), cuique, ut de animabus omnium, quos Civitas, et Diœcesis Prænestina complectitur, rationem reddituro, omnes nos subdere, atque obtemperare debemus.

Curandum itaque quam maxime vobis est, ut plene, perfecteque hæc omnia cognoscatis, teneatis, et quæ ex hisce vos spectant, servetis quam diligentissime; doceatis vero cæteros, quæ ex Synodalibus decretis docenda vobis incumbunt, atque una simul eos omni studio adducere studeatis, ut legibus omnibus obsequantur, quæ de ipsis feruntur. Ex vestra autem doctrina jure, meritoque exspectandum esse videtur, ut redarguatis vaniloquos, et seductores, si qui apud homines vestros irrepant; et cum caritate flagrare vos ego existimem, haud dubito, quin adversus ea, si quæ forte contra leges sive Clericorum proprias, sive Christianorum omnium communes admittentur, sitis zelo exarsuri; zelo, inquam, sed qui perspicaci prudentia, et definita animi moderatione gubernetur, *ne in spiritu vehementi conteratis naves Tharsis, neque conteratis quassatum calamum, neve lignum fumigans extinguatis* (2).

Parabola deinde hominis illius, qui ab Jerusalem descendens in Jericho incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto, quique a Sacerdote, et Levita, quamquam visus, tamen præteritus, a Samaritano postmodum vino, oleoque vulneribus infuso curatus fuit, admonet vos, et cæteros Clericos, immo et Fideles omnes, quomodo cum proximo medicina indigente agi oporteat.

Absit vero, ut quisquam seductione verborum, aut pravitate latrones eos referat. *Væ enim homini illi, per quem scandalum venit* (3). Væ illi, qui hominibus placere studet, et Dei servus esse negligit. Absit, ut referatur a vobis impius ille Sacerdos, et inhumanus Levita. Samaritanum omnino hac in re debetis referre, prudentiaque discernere, quando oleum misericordiæ, quando vinum fervoris sit adhibendum.

Vos certe magna hactenus fide, caritate, et patientia ministeriorum partibus omnibus functi estis; sed nunc vobis ipsis faciendum est, *ut opera vestra novissima sint plura prioribus*, ut oves vestras cognoscatis, et singulas opportunis remediis ad proficiendum in justitia excitetis, vel ab justitiæ via aberrantes ad salutis tramitem revocetis. Hoc autem erit pascere, ac regere gregem non solum in veritate, sed et in judicio.

At vero si aliter agemus, ad me, et ad vos quoque pertinebit, quod olim Christus Dominus Angelo Ecclesiæ Sardis scribi præcepit (4): *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es*. Sed finis sit; neque enim est æquum, ut vos detinendi prolixa Constitutionum lectione, detineamini etiam effusa, et fortasse nimis molesta oratione mea.

(1) *Act. cap.* 20. v. 28.
(2) *Psal.* 47. v. 8.
(3) *Matth. cap.* 18. v. 7.
(4) *Apocal. cap.* 3. v. 1.

D 2

XXVIII

ORATIO HABITA

IN TERTIA SESSIONE

AB REVERENDISSIMO DOMINO

AGAPITO PETRELLI

ARCHIDIACONO ECCLESIÆ CATHEDRALIS.

Lætandum maxime tibi est, et magna animi alacritate exultandum, non solum Civitas Prænestina, verum etiam Diœcesis universa, quod Deus Optimus Maximus vigilis admodum tui Pastoris animo suggesserit Diœcesanam hanc cogere Synodum pluribus abhinc annis omissam, et rerum, temporisque rationibus convenientem sane, ne dicam necessariam. Fatendum quidem est in postrema coacta Synodo plura sancte, prudenterque fuisse decreta, et restituendæ Ecclesiasticorum disciplinæ accommoda, et emendandis populorum moribus profutura. Verum longa temporum vicissitudine factum est, ut oblivio ex animo statuta plura deleverit, et languesceret humani spiritus fervor sancitarum legum custodiam aut parvipenderit, aut penitus deseruerit. Quamobrem Ecclesia Mater amore fervens erga filios, ut eis ingereret ad virtutem incitamenta a primis usque temporibus consuevit identidem hosce sacros celebrare conventus, ut collapsa Ecclesiasticorum disciplina restauraretur in pristinum, et optima morum regula firmaretur. Et quidem ipsimet Apostoli id præstantes Successoribus exemplum reliquerunt. Nam cum orta quæstio esset, num gentiles recens conversi ad fidem Mosaicæ legis servandæ obligatione tenerentur; Apostoli simul convenientes, re mature perpensa, statuerunt, jugum Mosaicæ legis, quæ jam abolita fuerat per mortem Christi, minime esse imponendum ex gentilitate conversis ad fidem, suam etiam Jacobo ferente sententiam, iisque tantum abstinendum esse a fornicatione ex legis tum naturalis, tum divinæ positivæ præscripto, atque a sanguine, et suffocato ad pacis quietem cum Fidelibus ex Judaica gente servandam (1). Tertio itidem, et quarto sæculo frequentissima Concilia numerantur, scilicet Romanum sub Pontifice Cornelio contra Novatum, Ancyranum post tempora Marcellini Papæ celebratum contra thurificantes invite gentilium simulacris, Eliberitanum Provinciale sub Silvestro Pontifice Maximo, atque Imperatore Constantino Magno coactum ad idola delenda, et ad prohibenda pœnarum severitate homicidia. Perlongum sane foret recensere Conciliorum seriem, quæ succedentibus Ecclesiæ sæculis celebrata fuere aut pro disciplina restauranda, aut pro fidei controversiis dirimendis, aut pro morum regulis confirmandis. Sed ut, plenioribus omissis Conciliis, pauca commemorem peculiaria, quæ Diœcesana appellantur, quæque quotannis celebrari vult Œcumenica Synodus Tridentina (2), sit satis recolere saluberrimos Diœcesanos conventus, quos iteratis vicibus Mediolani celebravit S. Carolus Borromæus illius insignis Ecclesiæ Præsul, quosque indixit, perfecitque Benedictus XIV., dum Bononiæ Archiepiscopi munere fungeretur, aliique Ecclesia-

(1) *Act. cap. 5.*

(2) *Sess. XXIV. cap. 2. de Refor.*

rum Antistites, qui adeo præclara documenta tradiderunt, et salutaria statuta promulgarunt, ut inde utilitates, numquam satis æstimandæ quoad disciplinam, et mores in Christianam rempublicam manarint.

Hæc, et alia plura commoda ex nostra Synodo, Deo adjuvante, profectura speramus. Quid enim Pastor Ecclesiæ nostræ Prænestinæ fervens pietatis zelo exoptat, et expetit, nisi ut firmi in nostræ Religionis fide ejus teneamus confessionem? *Corde creditur ad justitiam*, scribebat ad Romanos Apostolus (1); *ore autem confessio fit ad salutem*. Ad Hebræos vero (2): *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*; ac tandem ad Galatas (3): *Justus ex fide vivit*.

Habet etiam amantissimus Pastor in votis, ut Ecclesiastica disciplina, ubi viget, magis magisque firmetur; ubi vero collapsa fuerit, rursus adeo efflorescat, ut Ecclesiasticorum mores ad sacrorum Canonum præscriptum componantur, et ex Diœcesanæ Synodi regulis reformentur, et ita splendeat Ecclesiæ Ministrorum dignitas, ac honestas in vivendi consuetudine, ut incessu, habitu, gestu, et sermone populo præeant in via salutis, seque totidem exhibeant imitandi exempla virtutum. Bene nostis, Fratres carissimi, eam esse plebis indolem, ut in Sacerdotes tamquam in specula oculos conjiciat, exploratura quid boni, quidve mali gesserint, et quæ bona sunt, legique consentanea imitetur, quæ autem mala, legique contraria, aut accepto scandalo in sui perniciem vertat, aut obmurmurando improbet. Hinc Christus Dominus Apostolos alloquens, inquiebat (4): *Vos estis lux mundi*: luce enim sua ita illuminaturi erant totum terrarum orbem, ut populis præbentes laudabilis vitæ moribus exempla virtutum, nec non documenta salutis, eos instruerent in doctrina Christi, et in accepta veritatis cognitione solidarent. Heu quam deploranda est eorum Ecclesiasticorum conditio, qui vel morum improbitate populos ad vitia trahunt, alliciuntve, vel corruptæ doctrinæ semina dispergentes eis falsitatem pro veritate propinant, aut propriis commodis studentes neque spirituales populi morbos curant, neque criminum vulnere sauciatis medentur, neque ad virtutem torpentia corda incendunt! Hinc plures Ecclesiæ filii misera fame pereunt, quia panem verbi Dei non est, qui frangat eis. Alii inveterata peccatorum mole obruti ad mortem usque, in puncto ad inferna descendunt, quia eos nemo porrecta manu allevavit, neque salutaribus Pœnitentiæ aquis expiatos sanitati restituit, hominem non habentes, qui eos aquæ piscinæ Siloe immergeret sanandos. Alios demum consuetudine, et occasione peccandi implicatos æternæ damnationis supplicio devovet Confessariorum inscitia, vel oscitantia, qua iisdem indebitum absolutionis beneficium impertiuntur. Porro testatur Deus, se illarum animarum sanguinem de Sacerdotum manibus requisiturum. Contra hosce malos Ecclesiæ Ministros optime contorquetur exprobratio jacta in Sacerdotes Israeliticos (5): *Væ Pastoribus Israel . . . . quod infirmum fuit, non consolidastis, quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, et quod abjectum est, non reduxistis, et quod perierat, non quæsivistis . . . Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum*. Quid vero addam de iis, qui dicunt, et non faciunt, in Laicis videlicet vitia redarguunt, quibus ipsi absque ulla emendationis cura implicantur? In hos Evangelii verba omnino quadrant (6):

(1) *Rom. cap. 10. v. 4.*
(2) *Hebr. cap. 11. v. 6.*
(3) *Galat. cap. 3. v. 11.*
(4) *Matth. cap. 5. v. 14.*
(5) *Ezechiel. cap. 34. v. 2. et 4.*
(6) *Luc. cap. 4. v. 23.*

Medice cura te ipsum. Qua fronte declamabunt in scelera superbiæ, avaritiæ, impudicitiæ; et intemperantiæ, si in iisdem et ipsi volutentur criminibus? Quo animo a terrenarum rerum ambitu Laicorum corda avertere, aut distrahere conabuntur, si vel ipsi non solum de mundano pulvere sordescant, sed præterea pravis rerum cupiditatibus mordicus hæreant? In gulæ vitium palam invehi nequibunt, qui adeo gulæ indulgent, ut dici de iis possit, quod ait Apostolus (1): *Quorum Deus venter est*. Cum vero exempla magis, quam verba moveant, Evangelicæ prædicationi præeat oportet exemplum bonorum operum, formam hanc exhibente Christo Domino, *qui cæpit facere, et docere* (2). Illud namque certum est, populos a Sacerdotibus discere formam vivendi, et regulas morum. Quare si Sacerdotum vivendi ratio irreprehensibilis fuerit, et in ipsis virtutum exercitia resplendeant, populi quoque ad virtutes excitabuntur. Quod si aliqui ex Ecclesiæ Ministris de se pravitatis exempla præbuerint, et neglecta, atque contempta, qua refulgere debuerant, dignitate, malis sese, vitiisque tradere nequaquam erubuerint, plerique ex populo facile a recta salutis via recedent, sese sceleribus inquinabunt, et peccata peccatis cumulantes ita in malo obfirmati persistent, ut probo Sacerdoti ex justitiæ zelo redarguenti respondere non vereantur, sibi vel magis licere, quæ a Sacerdotibus sine ulla conscientiæ religione patrantur. En igitur populi mores ad Sacerdotum normam sive bonam, sive malam certo compositos.

Quamobrem nostri muneris partes arbitremur, populo præire splendore virtutum, bonorum operum exempla præbere, atque tradere documenta salutis, servata integritate doctrinæ. At præcipua insidat nostris animis cura, ut digressos a via salutis ad rectum tramitem revocemus fideli administratione Sacramenti Pœnitentiæ. Concors, et una sit omnium in saluberrimo hoc Sacramento administrando sententia, una sit etiam agendi ratio, ne aut nimia severitate peccatores a pœnitentia avocentur, aut, quod æque perniciosum est, nimia indulgentia cum jactura salutis eorum vulnera foveantur. Huc optime facit, quod scribebat S. Cyprianus, qui adversus Sacerdotes infidos Pœnitentiæ Ministros sic invehitur (3): *Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio . . . . . . operiuntur morientium vulnera, et plaga letalis altis, et profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur . . . non est pax illa, sed bellum . . . . irrita, et falsa pax periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura*.

Cum itaque eo spectent vigilantissimi Pastoris vota, ut populi mores per legum Dei, et Ecclesiæ custodiam ad accuratas moralitatis regulas reformentur, ne oves ejus curæ concreditæ pereant, et sanguine Agni immaculati Christi Jesu exemptæ a Diaboli servitute virtute illius fraudentur, et merito; omnes Ecclesiasticos, ex quorum ministerio pendet populi salus adhortatur, ut pro viribus Dei gloriam, et animarum salutem opere, exemplo, verbi prædicatione, et fideli Sacramentorum administratione promoveant. Ipsorum cura fiat, ut plebs a peccatis abhorreat, sectetur virtutem. Hic sit uber coactæ Synodi fructus; hac agendi ratione propriæ vocationi nostrum quisque respondeat, ut possimus eum auxilio gratiæ Dei, et intercessione Beatissimæ Virginis Mariæ, atque inclyti Martyris S. Agapiti hujus Civitatis, et Diœcesis Patroni vigilis Pastoris voto facere satis, ejus corona tandem, et gaudium in beata æternitate futuri.

(1) *Philip. cap. 3. v. 19.*
(2) *Act. cap. 1. v. 1.*
(3) *Sermon. de lapsis.*

OFFICIALES SYNODI.

JUDICES QUERELARUM, ET EXCUSATIONUM.

Illmus, et Rmus D. Joseph Graziosi Episcopus Anastasiopolitanus, Vicarius generalis.
Rmus D. Agapitus Petrelli Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Joseph Agapitus Scavalli Borgia Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

PROMOTORES SYNODI.

Rmus D. Stephanus Adjutori Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Adm. Rev. D. Cæsar. de Horatiis Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Andreæ in oppido Paliani, olim sacræ Theologiæ Lector, nunc vero Philosophiæ in Archigymnasio Romano Professor emeritus, ac Theologus Emi Episcopi.

SECRETARIUS SYNODI.

Rmus D. Joannes Jacobus Turini Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

COADJUTORES, SIVE LECTORES SYNODI.

Rev. D. Franciscus Martini Sacerdos ab oppido Paliani.
Rev. D. Antonius Guancioli Sacerdos ab oppido Zagaroli.

PRÆFECTI DISCIPLINÆ.

Rmus D. Joannes Baptista Bellieni Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Joseph Antonius Cialdea Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis.

PRÆFECTI HOSPITIORUM.

Rmus D. Aloysius Rischia Fiumara Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Gregorius Minucci Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Vincentius Scavalli Veccia Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Franciscus Adjutori Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

CONFESSARII CLERI.

Rmus D. Franciscus Maria Franceschini Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Marianus Bonanni Canonicus Curatus Ecclesiæ Cathedralis.
Adm. Rev. D. Petrus Maria Bottini Presbyter Doctrinæ Christianæ, et Rector V. Collegii S. Hieronymi Præneste.

Adm. Rev. P. Benedictus a Saggia ex-Provincialis Capuccinorum.
Adm. Rev. P. Antonius Galimbene Magister Ordinis Carmelitarum, et Prior V. Conventus S. Antonii Præneste.
Adm. Rev. P. Olympius a Venetiis Ordinis Reformatorum S. Francisci ex-Definitor Provincialis, et Guardianus in Cœnobio S. Francisci Præneste.
Adm. Rev. P. Joannes a S. Laurentio Ordinis Sñæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Minister in Cœnobio S. Luciæ Præneste.

PROCURATOR CLERI.

Rñus D. Bartholomæus Rosicarelli Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

ŒCONOMUS PRO EXIGENDO CATHEDRATICO.

Rñus D. Petrus Pinci Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

MAGISTRI CÆREMONIARUM.

Rñus D. Joannes Jacobus Turini Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rñus D. Bartholomæus Vincenti Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

COADJUTORES.

Rev. D. Franciscus Mancini Sacerdos ab oppido Burbonæ in Regno Neapolis Pro-Rector V. Seminarii Prænestini.
Rev. D. Subdiaconus Dominicus Ziluca ab oppido Cavarum Præfectus adolescentium V. Seminarii Prænestini.

OSTIARII SYNODI.

Rev. D. Vincentius Ilardi Beneficiatus Ecclesiæ Cathedralis.
Rev. D. Joseph Magistri Beneficiatus Ecclesiæ Cathedralis.
Rev. D. Petrus Parmegiani Sacerdos Prænestinus.
Rev. D. Jacobus Vannutelli Sacerdos ab oppido Genazani.

NOTARIUS.

D. Joseph Maria Ciprarj Cancellarius Episcopalis.

TESTES ADHIBITI IN CELEBRATIONE SYNODI.

Rev. D. Franciscus Mancini Sacerdos ab oppido Burbonæ in Regno Neapolis Pro-Rector V. Seminarii Prænestini.
Rev. D. Subdiaconus Dominicus Ziluca ab oppido Cavarum Præfectus ejusdem V. Seminarii.

IN NOMINE

SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

AMEN.

NOS ALEXANDER

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPUS PRÆNESTINUS

S. R. E. CARDINALIS MATTHÆIUS

ADMINISTRATOR ECCLESIÆ FERRARIENSIS,

Ad DEI OMNIPOTENTIS gloriam, atque ad Beatissimæ MARIÆ semper VIRGINIS, Sanctorum Apostolorum PETRI, et PAULI, Sancti AGAPITI Martyris hujus Prænestinæ Basilicæ Titularis, et Civitatis, ac Diœceseos Patroni, nec non Sancti GUARINI Episcopi Cardinalis Prænestini, SANCTORUMQUE omnium honorem, et laudem ea, qua fungimur, auctoritate sive ordinaria, sive delegata, hæc, quæ sequuntur, in hac Nostra prima Diœcesana Synodo legitime congregata statuimus, sancimus, et promulgamus.

Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum JESUM Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per JESUM Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Hebr. cap. 13. v. 20. et 21.



PARS PRIMA:

DE FIDE CATHOLICA.

Synodales Constitutiones Nostras, ex sanctissimorum Patrum more, atque instituto, a fide exordientes, primum omnium gratias agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi, quod in Diœcesi Nobis commissa fidei Christiano-Catholicæ, quæ una divinitus tradita est, professionem omnibus prorsus, quibus ea constat, communem esse invenerimus. Verum dissimulare non possumus, et mores complurium reformatione indigere, et nonnulla disciplinæ Ecclesiasticæ præcepta, atque instituta non satis servari, tum etiam singulorum fidem omnis prorsus periculi expertem nequaquam videri. Opportunum igitur est, nisi plane necessarium, ut quemadmodum Noster cum in hac, tum in Ferrariensi Ecclesia Antecessor, optime de utraque meritus, Thomas Cardinalis Rufus post annos quinque, et septuaginta a postrema ante ipsum habita Diœcesana Synodo hac ipsa die novæ Synodi fecit initium (1); ita et Nos, pari omnino annorum numero inde exacto, *ascendamus mundare sancta, et renovare* (2), agamusque, quantum cum Domino possumus, ut quod ovium nostra-

(1) *Epist. ad Clerum in Synodo congregatum.*

(2) *I. Mach. cap. 4. v. 36.*

rum *est infirmum consolidetur*, *quod est ægrotum sanetur*, *quod est confractum alligetur*, *et reducatur*, *quod est abjectum*, et si quid *periit*, *quæratur*, quidquid denique *est pingue*, *ac forte* servetur (1). Sed ante omnia singulos quosque Pastorali nostræ curæ concreditos et monere debemus, et monitos volumus, ut stent in fide, caveantque sibi omni studio ab ipsius sive externis, si qui forte irrepant, sive internis, ac domesticis hostibus. Cupimus nimirum quam vehementissime, neminem omnino esse ex nostris, quem non sibi adjudicet Christus Dominus, *cum venerit glorificari in Sanctis suis*, *et admirabilis fieri in omnibus*, *qui crediderunt* (2). Quibus etiam eadem de causa indicimus, ut *vigilent omni tempore orantes*, *attendantque*, *ne forte graventur ipsorum corda in crapula*, *et ebrietate*, *et curis hujus vitæ* (3). Hæc enim si faciant, perquam idonei etiam reperientur *ad disciplinam*, *ad intelligenda verba prudentiæ*, *et suscipiendam eruditionem doctrinæ*, *justitiam*, *et judicium*, *et æquitatem* (4), quæ proposita sunt Nobis has Constitutiones publicaturis.

CAPUT I.

DE FIDE TENENDA.

Fides Christiano-Catholica, cujus in professione gloriamur, firmissima est divinæ fulta, innixaque auctoritati. Deus nimirum O. M., qui infinite sapiens cum sit, falli non potest, cumque sit infinite bonus, non potest fallere, *multifariam*, *multisque modis locutus olim Patribus in Prophetis*, *novissime locutus fuit in Filio* (5), per quem *soluto medio pariete maceriæ*, quo Judæi segregabantur a gentibus, *fecit utraque unum* (6); unicam scilicet fundavit Ecclesiam ex Judæis, gentibusque collectam, ab qua et *Spiritum suum*, *et verba sua numquam recessura* pollicitus fuit, eamque ipsam fecit *columnam*, *et firmamentum veritatis* (7). Porro cum hæc Ecclesia toto orbe diffusa ex pluribus particularibus coalescat; Ecclesia Romana, cui præsedit olim Princeps Apostolorum, idemque omnium prorsus, nullis exclusis, et exceptis, Christi ovium Pastor Beatissimus Petrus, cuique nunc continuata successione præsidet Sanctissimus D. N. PIUS Papa VII., di-

(1) *Ex Ezechiel. cap.34.*
(2) *II. Thess. cap.1. v.10.*
(3) *Ex Luc. cap.21.*
(4) *Proverb. cap.1. v.2., et 3.*
(5) *Hebr. cap. 1. v.1. et 2.*
(6) *Ephes. cap. 2. v. 14.*
(7) *Isa. cap. 59. v. 21. et I. ad Tim. cap.3. v. 15.*

vina plane institutione cæterarum omnium Mater est, et Magistra (1). Quidquid igitur Ecclesia hæc fide divina credendum proponit, credere debemus ex animi sententia, atque hac quidem non dubia ullo modo, sed plane certissima; quidquid ut fidei adversum damnat, ac rejicit, idem a nobis similiter rejiciendum, damnandumque est.

I. Verum præter implicitam, atque confusam omnium, quæ diximus, fidem, necesse est quædam explicite, distincteque credamus; et ex his ipsis nonnullorum explicita fides est necessaria necessitate, quam sacri Doctores appellant *medii*, aliorum necessitate, quam vocant *præcepti*.

II. Ac medii quidem necessitate explicite credendum est, Deum esse, eumdemque remuneratorem esse: credenda item explicite sunt Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini.

III. Omnes præterea Christiani necessitate præcepti tenere memoria debent Symbolum fidei, vel, si nimis hebetes sint, saltem Symboli ejusdem substantiam, orationem Dominicam, ac præcepta Decalogi, quæ sunt cuique naturali, ac divino jure servanda (2).

IV. Sed et fidei actus tenentur elicere, nequaquam tamen semel tantum in vita, vel in solo mortis articulo, vel tunc dumtaxat, cum tenentur justificari, neque alia suppetit via, vel quinquennio quolibet (3); sed sæpe, et obligatione quidem inducta divino præcepto per se pertinente ad ipsam exercitationem virtutis fidei. Neque hoc tantummodo præceptum patefaciendum est Fidelibus; sed aliud quoque simile de eliciendis sæpe actibus spei, et caritatis. Omnes vero hos actus elicere si sæpe alias est necessarium, necessarium certe maxime in quolibet probabili mortis periculo. Curent igitur Parochi perquam diligenter, ut ab infirmis omnibus tum eliciantur.

V. Porro et frequenter populo tradendæ sunt formulæ, quibus harum virtutum interiores actus significantur (4). Has igitur severe præcipimus in qualibet Parochiali Ecclesia pronunciari conceptis, iisdemque perpetuo verbis, atque ita distincte, ut a populo repetantur: et quidem moneri populum volumus, eas ut repetat ex animo credens, sperans, ac diligens, quæ se credere, sperare, ac dilige-

(1) *Trid. Sess. VII. can. 3. de Baptismo.*

(2) *Can.* Vos ante *de Consecr. dist. 4. S. August. de Symb. ad Catech. Lambertin. Inst. LXXII.*

(3) *Ex prop. 1. inter damn. ab Alex. VII. et 5. 6. 7. 16. 17. damn. ab Inn. XI.*

(4) *Bened. XIV. Const.* Etsi minime *XLII. Bull. Tom. I.*

re profitebitur. Recitari autem ipsas jubemus quovis die Festo, cum in Catechesi, tum intra Missam Parochialem, ac prætcrea in Missa ad auroram, vel alia, quæ ad Fidelium institutionem magis opportuna videatur. Caveant tamen Parochi, ne huic exercitationi præstituant horam, in qua divina turbarentur Officia, semelque statutam horam constanter servent; proponantque identidem Indulgentias per Summos Pontifices elargitas elicientibus hujusmodi actus. Has autem in Synodi Appendice notabimus (1).

VI. Idem observari mandamus ab Sacerdotibus diebus Festis celebrantibus Missam, cujus hora a Parocho erit designanda, in publicis Oratoriis ruralibus dissitis a Parochiali mille passuum, aut amplius. Quod si in iis eodem Festo die plura fieri Sacra contigerit, volumus in singulis quibusque eosdem actus recitari: agitur enim res pernecessaria agrestibus præsertim hominibus, quibus interdum actus ipsos addiscendi ratio alia non suppetit. Si quem vero ex Sacerdotibus hac in re, etiamsi raro, deficere Parochi deprehenderint, id Nobis renuntiari jubemus, ut opportuna remedia adhibeamus, inter quæ eorum etiam suspensioni, qui hac in re contumaciter deliquerint, locum dare non dubitabimus.

VII. Porro in Synodi Appendice formulas exhibebimus hujusmodi actuum perquam breves, et faciles, quarum alia quoque edemus exemplaria in tabellis, quæ constanter prostare volumus in singulis Parochialibus Civitatis, atque Diœcesis, itemque in singulis publicis Oratoriis ruralibus commodo omnium, qui etiam privatim uti ipsis voluerint (2). Recitent vero has formulas statim ab explicato Evangelio. Si qui autem privatim utantur aliis formulis adhuc in Diœcesi usitatis, Parochus curet, ut addant precatiunculas, quibus singulæ, quas edemus, formulæ concluduntur.

VIII. Ut vero in Christiano populo studium acuatur ediscendi, quæ diximus, non dissimulabunt Pastores, sed annuntiabunt palam, non posse hominem adultum justificari absque explicita fide credendorum necessitate medii. Confessariorum vero memoriæ insculptum alte sit, irritam prorsus esse absolutionem, quæ in hominem ignorantem res scitu necessarias necessitate medii feratur; tum etiam differendam esse absolutionem ignaris rerum, quas scire necessarium est necessitate præcepti, nisi forte simul et urgeat rationabilis absolvendi necessitas, et confitentem vere pœniteat hujus omissionis

(1) *Append. N. IV. pag. 7.*

(2) *Append. N. III. pag. 6.*

suæ, idemque vere promittat, se, quantum cum Domino poterit, curaturum, ut istæc quantocius addiscat (1).

IX. Qui autem ex eorum munere curare tenentur puerorum institutionem ad recte et credendum, et agendum, ut Parentes, Tutores, Domini, aliique, si eorum muneris admoniti, a Confessariis deprehendantur ea in re graviter desides, omnes sine absolutione erunt dimittendi.

X. Nemo unus, qui ad rationis usum pervenerit, admittatur ad Sacramentum Confirmationis, nisi teneat fidei mysteria, præcepta Decalogi, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, ac Sacramenti, quod est suscepturus, vim, et virtutem. Nemo item, nisi simili omnino conditione, admittatur ad Matrimonium. Et harum rerum ignari arceantur quoque ab suscipiendis in Baptismate infantibus, et in Confirmatione puerulis (2).

XI. Quicumque autem Christianas institutiones quomodocumque aliis tradunt, meminerint sibi non sensus suos, sed communem Ecclesiæ doctrinam esse exponendam. Hanc autem hauriant ex Catechismis in nostra Diœcesi probatis, ne forte in periculum incidant proponendi aliquid, quod a sacris Literis, aut traditione divina, aut dogmaticis Ecclesiæ, Pontificumque Summorum judiciis abhorreat; quod si fieret, jam immani crudelitate darent lapidem pro pane, serpentem pro pisce, scorpionem pro ovo.

XII. Fideles laici numquam disputent sive publice, sive privatim de veritatibus fidei cum hæreticis, vel infidelibus, aut aliis quibuscumque, qui has serio negare, vel impugnare audeant, noverintque ex Alexandri IV. Constitutione excommunicationis pœnam sibi impendere, si disputationes hujusmodi assumere præsumpserint (3).

XIII. Nemo libros, in quibus continetur sacrum fidei depositum, vel quibus in sacris Mysteriis, sive Officiis uti Ecclesia solet, quamtumvis obsoletos, mutilos, laceros, sordidos, usibus profanis umquam addicat: nemo iis vendat, qui eorum paginas probroso usui sint aliquando habituri.

XIV. Cum vero nostris hisce præsertim temporibus incredulitas latius inter Christianos vagetur, danda Pastoribus diligentissime opera est, ut Fidelibus argumenta aperiant, per quæ plane constat, obse-

(1) *Ex ead. Const. Bened. XIV.*, *et prop. 64. 65. ex proscript. ab Inn. XI.*

(2) *Ex Bened. XIV. ibid. Can.* Vos ante *de Consecr. dist. 4. Pont. Rom. par. 1. tit.* De confirmandis *S. Carol. in Conc. Provinc. V.* Quæ pertin. ad Matrim. Sacr.

(3) *Cap.* Quicumque 2. *de hæreticis in sext.* §. Inhibemus.

quium fidei nostræ esse perquam rationabile, et iisdem est perpetuo inculcandum, nos credere Deo revelanti, et accipere testimonium ejus, *non ut verbum hominum*, *sed*, *sicut vere est*, *verbum Dei* (1), et hac de causa fidem nostram absolutissima certitudine firmam esse debere.

CAPUT II.

DE FIDE PROFITENDA.

Cum numquam veram fidem negare, numquam, ne mortis quidem declinandæ causa, falsam simulare liceat, immo libere, fidenterque ea sit aperienda, si quis ab auctoritate publica de fide sua interrogetur, quin eidem fas sit dissimulare, aut tacere (2); tum vero exterior fidei confessio necessaria est ad salutem, quando per confessionis hujus omissionem subtraheretur honor Deo debitus, vel utilitas, quam proximo procurare actu tenemur.

I. Sunt etiam, qui Ecclesiæ præcepto tenentur stato tempore in facie ipsius Ecclesiæ fidei professionem emittere. Hi porro, ut præcepto huic satisfaciant, eam coram Nobis, aut, si Nos impediti fuerimus, coram Vicario nostro generali juxta formulam a Pio IV. P. M. præscriptam emittent (3), quæ legitur in Appendice (4). Sunt autem hi omnes, quos hic recensemus.

II. Quicumque Dignitates, et Canonicatus in Cathedrali nostra, vel Collegiatis obtinuerint, coram Nobis, vel Vicario nostro generali, ac coram Capitulo intra duos menses. Item intra idem tempus quicumque Beneficium sunt consecuti, cui cura animarum adnexa sit. Quod nisi fecerint, ii omnes neque fructus faciant suos, neque illis possessio suffragetur (5).

III. Idem quoque intra idem tempus ex Constitutione, et consuetudine Ecclesiæ nostræ, aliarumque Ecclesiarum, et ex auctoritate Concilii Romani fieri mandamus ab omnibus, qui Beneficium quodcumque perpetuum assequantur (6).

IV. Volumus quoque, ut professionem eamdem emittant novi

(1) *I. Thess. cap.2. v.13.*

(2) *Vid. prop. 18. inter damnat. ab Innoc. XI.*

(3) *Const.* Injunctum Nobis LXXXIX.

(4) *Append. N.I. pag.3.*

(5) *Trid. Sess. XXIV. cap. 12. de Ref. Ead. Pii IV. Const. Syn. Diœc. Præn. Card. Rufi an.1729. cap.6. tit.* De fide Cath.

(6) *Synod. Præn. sub Rufo tit.* De fide, et ipsius profess. *cap. 6. Conc. Rom. sub Bened. XIII.* De summa Trinit., et fide Cathol, *tit. 1. n.4.*

Concionatores, etiam Regulares, atque etiam ii Sacerdotes, qui Primo ad audiendas Confessiones a Nobis probantur (1).

V. Quotquot docent scientias, sive divinas, sive humanas, aut disciplinas quaslibet inferiores, tam Clerici, quam Laici (2), etiamsi doceant sine ulla mercede, idem omnino præstent. Æquum est enim, ut qui sive divinæ, sive humanæ sapientiæ pabulo oves Christi suscipiunt nutriendas, publicum coram Ecclesia, etiam sacramento firmatum, sanæ doctrinæ, ac fidei testimonium exhibeant. Nemo idcirco doctrinarum, aut disciplinarum, in quibus et rudimenta Grammaticæ numeramus, scholas aperiat (3), quin expressam Nos illi, inque scriptis potestatem fecerimus: quam minime facturos denuntiamus, nisi et fidei professionem emiserit, et Nobis de vitæ, morumque illius honestate satis constiterit.

VI. Item Vicarii foranei, Procuratores, Promotores Fisci, Cancellarii, cæteri Episcopalis fori nostri Ministri tam in Civitate, quam extra Civitatem constituti, quibus scilicet omnibus præcipimus, ut in prima suorum officiorum susceptione fidem profiteantur. Quod ipsum illustriori exemplo ille perficiet, qui maximam Ecclesiastici fori partem moderatur, Vicarius noster generalis (4).

VII. Hi vero omnes emittant fidei professionem ipsi per se, minime per procuratorem (5).

VIII. Qui juxta has regulas tenentur eam emittere, neque adhuc emiserint, id omnino perficiant intra duos menses a Synodo edita. Si quibus autem grave esset se in Civitatem conferre, permittemus rogati, ut eam emittant coram Vicariis foraneis, in quorum Plebibus sunt, modo adsint testes. Vicarii porro foranei hujusmodi actus testimonium Cancellario nostro intra mensem exhibeant.

IX. Quare Cancellarius librum habeat, in quo nomina ordinatim scribantur eorum omnium, qui fidei professionem ediderint, additis patria, ætate, gradu, tempore, loco, ejusdemque actus causa (6).

X. Haud vero necesse habemus propositis pœnis per sacros Canones constitutis, aut aliis, quas jure nostro sumere possumus, urgere eam, quam juxta Canones ipsos exigimus professionem. Hortamur potius singulos quosque, quibus indicitur, tum etiam eos, qui

(1) *Idem Con. Rom. ibid. num. 6. et 7.*

(2) *Ibid. num.8. Vid. Const. Pii IV.* In sacrosancta *XXXIII.*

(3) *Pius* IV. *ibid. S. C. C. in* Asculana Apuliæ 1697.

(4) *Idem Conc. Rom. eod.tit. n.5.*

(5) *S. C. C. in* Segunt. *an.* 1570., *in* Valent. 1610., *et alias. Plura de fidei profess. Lambert. Inst. IX., idemque de Synod. lib.5. cap.2.*

(6) *Synod. Prænest. sub Rufo tit. eod., et Synod. nostra Ferrarien. aliæque plures.*

posthac fidem aliqua ex causa profiteri teneantur, ut ad parendum promptissima voluntate se comparent harum Christi Domini sententiarum consideratione: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (1). *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua* (2).

CAPUT III.

DE JUDÆIS.

Etsi nullum in Diœcesi nostra Judæorum sit domicilium; quia tamen contingit interdum, ipsos per loca ejusdem transire, et nundinarum tempore in Civitate morari, nostri muneris est providere, ne vergant hæc in perniciem Fidelium. Mandamus itaque, ac severe præcipimus:

I. Non solum Clericis, sed etiam Laicis, quicumque sint, ne cum Judæis cibum sumant, bibant, pernoctent, præsertim iisdem in cubiculis.

II. Ut Judæi ipsi, quandocumque eos in publicum prodire contigerit, signum flavum toto superius pileo affixum gestent, ne habitus similitudine promiscue cum Christianis conversandi, eorumque mores corrumpendi opportunitatem arripiant (3). Qui secus fecerint, eos manebit pœna carceris, aliæque arbitrio.

III. Ut qui Judæi hanc Civitatem hospites venerint, ad Vicarium nostrum generalem primo se conferant, ad Vicarios autem foraneos, si quam lustrent Diœceseos partem, petantque ab ipsis morandi veniam, quam nonnisi justa ex causa, atque in scriptis concedant. Neque alibi, quam in publicis tabernis, quoad hoc fieri poterit, neque ultra triduum, aut, nundinarum tempore, ultra decem dies aliquando morentur (4), neque ultra primam noctis horam vagentur; sed in cauponis, vel domibus, ubi pernoctant, contineant se usque ad diluculum.

IV. Caupones autem, ac cæteros, quorum in domibus hospitari, deficiente in publicis tabernis, seu diversoriis loco, Judæos contigerit, ad avertendum scandalum quodcumque, quod existere hinc posset, severe monemus, ne Judæis ministrent cibos statis diebus ab

(1) *Matth. cap.* 10. *v.* 32.
(2) *Luc. cap.* 9. *v.* 26.
(3) *Cap.* In nonnullis *de Judæis, et Saracenis, Paul.* IV. *Const.* Cum nimis *III.*
(4) *Ex cap.* 8. Ad hæc *de Judæis, Literæ Encyclicæ S.C.S.O.* 4. *Octobris* 1659.

Ecclesia Christianis vetitos: monemus item, ut ad arcendas eorum in Christum Dominum, Sanctosque ejus contumelias, illa cubicula, quæ Judæis ad epulandum, multoque magis ad pernoctandum concedunt, sacris quibusque Imaginibus, Reliquiis, Crucibus, Cereis benedictis spolient, et ab ipsorum aspectu omnino subducant alias quascumque res ad Christianam pietatem pertinentes (1).

V. Nostri nullo modo audeant interesse superstitiosis, idest ullis Judæorum ritibus, atque functionibus. Qui secus fecerint, multa pecuniaria juliorum trium in causas pias eroganda arbitrio nostro, vel Vicarii generalis plectentur.

VI. Sic vero gregem nostrum ab familiaritate cum istiusmodi fidei nostræ hostibus arcemus, ut simul velimus, eum in agendo cum ipsis caritatis Christianæ meminisse, et abstinere ab insultando iisdem vel factis, vel verbis. Ne quis altum sapiat, sed timeat, sciatque et hanc gentem, quæ adhuc in misericordiam, quam nos sumus consecuti, non credidit, a Deo O. M. reservari, ut et ipsi misericordiam consequantur (2). Nostræ autem sunt partes, Patrem luminum effusis persæpe precibus exorare, ut, ablato velamine de cordibus eorum, agnita veritatis luce, quæ Christus est, e suis tenebris eruantur.

CAPUT IV.

DE HÆRETICIS, ET LIBRIS PROHIBITIS.

Fides Catholica, quam, evangelizante Apostolo PETRO, Præneste, ac finitimis in locis initium cepisse non interrupta Ecclesiæ nostræ traditione docemur, quamque martyrio longe arduo, et eo quidem ætate nondum confirmata strenue professus est invictissimus Prænestinus Civis B. AGAPITUS, in hunc usque diem, ut initio diximus, Dei beneficio, integra apud gregem nostrum, inviolataque perseverat. Cum tamen instent, quæ, prout Apostolus Paulus prædixit (3), in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; ne Fideles nostræ curæ concrediti abducantur doctrinis variis, et peregrinis, utque pro nostro munere custodiamus fidei ipsorum depositum, submoveamusque oppositiones falsi nominis scientiæ, hæc magna ex parte e sacris Canonibus deducta statuimus.

(1) *Plures Synodi.*
(2) *Rom. cap.* 11. *v.* 31.
(3) *II. Tim. cap.* 3. *v.* 1.

I. Ac primo ne quis hæreticis quibuscumque domos sub commercii, mercimonii, aut alio quovis prætextu ad morandum, aut inhabitandum locare præsumat, aut gratis quomodocumque concedere; quique id agere, sive favorem ad id, opem, auxilium præbere audeant, pœnis iisdem erunt obnoxii, quibus hæreticorum fautores sacri Canones plectunt (1).

II. Si quid tamen cum hæreticis agere aut necessitas cogat, aut caritas urgeat, ab vanis colloquiis, et importunis interrogationibus, multoque magis ab fidei quæstionibus quisque nostrum abstineat, ne excitentur illi ad errorum suorum venena evomenda (2), ac nemo cibos Catholicis vetitos eis ministret.

III. Quicumque autem sunt, quorum de errore in fide non modo certo judicetur, sed vel suspicio sit, hi omnes intra triginta dies ad nostrum, sive ad sacræ Inquisitionis tribunal sunt deferendi (3). Faciunt autem, ut suspicemur de corrupta ipsorum fide, illi præcipue, qui commendare hæreticorum, aut libertinorum scripta, qui de Indulgentiis, sacris Ritibus, deque Ecclesiastica auctoritate obloqui audiuntur, remque omnem divinam parvi pendere videntur, vel qui cum in censuras incurrerint, per annum in iis jam insorduerint.

IV. Quod vero ad eos pertinet, qui depravatis moribus vivunt, in eorum verba, sententias, opiniones sagaciter inquirant Parochi; ac, si de ipsorum quoque fide prudenter suspicentur, eos quantocius denuntient: si vitium in moribus dumtaxat constiterit, satagant, quantum auxiliante Domino poterunt, ut corrigantur.

V. Nemo vero unus ab onere denuntiandi prorsus eximitur, neque Regulares, neque ii, qui accusationem legitime probare non possunt, aut qui crimen summo acceperint secreto, neque ii quidem, qui se numquam denuntiaturos juraverint. Quare Confessarii suos tempore pœnitentes moneant, neminem posse, si id facere renuat, aut differat diutius, quam par sit, a peccatis absolvi, latamque in eos esse excommunicationis sententiam. Parochi vero Edictum sacræ Congregationis supremæ Inquisitionis, quo et denuntiatio, de qua res est, præcipitur, et non denuntiantes plectuntur, ut diximus, quod damus in Appendice (4), singulis quibusque annis bis omnino publi-

(1) *Greg. XV. Const.* Romani Pontificis *XXXIII.*

(2) *Bened. XIV. de Synod. lib.6.cap.5. num. 1. et 2.*

(3) *Alexander VII. Const.* Licet alias, *XCVIII. Paulus V. Const.* Romanus Pontifex, *Edictum S.C.S. Offic.*

(4) *Append. N.II. pag. 4.*

cent, scilicet prima Dominica Adventus, et Dominica itidem prima Quadragesimæ.

VI. Verum ad errores inducendos, omneque improbitatis genus, et impietatem quoque disseminandam maxime semper valuerunt, valentque hodie perversi libri, qui fortasse non omnes absunt ab nostra Diœcesi, desint licet Typographi, ac Bibliopolæ. Quippe nonnulli effræni curiositate inducti eos perquirere possunt, quibus denuntiandum est, non licere ipsis sine Apostolicæ Sedis facultate scienter legere, vel retinere penes se libros quavis ratione damnatos, sub pœnis, de quibus Apostolicæ Constitutiones, et supremæ Congregationis sancti Officii Edictum, et libros hujusmodi perferendos esse ad Nos, aut ad sacram Inquisitionem.

VII. Si quis vero, etiamsi non publicus negotiator, libros hujusmodi advexerit, noverit se non evasurum gravissimas pœnas per Canones, perque Apostolicas Constitutiones, tum vero per supremæ Congregationis sancti Officii decreta iis inflictas, qui id audeant, aliasque a Nobis decernendas.

VIII. Parochi autem, atque Concionatores, præsertim in Civitate, et in majoribus Diœceseos oppidis, omnem dicendi vim conferant, ut Fidelibus perversorum librorum periculum aperiant, damna enumerent, peccatum, censuras denuntient, ut qui hac in re peccaverunt, imitentur primos illos Fideles, qui, cum fuissent *curiosa sectati*, *contulerunt libros suos*, *et combusserunt coram omnibus* (1). Moneant, ut in tanta, ac tam pervulgata pessimorum librorum colluvie, vigilent, eoque facilius in suspicionem veniant, quo confidentius quosdam sibi libros obtrudi viderint. Doceant plurimos numquam fuisse inter proscriptos libros relatos, qui tamen ex generalibus Indicis Tridentini regulis vetiti sunt. Doceant plurimos esse, de quibus nominatim prohibendis numquam est cogitatum, quos tamen legere per jus naturale, ac divinum non licet, si prudenter timeatur, ne inde in animo cujusquam legentium, aut audientium fidei, vel morum integritas sit corrumpenda. Hoc vero periculum iis omnibus imminet, qui, quidquid in hujusmodi libris latet erroris, ac vitii, non valent internoscere, ac repudiare constanter. Doceant obtentam legendorum hujusmodi librorum facultatem suffragari quidem iis in foro externo; verumtamen eos ipsos peccare, quandocumque ex eorum lectione periculum, quod diximus, imminere prudenter timeant.

(1) *Actor. cap. 19. v. 19.*

IX. Absit vero, ut in re tanta oscitent, desidesque sint Confessarii. Quos idcirco monemus, ut si pœnitentes legendi cupidos deprehenderint, iis se prudenter insinuent, quæque mox diximus, eorum auribus, atque animis sedulo inculcent. Calleant ipsi regulas Indicis, noverint qui sint damnati libri, quo damnatio facta sit nomine, quæ censuræ hac in re sæpius decretæ, quasque præterea sibi Pontifices Maximi reservaverint, tandem quid oneris iis sit impositum, quibus aliquem sine debita facultate vetitos libros aut retinuisse, aut legisse constet. Advertant, quasdam a religione, ac pietate abhorrentes sententias, quæ bonis deplorantibus interdum audiuntur, ex pravorum librorum lectione manare solere.

X. Ex publicis vero, privatisque Magistris cum exspectare debeamus, ne pravos cuiquam auctores legendos proponant, quod si fieret, severitatem nostram minime effugient; tum quoque ex eorum pietate repetere posse censemus, ut cum ad latinitatem, et eloquentiam docendam paganos auctores adhibent, non modo editionibus expurgatis ab iis fœditatibus, quæ Christianorum adolescentium mores inficere possint, utantur, verum etiam identidem, adhibitis opportunis notationibus, commonstrent, quam sæpe in gentilium libris occurrant sententiæ impietatem, crudelitatem, vindictam, arrogantiam, ac vitia fere quæque spirantes, ne forte studiosi adolescentes ex assidua paganorum lectione una cum suavitate, et sermonis elegantia pravas aliquas doctrinas incauti hauriant, et combibant.

XI. Qui autem, facta sibi ab Sede Apostolica facultate, justa ex causa pestiferos, de quibus agimus, libros evolvendos suscipiunt, caveant, ne per hos ullo modo inficiantur. Muniant idcirco se ipsos magna humilitate, prece, doctrina, critice, magnaque animi ab his scriptionibus alienatione; caveantque ab iis quoquo modo commendandis, ne et aliis scandalo sint, et ipsi incidant in suspicionem errorum.

XII. Valebunt autem, quæ mox constituimus, quamdiu omnia serventur, ad submovenda externa fidei pericula. Solliciti ergo enitamur omnes cælestem fidei thesaurum divina gratia collatum, quanta maxima cautione possumus, illæsum custodire; Deumque O. M. enixe precemur, ut errantes, et a fide devios ad Catholicæ veritatis unitatem dignetur revocare.

CAPUT V.

DE BLASPHEMIS, ET SUPERSTITIOSIS.

Gloriæ Dei, quam Christus Dominus quæsivit in omnibus, quamque omni contentione, qui sacris pro ipso ministeriis funguntur, et tueri, et amplificare debent, ratio non patitur, hisce præsertim luctuosissimis temporibus, cum plurimi *aperiunt os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos, qui in cælo habitant* (1), quin adversus tantum crimen insurgamus, neque sinit, aliqua nos de iis constituenda prætermittere, qui cum teterrimo Dei adversario Diabolo quoquo modo pacisci haud dubitant.

I. Et blasphemia quidem, ut pote quæ Deo in se, aut in Sanctis suis considerato non detrahat modo gloriam, sed impudentissime insultet, eo usque atrox, et immane scelus est, ut omnia, quibus in illud et animadverti jussit Deus, et quandoque per sese animadvertit supplicia (2), quamvis extrema, ac gravissima, tamen pro ejus pondere levissima videri merito possint; ac tale est, quod non modo Ecclesiæ, sed etiam sæculi Potestates insectentur, modisque omnibus plectendum curent (3). Nos igitur, quantum in Nobis positum est, gravissimo, extremoque malo cum velimus occurrere, ante omnia ad singulorum memoriam revocamus, quæ sequuntur.

II. Ex duplici ratione, tum lucrandi fratres tam enormiter peccantes, tum multo magis tuendi honoris Dei, obligatio oritur correctionis adhibendæ erga eos, a quibus blasphemiæ audiuntur, et talis adhibendæ correctionis, quæ, conditionibus cum ejus, qui corripiendus est, tum etiam corripientis inspectis, utrique illi fini, et obstruendi blasphemantis oris, et consulendi divino honori maxime habebitur opportuna. Huic divino præcepto ut accuratissime fiat satis, Nos etiam, quanta hac in re pollemus auctoritate, mandamus.

III. Ea vero lege tenentur in primis patresfamilias, parentes, domini, verbo, omnes, qui aliorum curam gerunt, quos interdum adversus sibi subjectos blasphemantes, habita singulorum ratione, oportebit etiam remediis insurgere, quæ sua eorum cuique attribuit auctoritas. Domini vero servos blasphemos, nisi emendatio consequatur, omnino ejiciant.

(1) *Apoc. cap.* 13. *v.* 6.

(2) *Levit. cap.* 24. *v.* 16. *et II. Mach. cap.* 9. *v.* 28.

(3) *Leo X. Const.* Supremæ *XII. Julius III. Const.* In multis *XXIII. S. Pius V. Const.* Cum primum *V. Auth.* Ut non luxurientur homines §. Et quoniam. *col.* 6. *Novel.* 77.

IV. Neque hac obligatione soluti sunt Magistratus sæculares, quos cum S. Pio V. (1) monemus gravissime, ut tanti sceleris pœnas decernant, et sumant, consecuturi, quandocumque hoc fecerint, Indulgentiam annorum decem (2), et a Domino, ob ejus vindicatum honorem, retributionem amplissimam accepturi.

V. Confessarii quoque, quibuscumque ad sacrum tribunal blasphemias deferentibus, quanta maxima poterunt verborum, et sententiarum contentione, atrocitatem hujus iniquitatis aperiant, ut eos provocent ad pœnitentiam; noverintque non esse sui juris absolvere hæreticalium blasphemiarum reos. Blasphemias enim hæreticales absque errore intellectus absolvendas reservamus Nobis, quia tali cum errore Apostolicæ Sedi sunt reservatæ.

VI. Jam et quivis, qui hæreticalem blasphemiam fuisse prolatam sciat, tenetur eum, a quo fuit prolata, Nobis, vel sacræ Inquisitioni denuntiare intra dies triginta. Qui id tempore præscripto non fecerint, præter gravem neglectæ obedientiæ culpam, ipso jure in excommunicationem incidunt, a qua absolvi non poterunt, nisi postquam crimen alterutri foro detulerint (3). Digni quoque erunt, in quos perinde animadvertamus, ac si eos talis criminis reos comperissemus (4).

VII. Novimus vero Nobis etiam nihil, quod in nostra sit potestate, prætermittendum, quo nefarium hocce crimen ex nostra Diœcesi omnino exterminetur. Qua de re pœnis tum pecuniariis, tum aliis corporalibus ad præscriptum Bullæ S. Pii V. multabimus quemcumque, a quo prolatam fuisse blasphemiam legitima probatione constiterit. Quæ vero multæ fuerint exactæ, eæ erogabuntur in causas pias: ac si accusator sit pauper, ex quinque partibus duas eleemosynæ nomine ipsi tribuemus. Omnium vero, qui alicujus blasphemiam ad Vicarii nostri generalis, aut Vicariorum foraneorum tribunal detulerint, nomina silentio prementur.

VIII. Deinde volumus, gravissimeque præcipimus Parochis, et Concionatoribus, ut divini honoris studio succensi, sæpius in exsecrabile hoc vitium invehantur; ejusdemque gravitate, ac magnitudine, tum vero suppliciis, ac minis, quæ in sacris Literis leguntur in mentibus audientium defixis, quantum maxime poterunt, odium, ac detestationem in illud excitent. Quam in rem utiliter explicabunt et formidandas pœnas, quibus vitium hoc Pontifices Maximi profligatum vo-

(1) *Const. cit.*
(2) *Leo X. Const. cit.*
(3) *Edict. S.C.S. Officii.*
(4) *Julius III. ibid.*

luerunt; quasque non erit, cur quisquam ex reis speret a Nobis penitus condonandas.

IX. Nominatim autem indicimus, quidquid in cauponis blasphemando peccetur, fore puniendum; neque solum plectendos blasphemos ipsos, sed alios etiam, qui scientes aliquem esse ad blasphemandum proclivem, eidem, quæ peccandi causa, sive occasio erant futura, suppeditare haud dubitaverint.

X. Et quoniam in scelus nullo modo ferendum summo semper odio flagravimus, cum primum regendam hanc Diœcesim suscepimus, omnem dedimus operam, ut in eam inducerentur, quæ Summus Pontifex Benedictus XIV. ad id penitus tollendum sapientissime commendavit. Hæc alias publice a Nobis edicta, quibus pro sedula Consacerdotum nostrorum pietate jam usu receptis, Synodalium etiam decretorum vim, ac robur adjicimus, distincte recensebimus in Appendice, simulque Indulgentias enumerabimus iis elargitas, qui perfecerint singula ab eodem Pontifice præscripta (1).

XI. Nunc vero omnes, qui puerorum, et adolescentium curam gerunt, monemus, ut iis, quacumque occasione, sanctum, et terribile Nomen Dei summa cum reverentia usurpandum esse insinuent, eosdemque opportune corripiant, si quando accidat, ut ex animi levitate, et quasi per lusum Nomen hoc proferant.

XII. Blasphemis proxime accedunt, qui sacræ Scripturæ verba, et sententias ad profana contorquent, atque convertunt, ut illis ad scurrilia, fabulosa, adulationes, detractiones, superstitiones impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellosque famosos abutantur. Caveant Diœcesani nostri, ne contra eos, tamquam *temeratores, et violatores verbi Dei, juris, et arbitrii pœnis*, ex sacri Tridentini Concilii præscripto (2), insurgere cogamur.

XIII. Jam et ii sunt comprimendi, qui cultum uni Deo debitum in tenebrarum principem transferunt, aut superstitione quacumque pervertunt. Hanc in rem omnium primum edicimus animarum Rectoribus, ut ex Plebibus sibi commissis aniles quasdam, et futiles opiniones eliminent; ac quidquid superstitionis versari inter suos deprehenderint, objurgationibus, minis, divinæ caritatis, providentiæ, honoris conculcati recordatione insectentur. Caveant tamen, ne, dum adversus superstitiones in Ecclesiis loquuntur, ulli audientium scandalo sint; abstineant idcirco ab exponendo distincte, quanam ratione superstitio quæque exerceatur.

(1) *Append. N. VII. pag. 17.* (2) *Sess. IV. de editione, et usu sacror. Libr. in fine.*

XIV. Sunt certe superstitiones multiplicis generis; in eo tamen conveniunt omnes, quod superstitiosi ad effectus, quos volunt, obtinendos illa adhibeant, quæ eorum edendorum nec naturalem a Deo acceperunt virtutem, neque ab ipso per sese, aut per Ecclesiam ad effectus eosdem sunt ordinata. Hinc enim consequitur, quod qui ab hujusmodi rebus effectus illos exspectant, pacto vel aperto, vel tacito ab Dæmone exspectent. Quod quam scelestum, quam periculosum, tum etiam Deo contumeliosum sit, si diligenter declaretur, facile intercludetur via superstitionibus pluribus, iis præsertim, quæ inter Christianos rudes versantur.

XV. Detestentur autem Parochi nefarias superstitiosorum artes, tum vel maxime, cum designatis Dominicis perlegent sacræ Inquisitionis Edictum; moneantque præterea universos Fideles, ut illos, quos easdem exercere, docere, aut de ipsis suspectos esse noverint, Nobis, aut sacræ Inquisitioni intra constitutum tempus deferant, ut juxta sacros Canones, et Apostolicas Constitutiones puniantur (1).

XVI. Interim nequiores quosdam ex superstitiosis, plurium Synodorum exemplo, (ne quid nunc dicamus de Extravaganti Joannis XXII., quæ incipit: *Super illius*,) sic plectimus. Sint ipso facto excommunicati, (cujus quidem censuræ absolutionem Nobis reservamus,) qui peregrinis verbis, seu cujusquemodi signis, aut actionibus hominum mentes commovere, interitum cujusquam, aut morbum inducere, alterius benevolentiam captare, odium in alterum conflare, aut aliud quodcumque alteri malum, aut detrimentum inferre moliuntur, quamvis neque interitum cujusquam, neque morbum, neque amorem, neque effectum ullum sequi inde contigerit.

XVII. Sint item ipso facto excommunicati, qui ad incantationes, sortilegia, magicas artes, ad experimenta necromantiæ, ad aliam quamcumque superstitionem audeant vel Dæmonem expresse invocare, vel sacris verbis, aut rebus quibusvis abuti, quæ sunt pio Ecclesiæ ritu Deo dicatæ, uti essent sacra supellex, ceræ benedictæ, aqua lustralis, Ecclesiæ preces, verba sacræ Scripturæ, multoque magis olea quæcumque sancta, et, quod horrendum sane dictu est, divina Eucharistia. Hanc autem censuram Nobis reservamus.

XVIII. Si quis expresse Dæmonem invocarit, ut aliquid sibi, quidquid illud sit, perficiat, etiam nullo secuto effectu, hic Sacramentalem absolutionem assequi nequaquam possit; hujus enim

(1) *Sixtus V. Const.* Cæli, et terræ *XVII. Leo X. Const.* Honestis *XLIII. Greg. XV. Const.* Omnipotentis *LXXX.*

eidem impertiendæ facultatem Confessariis adimimus, eosque una monemus, ut diligenter exquirant, quamnam Diaboli invocationem pœnitens adhibuerit: contingere enim potest, ut invocationes hujusmodi contineant hæreticales blasphemias, quatenus Diabolo omnipotentiam, vel, ut nuper audiri apud nos cœpit, sanctitatem attribuant. Tunc quippe crimen, si cum errore mentis fuerit conjunctum, est Sedi Apostolicæ reservatum.

XIX. Quandocumque vero ad Confessarium hujusmodi pœnitentes accesserint, onus ipsis injungat ad forum nostrum, aut sacræ Inquisitionis deferendi, quos habuerint malarum istarum artium adjutores, doctores, auctores.

XX. At si Dæmones adjurare deprecando non licet, nec fas est cum illis fœdus ullum inire; licet tamen spiritus hosce nequam adjurare imperando, et compellendo, ne nobis spiritaliter, aut corporaliter noceant. Si qui ergo inter Catholicos male habeantur a Dæmone, utendum est exorcismis ab Ecclesia constitutis ad inimici virtutem comprimendam, ipsumque ex ejus, quem invaserit, corpore abigendum. Quicumque autem tantum imperium exercere aggrediuntur, sancti sint corpore, et animo, ne cum ab aliorum corporibus Dæmones expellunt, quidpiam sui juris in eorum moribus inimicus valeat vindicare. Interea, ut hujusce generis exorcismi, si quando habendi sunt, prudenter, religiose, ac rite, ut par est, peragantur, hæc constituimus.

XXI. Primo nemo Clericorum, aut Sacerdotum sive sæcularium, sive regularium numquam, sive in sua, sive in aliena Ecclesia, sive extra Cœnobium, sive intra audeat exorcizare, nisi facultatem Nos illi, inque scriptis dederimus sub pœnis arbitrio (1).

XXII. Qui ad id fuerint a Nobis probati, explorent in primis quinam sint ejus, qui exorcizandus offertur, mores, num vere sit energumenus, an potius agat vi morbi, aut per simulationem (2). Cui rei cognoscendæ proderit prudentis medici rogare consilium.

XXIII. Cum vero malo cum spiritu agi constiterit, curabit, ut energumenus, si mente valeat, sæpius Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramentis se muniat (3), aliasque illi, quoad ejus fieri poterit, exercitationes imponet, pias nimirum preces, in Ecclesiis præser-

(1) *Ex Encycl. S. C. S. Officii* 25. *Junii* 1710.

(2) *Rit. Rom. tit. de Exorciz. obsess.* §. In primis.

(3) *Ibid.* §. Admoneatur.

tim, ubi Sanctorum Reliquiæ asservantur, tum etiam jejunia, præcipue feriis sextis, aliasve, prout videbitur.

XXIV. Ipse autem Exorcista pridie illius diei, quo exorcismum instituturus erit, jejunio, et oratione se præparet, animam sacramentali Confessione expiet, neque exorcismum incipiat, quin eo die, si potuerit, Sacrum fecerit. Tum vero munere, ad quod est vocatus, fungatur, sed graviter, pie, et summa in Christum Dominum fide. Si plures ei offerantur exorcizandi, non exorcizet omnes eodem tempore, sed unumquemque singillatim, ac seorsim.

XXV. Habebit quoque temporis, ac loci rationem. Et tempus quidem sic servabit, ut exorcismum faciat neque ante solis ortum, neque post occasum. Locus deinde sit amplus, atque conspicuus, eritque publica Ecclesia a Nobis constituta. Caveatur vero, ne in ea adsit multitudo; sed in exorcismo marium adsint unus, aut duo Ecclesiastici, itemque duo, tresve alii ætate, ac pietate spectati viri. In exorcismo autem fœminarum tres, aut quatuor partim mares, partim fœminæ probatiores, et hæ quidem omnes, quoad fieri potest, consanguinitate, aut affinitate conjunctæ energumenæ; et nemo curiositate quadam ductus huic sancto operi præsens sit.

XXVI. Tandem præcipimus, ne alia omnino ratione, seu ritu exorcismus umquam agatur, quam eo, qui legitime, sanctissimeque constitutus extat in Rituali Romano, a quo vel minimum deflectere nefas habendum (1).

CAPUT VI.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Scientia salutis cum scientiarum omnium est præstantissima, tum vero præ cæteris est maxime necessaria, imo ipsa sola prorsus est necessaria. Docuit hanc homines Christus Dominus quamdiu visibiliter egit in terris, ex quibus deinde recessurus ad Patrem, pro omni sibi data potestate in cælo, et in terra præcepit undecim Discipulis (2), ut omnes gentes docerent, quæ ipse mandaverat, easque ad hæc omnia servanda traducerent. Hujus autem præcepti obligatione, quæ ad futura etiam tempora pertinebat, et pertinet, animarum Rectores præcipue ex officio tenentur. Quibus idcirco duplex, et utrumque gravissimum est munus impositum, alterum Christianæ doctrinæ ele-

(1) *Tot. tit. de Exorciz. obsess.*

(2) *Matth. cap. 28. v. 19. et 20.*

menta tradendi Fidelibus præsertim indoctis, et rudibus; alterum pascendi populum Christianum verbi Dei prædicatione, cujus vi ad præcepta, et *legem vitæ*, *et disciplinæ* (1) de integro servandam per Dei gratiam excitetur. Atque ad Christianam institutionem, sive doctrinam, et Catechismum quod attinet, quamvis, ut is opportune tradatur, Synodalibus Constitutionibus cl. mem. Cardinalis Rufi salubriter est provisum; tamen ne contingat, ut pernecessarii negligatur observantia præcepti, vel parum apte parvulis, adultisque rudibus lac ministretur, panisque frangatur Christianæ doctrinæ, superiori jam anno publicato Edicto præcepimus, quæ circa ipsam volumus observari. Horum epitomen proponemus in Appendice (2); nunc dumtaxat hæc magis generalia mandamus.

I. Parochus quivis sive sæcularis, sive regularis, cum in Civitate, tum in Diœcesi totam doctrinæ Christianæ tradendi provinciam sibi ipsi sumat (3), Nosque, ut officium hoc plane dimittat, alterique credat, non aliter sinemus, quàm si cogat ætas decrepita, vel alia prægravis causa a Nobis ipsis probanda.

II. Curet idem, quam maxime poterit, puerorùm frequentiam, et profectum. Faciat itaque, ut parentes puerorum plane intelligant, se in maximo æternæ damnationis periculo vivere, si per inhumanam, et impiam negligentiam ab necessario cælestis vitæ pabulo propriam prolem quomodocumque avertant, aut etiam retardent. Neque vero dissimulet, sed palam edicat, parentibus ante alios omnes incumbere onus Christianæ institutionis pueris suis tradendæ per sese, sive per alium, a quo fideliter, accurateque erudiantur. Faciat quoque, ut cognoscant, rem fore optimi exempli, si parentes eo suos filios deducerent, ubi publice traditur Christiana doctrina; cui si et ipsi interessent, possent deinde a pueris exquirere quidnam didicerint, possentque ea, *quæ ad Christianam doctrinam pertinent*, *sedulo edocere*, *eadem crebro*, *quæ illos Parochi edocuerint*, *repetentes* (4).

III. Est autem prorsus eadem, parique ratione a Parochis inculcanda obligatio tutorum in pupillos, et dominorum in famulos (5), tum patrinorum quoque, cum necesse erit, in eos, pro quibus fidejussores in Baptismate, vel Confirmatione intercesserunt.

IV. Volumus autem, ut in sua quisque Parœcia institutionem

(1) *Eccles. cap.45. v.6.*
(2) *Append. N.VI. pag.10.*
(3) *Trid. Sess. XXIV. cap. 4. de Ref. Bened. XIV. Const.* Etsi minime §.3.
(4) *Conc. Rom.* De sum. Trinit. et fide Cath. *cap.4.*
(5) *Vid. cap.1. hujus Syn. n. 10.*

Christianæ doctrinæ suscipiat; ac peropportunum judicamus, ut Parochi in libello ad hoc sibi parato nomina describant puerorum omnium, ac puellarum ab anno ætatis sexto ad decimum septimum, intra quod tempus omnes ad Christianam doctrinam compelli volumus. Libellum vero illum quotannis renovent, in eoque notent singulos, qui singulis vicibus absunt. Aberunt sæpissime aliquot, quos bonus Pastor conveniat, cognoscatque causam, cur quisque desideratus sit. Si justa illa fuerit, monebit, ut ea sublata alacer redeat; sin vero inepta, aut perversa, redarguat, omnique ratione excitet, ne desint in posterum. Qua vero ratione cum contumacibus sit agendum, in Epitome citati Edicti nostri præcipimus.

V. Jam si quis decimum septimum annum exegerit, nequaquam illico ab audiendo Catechismo se exemptum existimet. Parochus cognoscat, quos oporteat detineri diutius, eosque detineat: publice significet, hoc in sua esse positum potestate, neque sibi licere quemquam a Christianæ doctrinæ institutione dimittere, a quo eam probe teneri non intellexerit.

VI. Neminem ad Clericatum admittemus, nisi idonea testificatione constiterit, eum Christianæ doctrinæ rudimenta callere. Neminem Clericum, nisi assidue Christianæ doctrinæ se interfuisse, vel in ea tradenda Parochum adjuvisse, prout ei fuerit demandatum, legitime probaverit, ad altiores Ordines promovebimus.

VII. Sacerdotes, ut hoc ipsum præstent paterno plane affectu monemus, hortamur, et, si hoc quoque a Nobis exspectent, obsecramus, quique id præstiterint, iis, ubi occasio se dederit, caritatis nostræ argumenta præbebimus ampliora, atque eorumdem studii, ac diligentiæ in hoc opus rationem, ut a Benedicto XIV. monemur (1), præcipuam habebimus in iis conferendis, quæ in nostra sunt potestate, tum etiam in eorum tam necessaria in re diligentia iis significanda, quibus jus est nominandi ad Ecclesiastica Beneficia.

VIII. Adolescentulas item, nisi probaverint, se et frequentasse Christianam doctrinam, et satis hac esse informatas, arceri a subsidiis dotalibus volumus. Iis nimirum omnibus, quibus curæ est dotes pie relictas distribuere, juxta Pontificum sanctiones (2), prorsus interdicimus, ne puellarum cuilibet, quæ idonea testificatione id non doceat, dotem ullam impertiant.

IX. Tempus tam sancto operi instandi sunt saltem dies omnes

(1) *Const. cit. et Inst. IX.*

(2) *Ex Edictis Innoc. XI. 1676. Clem. XI.* 1701. *Clem. XII.* 1730. *et ex plurib. Synod.*

Dominici, aliique ex præcepto Festi. Intermitti tamen sinemus die Paschatis, itemque die Nativitatis D.N.J.C., cum hæc in Dominicum diem incidat.

X. Tradatur autem Catechismus hora pomeridiana, ejusque signum detur sonitu æris campani: quo tempore Parochi duos, tresve pueros, præsertim Clericos mittent, qui vicos, et compita Parœciæ lustrent, quique et campanulæ sonitu, et voce indicentes parentibus gravissimam paulo ante commemoratam obligationem, pueros ad Catechismum invitent. Erit vero optimum, si eos probatus vir aliquis comitetur.

XI. Quibus limen Ecclesiæ ingredientibus præsto semper sit Parochus, sive doctrinæ Præfectus, tamquam parens suos filios exspectans; tum simul alii Operarii suis quemque classibus disponant, uti Parocho, sive Præfecto fuerit visum. Classes pro instituendorum numero, et ætate, rerumque tradendarum varietate plures sint, sive pauciores, loci intervallo, quoad hoc fieri poterit, ad confusionem omnem removendam, sejunctæ. Unaquæque discipulos comprehendat non plures ferme, quam decem; et aliæ sint classes puerorum, aliæ puellarum. Classibus, quæ mares habent, ad docendum præficiantur viri; classibus vero, quæ habent fœminas, quantum fieri potest, fœminæ præficiantur.

XII. His ita compositis, habeantur in quavis classe consuetæ exercitationes, quas, ne inducatur varietas, depromi volumus ex doctrina Christiana, quam jussu Clementis VIII. Cardinalis Bellarminus conscripsit, quamque retinendam a Benedicto XIII. (1), et Benedicto XIV. (2) statutum est. Tum vero duo, alter hinc, alter e conspectu inde assurgant, aliquam illius Doctrinæ partem memoriæ commissam recitaturi, utroque vicissim interrogante, ac respondente; quo tempore Parochus, vel alius nomine suo, indicem, de quo paulo ante, circumferens, absentes notabit.

XIII. Quod si, ut summa cum animi exultatione pluribus in locis perspeximus, ad horam Catechismi in Ecclesiam conveniant adulti quoque tenentes jam summam Christianæ doctrinæ, hos Parochus, dum exercitationes puerorum illæ agentur, erudiet, vel erudiendos curabit catechesi ampliore, informabitque penitiore, prout ipsorum captus feret, Evangelicarum veritatum notitia.

XIV. Post hæc Parochus ipse, vel Præfectus explicabit omnibus aliquem doctrinæ Christianæ articulum fuse, populariter, facillimo,

(1) *In Conc. Rom. ibid.* (2) *Const. cit.* §.17.

demissoque sermone, perque interrogationes ut plurimum. Meminerint vero hic quicumque pueris institutionem tradent Christianam, ut et ipsi parvuli fiant, utque potius blandientes pueris, quam increpantes, aut imperantes appareant.

XV. His vero omnibus exercitationibus perficiendis hora ad minus integra tribuatur.

XVI. Quo tempore a foro, a viis, multoque magis ab areis ante Ecclesias, in quibus Christiana institutio traditur, quam severissime prohibemus ludos, cantus, saltationes, strepitus, spectacula quælibet, quæ populum facile avertunt; perque idem tempus tabernas volumus clausas esse, et ne secretum quidem aditum ad illas concedi. Sumemus autem gravissimas pœnas æque ab iis, qui admittentur, atque ab iis, qui audebunt admittere.

XVII. Considerantes nunc agrestes homines, qui non semper ad Christianam institutionem, quæ in Parochiali Ecclesia habetur, convenire queunt, præcipimus, ut in singulis Oratoriis, in quibus fidei, spei, et caritatis actus in quavis Missa diebus de præcepto Festis jussimus recitari (1), in iisdem, post lectum Evangelium Missæ, tradatur parvus Catechismus, qui in Appendice habetur (2): quem Catechismum recitatione memoratorum actuum concludi mandamus. Parochorum autem erit, num hæc perficiantur, sedulo inquirere; Nostrum vero de iis pœnas sumere, qui eadem præstare detrectabunt (3). Et ne salutare pabulum iis desit, qui perpetuo occupantur gregibus in agro pascendis, quique diebus Festis solent ad primam Missam accedere, perficiant Parochi, ut in Parochiali eadem in Missa una cum actibus Theologicarum virtutum Catechismus idem tradatur statim, ut mox dictum, a lecto Evangelio.

XVIII. Qui autem pueros, aut puellas in scholis instituendos suscipiunt, meminerint, teneri se illis tradere etiam Christianam doctrinam semel saltem in hebdomada (4). Parochi vero scholas illas identidem adeant, deque hujusmodi officio rationem poscant. Ad Magistros autem, ac Magistras quod attinet, diebus, quibus Catechismus habetur in Parochialibus, ad eas discipulos, ac discipulas sive mittant, sive etiam deducant, adjuventque, ut res postulaverit, Parochos in opere saluberrimo perficiendo.

(1) *Synod. cap.1. n.5. et 6.*

(2) *Append. N. V. pag.7.*

(3) *Conc. Rom. tit. 1. Lambert. Inst. plurib. S.C.C. in* Neritonen.*3. Dec.1757.*

(4) *Ex Leon.X. Const.* Supernæ. *Vid. Bened.XIV.ead.Const. §.7. et S.C.C. apud eumdem Inst.IX.*

XIX. Omnium etiam piorum Locorum Præfecti operam dent, ut diebus de præcepto Festis, aut aliis opportunioribus alumni sui Christianam doctrinam doceantur.

XX. Unum etiam genus hominum superest, quos in re maxime necessaria prætermissos nolumus, ne iis ullum a Nobis paternæ caritatis indicium defuisse videatur. Sunt autem quidam ætate provecti, fide tamen adhuc parvuli, ac fluctuantes, qui necessaria ad salutem, quæ sine æterno animarum discrimine ignorare non licet, damnando pudore victi verentur addiscere. Utrum horum quisquam in Plebe sua extet, sagacissime investiget sedulus Pastor; ac si quos in tenebris jacentes deprehenderit, hosce, præsertim senes, opportune studeat convenire, eosdemque privatim, ad erubescentiam prohibendam, instruere, vel eos ad se, hiberno præsertim tempore, accire erudiendos in omni patientia. Verum quid singulis quibusque temporibus, locis, causis agere expediat, Pastorum nostrorum caritatis, atque prudentiæ erit cognoscere, et exequi.

XXI. Quod ad Nos ipsos attinet, ut decreta hæc observentur, instabimus, et cum in Civitate, vel in aliis Diœceseos locis commorabimur, scholas Christianæ doctrinæ lustrabimus; volumusque solemne quotannis specimen dari, quo constet quid pueri, quidve puellæ profecerint. Id duplici generali disputatione absolvetur, altera a pueris, altera a puellis habenda. Erit utraque de doctrina Cardinalis Bellarmini cum ordinatim, tum etiam turbato ordine rerum, quæ in ipsa traduntur. Dabimus quoque operam, ut, si fieri poterit, Sodalitium instituamus a S. Pio V. (1) Præsulibus omnibus commendatum, cui summæ sit curæ opus tradendæ Christianæ doctrinæ.

XXII. Nobis sane alia nunc non occurrunt, quæ constituamus, ut omnes omnino curæ nostræ concrediti probe informentur institutione Christiana; quæque sunt hactenus sancita, ab iis, ad quos pertinebit, et in primis a Parochis quam diligentissime observanda confidimus. Post hæc tamen adhuc maxime formidamus. Ecquis enim certos Nos faciat, nullos etiamnum futuros in Christo filios, ad quos industriæ hujus nostræ, nostrorumque laborum fructus non sit perventurus? Væ autem Nobis Pastoribus, si qui vitio nostro in rerum, quæ ad æternam salutem sunt necessariæ, ignoratione versentur, in eaque adolescant, viri fiant, consenescant, vivant, moriantur! Horum perditionis Nos erimus rationem reddituri, et eorum sanguis ab æterno Pastore de manu nostra exquiretur.

(1) *Const.* Ex debito *CXXXVII.*

CAPUT VII.

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

Prædicationis verbi Dei, quæ apud Fideles habetur, siquidem diligenter, et, prout oportet, expleatur, is fructus est, ut in fide illi firmentur, ut excitentur ad virtutes, retrahantur a vitiis, ut adducantur *ad ambulandum digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei* (1); magnis idcirco, et pernecessariis fungi debent officiis, quibus sit ejus munus impositum. Nostræ autem nunc partes sunt, ut ab eo arceamus illos, per quos exerceri non debet, ut illorum, ad quos pertinet, aut pertinebit, sedulitatem, et contentionem ad id exercendum acuamus, iisdemque rite prædicandi modum ipsum, et formam commendemus. Quare ad Dei gloriam, animarumque salutem hæc edicimus.

I. Cum prædicationis munus ad Ecclesiæ Pastores præcipue spectet, id sibi Laici, quicumque sint, præterquam temerario ausu sumere nequeunt. Cum vero neminem etiam ex Clero deceat prædicare, nisi mittatur (2), vetamus quemcumque, excepto Parocho intra Parœciæ suæ fines, prædicare in hac Civitate, aut Diœcesi, sive in Ecclesiis, sive privatim in Oratoriis, etiamsi Parochi annuant, et fuerit ipse alias ad id muneris probatus, nisi expressam a Nobis, aut a Vicario nostro generali facultatem fuerit consecutus.

II. Regulares quoque in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare non possunt, nisi, Superioribus suis annuentibus, facultatem ab Episcopo acceperint (3). Conciones autem ad populum in suis Ecclesiis, contradicente Episcopo, etiamsi Superiores ipsorum annuerent, non habeant, eoque minime contradicente, ad id muneris a Superioribus suis designati benedictionem ab Episcopo petant (4). Quod si, Episcopo contradicente, concionari ad populum vel in suis Ecclesiis auderent, posset Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus in concionantem animadvertere censuris, aliisque Ecclesiasticis pœnis (5). Hæc quidem, ut etiam Regularium prædicatio secundum ordinem habeatur. Cæterum quod ad populum con-

(1) *Coloss. cap. 1. v. 10.*

(2) *Cap.* Cum ex injuncto 12. *de hæreticis.*

(3) *Trid. Sess. V. cap. 2. de Ref. Greg. XV. Const.* Inscrutabili *XVIII. Clemens X. Const.* Superna *X.*

(4) *Trid. ibid.*

(5) *Greg. XV. Const. cit. Clem. X. Const. cit.*

ciones habeantur, eæque frequenter, cum Nobis pergratum est, tum ab Regularibus in suis Ecclesiis cum fructu semper habendas speramus, et præsertim optamus, ut in iis ipsorum Ecclesiis, ad quas frequenter populus confluit, sint qui post Vesperas breviter aliquid populo dicant excitandis ad vitiorum fugam, vel ad virtutum exercitationem animis accommodatum.

III. Quo tempore ad populum suum verba facit Episcopus, eo Regulares quoque vel in suis Ecclesiis debent tacere (1).

IV. Parochi vero, quique eorum vices explent, cum in Civitate, tum in Diœcesi, diebus saltem Dominicis, Festisque solemnibus prædicent sacrosanctum Jesu Christi Evangelium (2); neque se hoc onere liberos putent, quia sacræ alibi conciones habentur (3). Confidimus plane eos et diligentes, et assiduos futuros hac in re sane gravissima, cui si quis graviter desit, nostræ animadversioni obnoxius erit, et divinam certe ultionem non effugiet.

V. Hoc autem munus impleant Parochi ipsi per sese: si quo tamen die se impediendos prospexerint, sufficiant, qui apte suppleat; neque facile vel unum dierum, quos diximus, sine sacra ad populum concione elabi patiantur. Si diutius legitime futuri sint impediti, quem sibi sufficiant a Nobis omnino impetrent.

VI. Quas res populo tradere, quemque tenere in dicendo modum Parochi debeant, Concilium Tridentinum perspicue docuit. Præcepit nimirum, ut statis per annum diebus, lecto Missæ Evangelio, *ipsi plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis docendo ea, quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, annuntiandoque cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cælestem gloriam consequi valeant* (4).

VII. Hoc vero sacrosancti Concilii præceptum Christiani oratores, quam maxime poterunt, servent omnes, ne eorum prædicatio inanis evadat. Quod enim ex Evangelii prædicatione exiguus sæpe, interdum etiam nullus sequatur fructus, dolendum est, haud admodum raro ex eo proficisci, quod oratores suo desint muneri. Non omnes prædicant Jesum Crucifixum: sunt qui speciem Evangelicorum operariorum publice induere, ac præ se ferre nituntur; quemadmodum

(1) *Vid. Bened. XIV. de Synod. lib. 9. cap. 17. n. 7.*

(2) *Vid. Trid. Sess. V. cap. 2. de Ref. et Sess. XXIV. cap. 7. de Ref.*

(3) *Innoc. XIII. Const.* Apostolici ministerii, *de qua Lambert. Inst. X.*

(4) *Trid. Sess. V. cap. 2. de Refor.*

tamen animus aliunde afficitur, ita et oratio, et actio simulata deprehenditur, inani tantum facundiæ lenocinio, atque fucatis, ut lamentatur Gregorius, sermonibus illita. Quod vitiosissimum dicendi genus utinam a Christiano oratore ablegare possemus! At si quæ in iis, qui a Nobis mittentur, damnosiora vitia constabunt; si nimirum constiterit eos scurrari, fabulari, sacras Scripturas ad alienos sensus detorquere, populos aut novis, aut dubiis doctrinis perturbare, errores, (quod Deus avertat,) serere, aliave id genus, hæc impunita profecto numquam abire patiemur.

VIII. Quamquam gravissime etiam vetamus ab iisdem aut miracula minus certa, aut apocryphas historias narrari, vel etiam recentiores, quas evulgari a Nobis concessum non sit (1): itemque prohibemus, Processiones, Indulgentias, aut alia hujusmodi annuntiari sine nostro, aut Vicarii nostri generalis mandato.

IX. A subtilioribus quoque, obscuris, ac difficilioribus tractationibus, in quibus frustra horam consumerent, ipsos volumus abstinere. His nimirum sublatis, superest amplissimus plane ager, unde uberrima vitiorum seges excidatur, et in quo ipso virtutum omnium semina vel jaciantur, vel excolantur. Monemus tamen eosdem peccatum aliquod insectaturos, ut caveant, ne specie redargutionis, aut correctionis detractionem obvolvant, sic adjuncta ejus describentes, ut notari quispiam possit nominatim; caveantque multo studiosius, ne Ecclesiæ Dei Prælatorum, Sacerdotum (2), Magistratuum sæcularium, aut quorumcumque aliorum famæ quoquo modo detrahant, aut injuriam illis inferant. Abstineant quoque ab adulatione quacumque: dedecet enim vel maxime assumptos ad ministerium verbi Dei esse *in sermone adulationis* (3).

X. Peccata porro prudenter, graviterque insectentur omnia, et ex his omnibus in illa distincte, acriusque invehantur, quæ aut sunt communiora, iniquos contractus, furtorum diversa genera, odia, impudicitiam, blasphemias, ebriositatem, scandala, aut in quæ unaquæque gens, ad quam missi sunt, proclivior esse videatur. Ita vero hoc defungantur officio, ut simplicibus novæ non ingerantur malitiæ, neque novæ culparum viæ aperiantur. Curabunt vero præcipue, si quæ in populo inoleverint judicia perversa, divinæque legi contraria, quæ tamquam axiomata circumferantur, ut quam absurda ea sint

(1) *Ex S. Carol. Conc. Prov. I. par. 1.* De prædic. verbi Dei, *Synod. nostra Ferrarien. aliæque plures.*

(2) *Conc. Later. V. Sess. XI.*

(3) *I. Thess. cap. 2. v. 5.*

demonstrent, utque ii, a quibus recepta, probataque erant, sanæ mentis evadant.

XI. At vero, quanta maxima poterunt contentione, adhortentur, excitentque Fideles ad ea, quæ Christiani ædificii fundamentum sunt, et robur; videlicet ad exercendas virtutes Theologicas, ad Christianæ doctrinæ studium, ad Sacramenta rite suscipienda, ad Templorum, rerum, personarumque sacrarum venerationem, ad prolem in omni pietate educandam, ad caritatem, atque humilitatem. Nominatim vero præcipimus omnibus, qui concionandi per Quadragesimam munus in Civitate, ac Diœcesi exercebunt, ut a Dominica Passionis ad Dominicam Palmarum Catecheses ad populum habeant octo, ex quibus discat, quemadmodum comparare se debeat ad suscipienda Sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ præsertim in Paschate, quibusque ipsis ad ea, quæ didicerit, diligenter perficienda moveatur. Quo tempore habebuntur hæ Catecheses, cauponæ, tum etiam tabernæ omnes sint clausæ; neque commodum, præsertim rudibus, fiat conveniendi per idem tempus in domos, vel apothecas. Qui contra fecerint, arbitrio punientur.

XII. Denique, ut Prosperi verbis utamur, verbi Dei præcones *non vocibus delectentur populi sibi acclamantis*, *sed fletibus*, *nec plausum a populo studeant exspectare*, *sed gemitum* (1). Tum scilicet præclarissime secum actum judicent, si lacrymas ex oculis audientium eliciant, si ipsos adducant ad Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramenta crebrius, ac fructuosius suscipienda, ad restituenda aliena, si ad pacem, condonatis injuriis, revocent, si tandem ab proximis omnibus peccandi periculis removeant.

XIII. Sanctæ mem. Pius VI. P. M. jussit, a Concionatoribus quater in anno, bis scilicet in Adventu, et bis in Quadragesima excitari Fideles ad eleemosynarum subsidia impertienda sanctissimis asservandis locis in Terra sancta, quæ infidelium subest ditioni; jussitque a Parochis itidem quater in anno eleemosynas hujusmodi commendari (2). Faciant vero id Concionatores in concionibus semper distinctis; itemque Parochi faciant id ipsum diversis temporibus, et in quatuor distinctis sermonibus, quos inter Missarum solemnia ad populum habebunt. Utrique miseram exponant conditionem tum eorum locorum, tum Fidelium ibi degentium. Concionatores præterea non omittant consuetas eleemosynas petere Christianis e barbarorum captivitate redimendis.

(1) *Lib. I. de Vit. contempl.*

(2) *Const.* Inter cætera 31.*Julii* 1778.

XIV. Si quæ autem occurrant peculiares causæ, pro quibus petenda judicetur eleemosyna, eas ad Nos, aut ad nostrum Vicarium generalem deferri volumus; qui, cum oportuerit, rogati faciemus petendi facultatem (1); sine qua extraordinarias in Parochiis peti eleemosynas omnino vetamus.

XV. Illud nunc vehementer urgemus, ne quando quæsitæ eleemosynæ finis immutetur. Acerbi certe quidem doloris causam Nobis pauperum clamores præberent, si qui in alienum traducerent compendium, quod in pauperum subsidium fuerit a populorum pietate erogatum.

XVI. Concioni statuatur hora, quam maxime poterit, opportuna populo, cujus frequentia curanda est. Si habeatur hora pomeridiana, nullo sit impedimento doctrinæ Christianæ. Noctu, nisi consentientibus Nobis, nulla umquam habeatur concio (2). Provideant Parochi, ne forte concionis tempore quovis strepitu, aliisve causis aut molestia dicenti, aut audientibus distractio procreetur. Quin imo nulla interim Missa celebretur; nullus cantus intra, aut prope Ecclesiam fiat; et ne Fidelium quidem Confessiones excipiantur. Pœnæ juliorum ad minus quinque subjicimus, qui per id tempus in Civitate, locisque Diœcesis, illorumque suburbiis quoquo modo ludere publice audeant; optamusque, ut diebus etiam feriatis per hoc ipsum tempus mercatorum, et artificum quorumcumque officinæ maneant occlusæ: siquidem diebus de præcepto Festis id omnino præcipimus, pœnasque arbitrio sumemus a singulis quibusque, qui contra fecerint.

XVII. Omnes nunc dilectissimos Diœcesanos nostros, juxta Concilii Tridentini præscriptum (3), paterno animo in Domino hortamur, ut memores illorum Christi verborum: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, ad Ecclesiam dum conciones habentur conveniant. Gravissime enim feremus, si qui essent, in quos ejusdem Christi caderet formidanda illa exprobratio: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (4). Sed Dignitatibus, et Canonicis omnibus Cathedralis, atque Diœceseos districte mandamus, ut habitu chorali induti, dummodo legitimo non detineantur impedimento, capitulariter intersint concionibus, quæ per Adventum, et Quadragesimam habentur: qui secus fecerint, punctationi subjaceant. Cæteros item Ecclesiasticos omnes vehementer hortamur, et obsecramus, ut ad au-

(1) *S. Car. ibid.*

(2) *S. Car. ibid. S. C. Episc. in* Castr. *1629. Synod. Pr. enest. sub Ruso hoc tit. c. 8.*

(3) *Sess. XXIV. cap. 4. de Refor.*

(4) *Joan. cap. 8. v. 47.*

diendum verbum Dei alacres confluant, sintque aliis omnibus incitamento, atque exemplo. Invisam certe quidem de se opinionem Ecclesiasticus vir non modo Nobis, sed et populo ingereret, si, cum alii Evangelico semini spargendo allaborant, ipse in foro, in plateis otiari, perque vias evagari conspiceretur.

XVIII. Jam vero qui mittentur verbi Dei Præcones, ad suas quique Parochias tempore accedant. Hos humanissime Parochi excipiant, ut *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1); utque Parochiales incolant ædes, ubi commode possit, invitent, liberaliterque hospitentur. Quod si aliter faciendum sit, numquam illos, nisi honestissime, atque a sæcularium, præcipue mulierum consortio, rerumque tumultu sejunctos habitare permittant.

XIX. Quemadmodum quidquid stipendii quavis sive juris, sive consuetudinis causa Concionatori debetur, fideliter illi solvendum est, quin detrahatur quidquam sine nostra auctoritate (2); ita quæstum quemcumque fieri Concionatori ultra fines Parochiæ, in qua operam suam insumpsit, plane vetamus.

XX. Ab ipsis vicissim Concionatoribus non exspectamus modo, sed etiam exigimus, ut summa degant caritate cum Parochis, ne ulla umquam in re sint illis importuni, aut molesti, verum iisdem præsto sint in subeundis conjunctim Ecclesiasticis curis, atque laboribus, et cum primis in audiendis Confessionibus.

XXI. In cæteris exemplum sint bonorum operum: a familiaritate fœminarum, atque aliorum sæcularium, a splendidis conviviis, a venatione, a ludis, a spectaculis abstineant; universæque eorum vitæ ratio ea sit, quæ cum Evangelicis, quas annuntiant, veritatibus plane consentiat, ne factis destruatur, quod verbis ædificare tantopere elaboramus (3). Quidquid porro in his rebus peccetur, Parochi Nos citissime admoneant.

XXII. Tandem ut Apostoli *convenientes ad Jesum renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, et docuerant* (4); ita etiam qui a Nobis mittentur Apostolici homines, ut laboribus suis exactis ad Nos revertantur, et optamus, et petimus. Consolabimur autem in Domino, iisque gratulabimur in fructu, quem retulisse, et in singulis, quæ in Dei gloriam præclarius ipsos gessisse audiemus. Neque vero minus cupimus ex iisdem discere, quæ ad augendum Dei cultum, animarum-

(1) *I.Corinth. cap.4. v.1. Lambert. Instit. XVII.*

(2) *S. C. C. in* Viterbien. *ann.1628.*

(3) *Lambert. Instit. XXVII. a n. 10. ad 16.*

(4) *Marc. cap.6. v.30.*

que profectum perficere vel necesse sit, vel expediat. Si qui venire nequeant, de hisce omnibus certiores Nos per literas faciant.

CAPUT VIII.

DE SCRIPTURÆ SACRÆ LECTIONE.

Quod sacrosancta Tridentina Synodus edixit, ut in Cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa foret, atque etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, si ibi Clerus esset numerosus, præbenda constitueretur, et deputaretur pro lectionibus sacræ Scripturæ (1); id jam dudum in Cathedrali nostra ad mentem ipsius Concilii factum fuit, instante clar. mem. Prædecessore nostro Cardinali Marco Antonio Columna, tum vero, Excellentissimo Principe Philippo Columna liberalissime non solum assentiente, sed etiam ut assensus suus perpetuum haberet robur, providente, superioribus annis perfectum quoque fuit in duabus insignibus Collegiatis oppidorum Paliani, et Cavarum. Dissimulare tamen omnino non possumus summam animi lætitiam, qua videmus cælestem sacrorum librorum thesaurum commemoratis in locis non jacere neglectum, sed opportune impendi in Cleros, ac populos; vehementerque urgere debemus, ut quoties, juxta sacros Canones, hoc faciendum sit, toties fiat, utque ea fiat ratione, quæ Fidelibus cum erudiendis, tum vero melioribus reddendis erit aptissima. Has ob causas districte mandamus:

I. *Ut provisi de præbenda Theologali quadraginta saltem quotannis lectiones publice in Ecclesia habere teneantur per se ipsos, sin minus per idoneos alios, quos Episcopi substituant* (2). Canonici idcirco Theologi disponant numerum lectionum, de quibus agitur, per annum, nisi aliud locorum,temporumque indigentia per Nos, aut Vicarium nostrum generalem perpendenda suaserit. Quem quidem numerum, quoad fieri potest, sub pœnis in Constitutione Benedicti XIII. inflictis servari volumus (3). Ipsæ vero lectiones habeantur, ut moris est, de suggestu.

II. Quem sacræ Scripturæ librum, vel quamnam libri partem erunt singuli explicaturi, Nobiscum communicent. Eam vero ineant explicandi rationem, qua, literalis sensus expositione præmissa, eas quæstiones seligant, quarum tractatio ad fidem roborandam, et ad Christianos informandos mores referatur; ita ut non audientium eru-

(1) *Trid. Sess.V. cap.1. de Refor.*
(2) *Conc. Rom. tit.1. cap.7.*
(3) *Constit.* Pastoralis officii *in Append. ad Concil. Rom. n.2.*

ditioni dumtaxat, sed potissimum æternæ ipsorum saluti prospiciatur. Curent tamen, ne lectionum loco obtrudant conciones (1).

III. Id vero ipsis, ut cæteris omnibus, qui Dei verbum annuntiant, districtissime indicimus, ut summa diligentia servent decretum hac de re ab sacrosancta Tridentina Synodo editum, in quo sic habetur (2): *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, et morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.*

IV. Interim quibus diebus lectionem habebunt, si nolint Choro cum aliis interesse, ut accuratius ad suum munus se præparent, non idcirco ulla distributionum parte priventur, quas sibi acquirunt, qui Chori officio actu intersunt, ac serviunt.

V. Imo vero eadem de causa nequeunt ad Capituli negotia procul a locis, in quibus munus obtinent, ablegari (3); reliqua tamen, quæ ab eodem Capitulo officia demandantur, ut cæteri, peragant (4).

VI. Nunc ne harum solemnium lectionum inanis sit labor, fructusque aut exiguus, aut etiam nullus, omnes in Domino hortamur, ut ad eas confluant. Quod quo facilius obtineatur, qui lectiones Scripturæ ad populum habent, eum doceant, divinas Scripturas habendas esse tamquam literas ad nos missas ex Civitate illa, unde peregrinamur, ac tamquam spiritualem mensam, in qua nobis omne epularum genus ad animas enutriendas est apparatum; faciantque, ut etiam intelligant uberrimos fructus, qui ex eloquiorum Dei meditatione undique manant.

VII. Cum vero populus maximi facere consueverit, quæ Ecclesiasticorum exemplo viderit comprobari; Nos etsi tota, qua hac in re pollemus, facultate uti necessarium minime judicemus (5), Clericos tamen nostros iis interesse ita plane volumus, ut illos a novis Ordinibus repellere parati simus, nisi de auditis lectionibus certum ferant testimonium. Sacerdotes vero, Confessarios in Civitate, duobusque

(1) *Synod. Pran. sub Rufo tit.4. cap.1.*

(2) *Sess. IV. de editione, et usu sacrorum librorum.*

(3) *S. C. C. apud Lambert. Inst. CVII. num.55.*

(4) *S. C. C. apud Synod. Fulginaten. cap.6. num.3.*

(5) *S. C. C. in* Urbinaten. *anni 1662. Pax Jordan. Card. Petra Tom. IV. n.* 48. *edit. Venet.*

aliis in oppidis, ubi lectiones habentur, degentes, Parochos ipsos hortamur, ut quantum sibi per reliquas, easque necessarias occupationes liceat, frequentes intersint. Rem enim facient cum Nobis gratissimam, tum certe sibi perutilem. Speramus nimirum fore, ut eloquio Dei, quod est vehementer ignitum, majori in dies animarum salutis curandæ studio se incendi sentiant. Canonicis vero Cathedralis, tum etiam Collegiatarum Paliani, et Cavarum mandamus, ut intersint induti habitu chorali, et capitulariter. Si qui autem absfuerint absque legitima causa, consuetæ punctationi subjaceant; et ubi punctatio absentium non est usu recepta, videant Canonici, ne Nos eam constituere cogamur. Constituemus autem certissime, si ipsos graviter negligentes hac in re deprehendemus.

VIII. Neque tamen, quod ad sacram Scripturam pertinet, hoc solum ab Ecclesiasticis nostris requirimus, ut publicis ejus lectionibus intersint; sed vehementer etiam exoptamus, ut ipsa numquam desit in eorum supellectili, utque ipsi ediscant nullum sibi librum cariorem habere, ac divinas Scripturas, earumque eloquia diu terere, totoque animo, et corde versare. Ita quippe non modo consequentur, ut perfecti sint, et ad omne opus bonum instructi, verum etiam, ut possint in doctrina sana erudire Fideles, et eos, qui contradicunt arguere; quæ duo, nostra hac præsertim ætate, sunt vel maxime necessaria.

PARS SECUNDA.

DE SACRAMENTIS.

Agere nunc aggredimur de Sacramentis, per quæ tamquam instrumenta salutis, visibilesque invisibilis gratiæ formas (1), *omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur* (2), quibus nihil in Ecclesia ob mysteriorum, quæ continent, magnitudinem sanctius, nihil ob fructus, quos pariunt, utilius, nihil ob divinam Auctoris dignitatem præstantius. De his ergo acturi, qui eorum sint legitimi, propriique Ministri, qui in iis conficiendis, administrandisque servandi sint ritus, et quemadmodum ea suscepturos oporteat præparari, docebimus; ita tamen, ut de singulis non agamus, nisi pauca prius de Sacramentis universim dixerimus.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Omnia Sacramenta, ut Eugenius IV. exposuit (3), *tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*, quorum aliquod si desit, non perficitur Sacramentum. Ritus vero solemnis eorum administrationis ab Ecclesia Romana probatos discere licet ex Rituali Romano, exque multis Romanarum Congregationum decretis. Ex his quædam seligemus, quæ sæpius in hoc genere contingunt, ut ea in unum collecta in nostrorum mentibus, atque animis defigantur.

I. Sed omnium primum ad Parochorum memoriam revocamus, debere ipsos per sese, quæ sunt sui muneris partes obire (4), atque idcirco debere non solum plebem per se *in Catholica fide incessanter instruere*, sed etiam *Sacramentis reficere* (5). Pastoralis enim muneris, et integræ justitiæ ratio certe non patitur, ut levioribus ex cau-

(1) *Cap.* Sacrificium *de consec. dist.*2.
(2) *Trid. Sess. VII. in proœm.*
(3) *Conc. Florent. in decr. unionis.*
(4) *S. Carol. Conc. Prov. IV. par.* 2. de Parochis etc. *S. C. C. in* Sabinen. jurium Parochial. *die* 1. *Martii* 1742.
(5) *Conc. Rom. tit.*1. *cap.*4.

sis a Sacramentorum administratione se subducant, aliis hanc demandantes. Si qui igitur hac in re, quæ summæ Nobis est curæ, defecerint, moneri diligenter volumus a Vicariis foraneis, et Synodicis Testibus. Etenim et auctoritatem nostram parati sumus admovere ad urgendum, ut quæ Parochus potest, perficiat ipse per se. Quia tamen haud raro plura, et ea quidem natura diversa, tum locis distracta facienda sunt uno tempore; tunc Parochi quidquid per se ipsos non valeant, aliis agenda committant, atque id sibi retineant, in quo majus Dei obsequium, certiorque animarum salus eluceat.

II. Quare utcumque quæratur Sacramenti alicujus præsidium temporibus inopportunis, oratione non satis urbana, utcumque aspera eundum sit via, Parochus nihil omnino indignationis, nihil fastidii præ se ferat, sed perpetuo alacrem, promptum, facilemque se præbeat. Hinc siquidem rudes, et rerum cælestium ignari, quanto in pretio Religionis Christianæ munera sint habenda, vel maxime discent.

III. Sed et sæpe suos publice moneat, ut cum primum occasio se offerat juvandi aliquem extrema Sacramentorum ope, ne moras nectant, sed eam quam citissime (1), et etiam fidentissime a Pastore suo petant; quod non ita facile obtinebit, si se ipsum interdum segnem, aut minus erectum, paratumque experiantur.

IV. Quod si quis Parochi incuria sine Sacramentis decedat, vel salus ejus idcirco periclitetur, quod administrata illi in tempore Sacramenta non fuerint; ipse per se judicet qualem tanti criminis rationem redditurus sit Deo, et quanto in eum zelo Nos exardescere par sit, quasque tam criminosæ socordiæ pœnas sumere debeamus (2). Non ergo exspectet mortis articulum, quo suprema Sacramentorum officia Fidelibus persolvat, sed tempus opperiatur, quo possint illa suscipere bene parati.

V. Quamquam vero *Sacramentis Dei nihil obesse possunt mores malorum Administrorum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint* (3), neque de eorum vi, ac virtute quidpiam possunt detrahere; cum tamen sancta sancte sint tractanda, Parochi, et quicumque administraturi ea sunt, caveant, ut sanctitati ministerii, quod gerunt, vitæ sanctitas respondeat, ea saltem, per quam a culpis quibuscumque gravibus sint remotissimi.

(1) *Rit.Rom. de Sacrament. administr. gener al.* §. Quæcumque.

(2) *Can.* Si Presbyt. *26. q. 6. Can.* Quicumq. *de consec. dist.4.*

(3) *Can.* Dominus declaravit *c.1.q.1.*

VI. Quod si ab Ministro letali, quod absit, culpa inquinato, Sacramentum petatur, cujus administrationem neque possit alteri demandare, neque differre; is, quatenus nequeat Sacramentalem Confessionem administrationi præmittere, studeat, quantum cum Domino poterit, statim vehementi contritione expurgare conscientiam, ut sic probatus, nullumque habens crimen, Sacramentum ministret.

VII. Videat autem, ne quamdam sacrilegii speciem spectantibus exhibeat, qui in Sacramentorum administratione aut incessu, ac lingua præcipiti fertur, aut qui oculis vagis, vel gestibus fractis, atque incompositis, vel negligenter, atque oscitanter, tum sine ratione, et sine ordine administrationi eidem operam dederit. Est itaque pernecessarium, ut pietas, atque religio Ministrantium eluceant in universo quoque cultu, atque habitu externo; ipsique ministerium impleant graviter, atque etiam decore, sic ut spectantes venerari Sacramenta discant, et ad cælestia excitentur. Et delectus quoque vestimentorum, ac loci habenda ratio est, nisi aliter suadeat necessitas.

VIII. Discetur autem ex Missali Romano ritus conficiendæ sanctissimæ Eucharistiæ; aliorum vero Sacramentorum, quæ quidem conficere non sit proprium Episcopi, et efficiendorum, et administrandorum, ipsiusque sanctissimæ Eucharistiæ administrandæ ratio, ac ritus discendus est ex Rituali Romano. Quem idcirco librum Parochi, et eorum Capellani habere penes se omnino debent, debentque assidue institutiones ejus omnes præ oculis habere, et in toto hoc ministerio iis se accuratissime conformare. Intelligent vero cæteri Sacerdotes, hoc ipsum ad se pertinere, siquidem velint; velle autem omnes par est, Parochis suis adjumento esse.

IX. Gravissime autem vetitum est materiis, ac formis, quibus Sacramenta constant, quidpiam addere, quidpiam detrahere, quidpiam commutare de illis: formæ vero Sacramenti cujuslibet verba, quo tempore adhibetur materies ejus, pronuntianda articulatim, atque distincte sunt a Ministro, qui *in ipsa administratione actualem attentionem habere studeat, aut saltem virtualem, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia* (1).

X. Quoniam Dominus, qui sacris mandavit Ministris, ut caverent ab omni avaritia, severiori sane mandato illam ab ministerio quocumque spirituali profligavit, quippe gratis accepta, gratis dari præ-

(1) *Rit. Rom. ibid.* §. Ad ministrandum. *Trid. Sess.VII. can.11. de Sacram. in gener. Vide prop. 28. inter proscript. ab Alex. VIII.*

cepit (1), caveat quisquis, ne pro Sacramentorum administratione quidquam omnino directe, vel indirecte petat, aut exigat aliquando (2). At, quibusdam Sacramentis peractis, si quid eleemosynæ nomine, idque ex sola liberalitate offeratur, haud necesse erit recusare (3).

XI. Sancitum ex antiquissimo jure est, ne Parochi, quæ sui sunt muneris, exerceant in aliena Parochia. Hoc quidem sancte servandum sub pœnis a jure statutis. Haud ita tamen vetitum est, ut repentina aliqua, absente proprio Parocho, oborta necessitas, vel Parochi ipsius consensus, sive etiam nostra, aut Vicarii nostri generalis concessio, vel mandatum non sinat, ut quilibet proximo, cum possit, opem ferat, magnamque sibi et laudem, et præmium promereatur in cælis.

XII. Cum non sit bonum sanctum dare canibus, ab divinis mysteriis Ecclesiastica libertate sunt repellendi, qui iis sunt palam indigni; interea tamen omni studio curanda ipsorum correctio, qua postea justo, prudentique judicio possint mysteriorum eorumdem fieri participes.

XIII. Nos vero et vehementissime optamus, et quibuscumque poterimus rationibus curabimus, ut omnes in Diœcesi nostra Sacramentorum beneficiis digni fiant. Accedentes ad Sacramenta suscipienda, (hortamur autem omnes, ut ad Pœnitentiæ, et Eucharistiæ susceptionem haud ita raro accedant,) cum interna animi pietate externam ita conjungant, ut intuentium oculis plane appareat humilitas, modestia, atque religio, quarum indices sint vestes, vultus, incessus. Ac viri baculos, atque arma quæque deponant; fœminæ vero sumptuosiori, et elegantiori cultui omnino parcant, tum pectus, tum caput decenti obnubant amictu, sed eo minime singulari; quæ si quando audeant verecundiæ leges evadere, a Sacramentorum susceptione jure rejicientur.

XIV. Nunc Parochis omnibus proponimus Concilii Tridentini decretum his verbis conceptum: *Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum, cum hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie, prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, et commode fieri pote-*

(1) *Matth. cap.* 10. *v.* 8.
(2) *Cap.* Baptizandis *caus.* 1. *q.* 1. *Rit. Rom. ibid.* §. Illud porro.
(3) *Rit. Rom. ibid. S.C.C.* 1. *Feb.* 1593.

rit, servari studeant (1). Hinc vero facile intelligent Parochi quanta ipsis cura sit enitendum, ut Fidelium animi ad Sacramenta utiliter suscipienda præparentur.

XV. Denique cum cæremoniæ, quibus Sacramenta ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus celebrantur, horum dignitatem, majestatemque commendent; hinc est, quod si intelligatur, quæ sint, et quid valeant, (faciant vero Parochi, ut intelligatur,) vim eorumdem, et efficientiam declarent, doceantque aptissime, quemadmodum suscepturos Sacramenta affectos esse oporteat.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Omnium novæ legis Sacramentorum primum et ordine, et necessitate locum tenet Baptisma, cujus virtute, atque efficientia, qui de terra nati sumus, de cælo nascimur; qui de carne, de spiritu; qui ex hominibus, de Deo, et Ecclesia. Est nimirum hoc Sacramentum ad Christianam Ecclesiam, ad reliqua Sacramenta, ad ipsumque regnum Dei unica janua, Christo Domino universim edicente: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (2). Hujus enim singulari, planeque propria virtute mortui in Adam vivificantur in Christo; et non modo parvuli omnes, sed etiam adulti, si tamen hi, ut oportet, dispositi ipsum suscipiant, sic renovantur, ut *exuentes veterem hominem, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, de filiis iræ, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur* (3). Quisquis autem diligentius Apostolum legerit, sine dubitatione ita statuet, perfectam Baptismi cognitionem a Fidelibus magnopere requiri; adeo non solum frequenter, sed gravibus verbis, et spiritu Dei plenis ejus mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri mortem, sepulturam, et resurrectionem nobis ante oculos tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit (4). Quare Pastores numquam se satis multam operam, et studium in hujus Sacramenti tractatione collocasse arbi-

(1) *Sess. XXIV. cap. 7. de Ref.*
(2) *Joan. cap. 3. v. 5.*
(3) *Trid. Sess. V. de peccat. origin.*
(4) *Catechis. Rom. de Baptis. Sacram. num. 1.*

trentur. Nos interim curabimus, ut quanta maxima fieri potest diligentia, ac religione administretur.

I. Cum, uti mox dictum, Baptismus sit unica janua ad Ecclesiam, ad cætera Sacramenta, ad ipsum Dei regnum; profecto consequitur, quod, si in omnibus Sacramentis diligenter curandum, ne quid eorum desit, sine quibus perfici nequeunt, exquisita plane vigilantia ab singulis quibusque, qui Baptismum quocumque casu administraturi sunt, attendendum, perficiendumque esse, ut cum necessaria intentione aptam adhibentes materiam, formam iidem ipsi eodem, quo materiam adhibent, tempore integre proferant; memineríntque baptizandorum ablutionem immediatam omnino, ac physicam esse debere.

II. Baptismus, nisi aliter necessitas postulet, est administrandus solemniter, neque alibi, quam in Ecclesia ad Fontem Baptismalem. Caveant idcirco Parochi nostræ Diœcesis, tum alii quicumque, ne in aulis, *cameris*, idest cubiculis, *privatisque domibus* Baptismus umquam solemniter administretur (1): quod ipsum de Oratoriis quibuscumque statuimus.

III. Ad Baptisterium quæ pertinent, ea discenda sunt ex Rituali Romano, accurateque servanda omnia; et Nos in nostra Visitatione de Ecclesiæ cujusque Baptisterio ea præcepimus, quæ in eo desideravimus, ac porro satisfactum nostris decretis per Nos ipsos recognovimus. Addimus tamen, quod intra Baptisterium, vel prope reverenter custodiantur vascula continentia tum sanctum Chrisma, tum oleum Catechumenorum ad perficiendas sacras unctiones in baptizandis parata.

IV. Ubicumque Baptismalis sit Fons, aqua renovetur quotannis necesse est, et solemni benedictione consecretur. Jamque usu receptum, et in consuetudine positum est, ut id fiat Sabbato majoris Hebdomadæ, ac Sabbato Pentecostes, utque Catechumeni, si qui tum sint, salutari aqua abluantur (2). Fiat autem ea benedictio juxta ordinem Missalis Romani; et paulo antequam fiat, Fons mundetur intrinsecus, atque abstergatur perquam diligenter. Ut autem in eo extrinsecus munda omnia sint, semper curandum.

V. Si forte contingat, ut aqua solemniter ad Baptismum benedicta deficiat, vel corrumpatur, haud quidem alia conficienda sole-

(1) *Clement.* Præsenti *de Bapt. Synod. Tran. sub Rufo*.

(2) *Cap.* Duo tempora 52. *et seqq. de cons. dist.* 4. *Rit. Rom. de mat. Bapt.* §. Aqua.

mni benedictione, quam extra illa Sabbata celebrare non licet; sed benedicenda, ut præcipitur in Rituali Romano (1). Neque vero quominus præparata semper sit, diem vel unum cunctandum.

VI. Legitimus Sacramenti hujus Minister est in sua quisque ditione, cui aut jure, aut ex præscripta consuetudine datum sit in Ecclesia sua Baptismalem Fontem habere. Nemo itaque, etiamsi Parochus, sacro huic ministerio se ingerat, nisi a Nobis, aut ab eo, cujus est baptizare, mandatum illi fuerit. Quicumque vero jus habent mandandi, nemini prorsus baptizandi potestatem faciant, nisi apprime perito sacri ritus, ne excepto quidem Capellano.

VII. In præcedenti Synodo vetitæ fuerunt induciæ Baptismi plus quam triduanæ (2); simulque præceptum fuit, ut omnino citius conferretur, si periculum aliquod immineret. Nos vero, spectata summa hujus Sacramenti necessitate, jubemus infantem baptizari non tardius, quam altero ab natali illius die. At si quis gravem differendi causam se habere censeat, Nostrum, aut Vicarii nostri generalis in Civitate, in Diœcesi autem Parochorum erit eam cognoscere, atque probare. Cæterum omnibus festinandum esse sine mora renasci scripsit sanctus Pontifex Clemens I. (3). Cum vero quacumque de causa differtur Baptismus, imo etiam cum minime differtur ultra tempus mox constitutum, postulant plane repentini casus, qui possunt incidere, ut aqua in promptu semper habeatur. Id igitur ut fiat, graviter monemus eos omnes, quorum est curare, ut infans baptizetur.

VIII. De nominibus, quæ baptizandis imponi solent, statuimus, ne iis imponantur nomina *obscœna*, *fabulosa*, aut *ridicula*, vel *inanium deorum*, vel *impiorum ethnicorum hominum* (4), sed Sanctorum, Sanctarumque Dei, a quibus et præsidium in cælis, et exempla virtutum habeant in terris. Ac præterea ad confusionem, erroresque tollendos, ab multiplicitate nominum, præsertim nimia, abstineatur, neque fratri imponatur nomen fratris etiam defuncti, aut saltem distinguendi causa unum ab altero, aliud ei nomen addatur (5).

IX. Ii vero, qui ex vetustissima Ecclesiæ consuetudine baptizatum de Baptismo suscipiunt, ne sint plures, quam unus, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una (6). Parochi autem erit eos

(1) *Tit. de mat. Bapt.* §. Si vero.

(2) *Hoc tit. cap.* 8.

(3) *Epist.* 51. *Vide Catech. Rom. de Bapt. n.* 24. *Lambert. Inst. XCVIII.*

(4) *Conc. Nicæn. can.* 30. *Rit. Rom. hoc tit.*

(5) *Plur. Synod.*

(6) *Trid. Sess. XXIV. cap.* 2. *de refor. Matrim.*

noscere, ac repellere, qui ad hujusmodi officium non sunt admittendi; cujusmodi sunt naturales baptizandorum parentes, infames, facinorosi, excommunicati, interdicti, non confirmati, paschalibus Sacramentis post legitimum tempus nondum refecti, tum omnes non satis Christianæ fidei rudimentis instructi, et præterea impuberes (1). Porro per sacros Canones ab officio susceptorum etiam Regulares utriusque sexus arcentur (2). Nos vero hinc repellimus etiam Clericos sæculares. Hi omnes neque per procuratorem id agere sibi fas putent. Et ut occasio omnis præcidatur abutendi hoc munere ad profanos amores, Parochi non admittant ad ipsum mares, ac fœminas adolescentioris ætatis.

X. Quandocumque ex re esse intellexerint, Parochi patrinis aperiant qualem cum Ecclesia, cumque iis, quos de sacro Fonte suscipiunt, obligationem ineant. Sacramento autem administrato, interdum erit opportunum, ut doceant, spiritualem patrinis intercedere cognationem cum eo, quem in Baptismate susceperunt, cumque veris ejusdem parentibus, hujusque cognationis vim porrigi cum ad prohibenda inter hos fœdera nuptiarum, tum etiam ad ea, si forte attententur, dirimenda, ac dissolvenda (3). Nec dissimulabunt, eo etiam pertinere, ut si quæ inter hos habeantur carnis commercia, turpissimi evadant incestus, quos cum Eminentissimo Antonellio Prædecessore nostro Nobis absolvendos reservamus.

XI. Cum quis aliquem de sacro Fonte levaturus est nomine alterius, profiteri omnino coram Parocho debet, se nomine haud suo, sed ejus, a quo procurationis scriptum habet mandatum, id facere. Quod mandatum illico accipiat Parochus, et ordinatim inter Parochiales tabulas servet, neque procuratorem functum officio dimittat, quin moneat antea, si forte prudenter suspicetur hoc ab illo ignorari, nulla ipsum cum baptizato, et parentibus ejus spirituali cognatione esse devinctum.

XII. Functione peracta, (erit enim hoc tempus persæpe commodum,) moneantur parentes, ut infantem a quovis suffocationis periculo providentissime arceant (4). Est hoc quidem divino naturali jure præceptum, cujus in transgressores etiam Ecclesiasticæ regulæ pœnas statuunt (5), et hoc ipsum Nos Prædecessorum nostrorum pre-

(1) *Rit. Rom. de Sacram. Bapt.*

(2) *Cap.* In Baptismate 102. *de consec. dist.* 4. *cap.* Non licet 103. *cap.* Monachi 104. *ibid. Catechis. Rom. de Bapt. n.*29. *Rit. Rom. de Sacr. Bapt. de Patrin.*

(3) *Trid. ibid.*

(4) *Rit. Rom. de Bapt. parvul.*

(5) *Can.* Consuluisti 20. *caus.* 2. *quæst.* 5. *et cap.* Quæsitum 7. *de Pænit. et remiss.*

mentes vestigia, sanctione nostra firmamus. Quare districte prohibemus, ne mater, aut nutrix, aut alius quivis infantem anno minorem in eodem secum cubili detineat, nisi forte ejusmodi interposito repagulo, quod prudentem suffocationis pueri timorem omnem avertat. Qui contra fecerit, noverit teterrimum se crimen admittere, ac tale, cujus absolutionem Nobis reservamus.

XIII. Reliquum est etiam, Baptismo collato, ut statim in librum ad id paratum, beneque compactum referantur eorum, qui fuerint initiati, nomina, cognomina, annus etiam, mensis, ac dies, hora, quantum fieri potest, qua nati sunt. Hujus descriptionis modus traditus in Rituali Romano accurate servetur. Et 1. forma ejus, et literæ perspicuæ sint, ac lectu faciles, minimeque per compendiarias notas, aut per numeros, sed verbis explicatis; neque ipsi addatur, aut immisceatur quidvis ab re describenda vel tantillum alienum. 2. Si baptizavit alius a Parocho, baptizans subscribat propria manu, exprimatque mandatum. 3. Si quis alibi fuerit, quam ad Baptismalem Fontem ablutus, solus describat Parochus, adjecto tamen etiam nomine baptizantis. 4. Baptismales libri custodiantur diligentissime: magna enim negotia ex eorum fide, quam tota respublica accipit, proficiscuntur, atque eidem nituntur; foretque idcirco jactura gravissima, si perirent, et gravissima quoque sequerentur incommoda, si quid inde abraderetur, sive commutaretur. 5. Quæ ibi sunt exponenda, sine cunctatione scribantur; nemoque memoriæ suæ fidat, neque etiam schedis in librum, quandocumque libuerit, reportandis. 6. Quamquam vero hac etiam in re Parochos omnes futuros diligentes confidimus, volumus tamen, ut semel in anno hujusmodi libros visitent Vicarii foranei, et quemadmodum se habeant Nobis denuntient, cum, tempore constituendo, apud Nos cogentur.

XIV. Hæc de solemni Baptismo. Verum imminens vitæ infantium periculum non raro postulat Baptismi festinationem, eximitque ab delectu loci, temporis, ordinariique Ministri. Baptizandi enim infantem in proximo vitæ discrimine constitutum, ubicumque hic sit, cuivis hominum generi non modo tributa facultas, sed etiam lex est imposita (1). Sunt tamen diligentissime observanda hæc. 1. Ut si plures adsint satis periti, qui est dignior baptizet, nisi tamen aliter honestas, et pudor suadeant, seclusis plane parentibus (2). Si nemo

(1) *Cap.* Firmiter *de sum. Trin. cap.* *unionis Armen. Trid. Sess. VII. can.* 4. In necessitate 21. *cap.* A quodam Judæo, *de Bapt. et alibi de consec. Conc. Florent. in dec.*

(2) *Catech. Rom. cap. 2. de Bapt. n.* 25.

alius adsit, qui baptizare possit, ne formident parentes: nulla enim, eorum alterutro tunc baptizante, oritur inter ipsos spiritualis cognatio, nullumque idcirco impedimentum, quod usum Matrimonii prohibeat (1). 2. Si dubium sit, an infans vivat, baptizetur interposita conditione. 3. Qui privatim baptizat, intra diem ad Ecclesiam Fontis rem deferat, et quomodo fuerit gesta accurate narret Parocho Fontem habenti, a quo in baptizatorum librum referatur (2). Hac super re Parochos vigilare jubemus. 4. Si vivat, et satis valeat infans, curetur, ut quantocius in Ecclesia perficiantur erga eum cæremoniæ prætermissæ (3). Nihil autem vetat tum adesse patrinos, quos tamen nullam contrahere spiritualem cognationem moneat Parochus, qui postremo totam rem, ut acta est, ejusque causam Baptismali in libro describat.

XV. Si Parochus dubitet, an quemadmodum Sacramenti ratio exigebat, fuerit privatim ablutus infans, aut non sit de eo omnino certus, exquirat solerter, quæ fuerit adhibita materia, quæque verborum forma, et an hæc duo conjunctim, et ab eadem persona; intentionem enim minime defuisse, licebit paulo liberius inter Christianos credere. Si quid Baptismi ad essentiam pertinens defuisse deprehendat, absolute infantem baptizet; sin vero prudens ab examine oriatur hac ipsa de re dubitatio, baptizet conditione adjecta. Si tamen hoc faciat ex levibus conjecturis, et culpa tenebitur, eritque pœnæ irregularitatis obnoxius (4).

XVI. Cum vero casus non sint infrequentes, in quibus Baptismum administrari oporteat a quocumque genere hominum, ac fœminarum, tradenda publice a Parocho est, et ita quidem, ut populus discat, ratio conferendi Baptismi; atque hæc ipsa in primis tradenda privatim est obstetricibus, quæ docendæ etiam sunt, quemadmodum se gerere debeant diversis in casibus, neque tamen admodum raris, in quibus illas officii sui causa versari necesse fuerit (5).

XVII. De Obstetricibus vero hæc edicimus. 1. Ut nulla mulier obstetricem agere incipiat, nisi a Vicario nostro generali examen subierit, et scriptam concessionem retulerit (6): si qua hæc neglexerit,

(1) *Cap.*Ad limina 7.*caus.*30.*quæst.*1. *Rit.Rom. de Minist.Baptis.* §. Pater.

(2) Ex *Lambert. Inst. XCVIII. n.* 14.

(3) *Cap.*Spiritus Sanctus §.Ecce *caus.*1. *quæst.*1. *Rit. Rom. de Bapt.*

(4) *Cap.* Ex literarum 2. *de apostatis, et reiterantibus Baptismum. Vide Lambert. Inst. LXXXIV. S.C.C.* 19. *Dec.* 1682., *et* 27. *Mart.* 1683.

(5) *Rit.Rom. tit. de Bapt. parv.* §. Nemo, *Bened. XIV. de Syn. l.*7. *cap.*5.

(6) *Vide Lambert. Inst. VIII. n.* 1.

arbitrio de ea pœnas sumemus. Poterit tamen Vicarius generalis examen id alteri demandare, qui de examinatæ peritia, si hanc satis instructam repererit, testimonium in scriptis dabit. 2. Ut obstetrices in Curia nostra probatæ dent suæ in baptizando peritiæ specimen apud Parochum bis in anno. 3. Ut meminerint teneri se ad Ecclesiam ducere infantem, quem abluerint, deque tota re Parochum instruere. 4. Ut in deducendo infante cultus, habitus, incessus modestiam servent; curent autem Parochi, ut executioni hæc demandentur, utque obstetricum vita sit bene morata.

XVIII. Jam, ut ad infantes etiam, qui interdum publice exponuntur, curam, et sollicitudinem nostram convertamus, statuimus primo, ut quicumque in Civitate, ac Diœcesi offendat infantem hujusmodi, confestim eum perferat, vel perferendum curet ad Parochum proximum, cui jus sit baptizandi. Parochus, nisi certo ei constet de Baptismo collato, illum, addita conditione, baptizet; idque etiam, si schedula apud puerulum inventa testetur Baptismum eidem administratum fuisse, nisi certo pateat, cujus manu sit exarata (1). Ne tamen commutet nomen ibi indicatum; ac præterea schedam, et cætera signa asservet, remque totam in libro baptizatorum describat. Edicimus deinde, ut hic ipse, qui Baptismum contulit Parochus, infantem committat mulieri alendum, quousque ipso curante, eorum tamen, ad quos pertinet, sumptu, in Brephotrophium fuerit translatus. Postremo Vicarium nostrum generalem omnium, quæ hac in re gesta sunt, faciat certiorem.

XIX. Religiosus sane puerperarum mos est, ut B. Virginis exemplo Templum adeant, ibique sacram Ecclesiæ benedictionem obtineant, ac debitas Deo gratias agant ob prolem prospere editam, et sacro Fonte renatam. Hunc morem servandum, quantum fieri potest, Parochi curent. Quamquam vero benedictionis a partu facultas non censeatur in juribus, quæ mere Parochialia dicuntur (2), ea tamen impertiri a Parocho debet. Qui nihilominus longo abs tempore invectam, atque vigentem consuetudinem, qua Regulares benedictionem hanc impertiuntur fœminis ejus causa ipsorum Ecclesias adeuntibus, non difficile tolerabit, cavebitque simul, ne ulteriora sibi hac in re detrimenta inferantur.

XX. Postremo dignum, justumque esse monemus, ut omnes,

(1) *Cap.* Parvulos 110. *et cap.* Placuit 111. *de cons. dist.* 4. *S. C. C. in una* Urbis 15. *Jan.* 1724. *Bened. XIV. In Const.* Postremo mense *XXVIII. Bul. T. II. Id. Inst. VIII. n.*8.

(2) *In decret.* Urbis, et Orbis *an.* 1704.

et singuli illum semper habentes solemnem, atque in Domino lætissimum diem, quo salvi facti fuimus *per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti* (1), pro tanto beneficio maximas, quas poterimus, Deo gratias agamus. Erit vero Christiana inde concepta, ac significata etiam lætitia ipsi acceptissima. Sed erit perinde opportunum, nobisque admodum salutare, si diligentius anniversario illo die cum professione, quam in Baptismate edidimus, anteactæ rationem vitæ singuli comparemus. Contristabimur forte hac comparatione permulti; sed tristitia nostra vertetur in gaudium, si contristemur ad pœnitentiam; si ipso die peccatis a Baptismo admissis Sacramentali Confessione solvamur; si corpore, et sanguine Domini reficiamur; si quos poterimus pauperes largiori stipe solemur; si denique novum faciamus initium observationis mandatorum, quæ fidei adjuncta præstat nobis eam vitam, hoc est vitam æternam, cujus causa Baptisma, quod est fidei Sacramentum, suscepimus.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

Alterum novæ legis Sacramentum est Confirmatio, in quo *caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur* (2). Nimirum *Spiritus Sanctus*, ut explicat S. Pontifex Melchiades (3), *qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam .... in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur .... Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos; Confirmatio armat, et instruit ad agones mundi hujus, et prælia reservandos .... Et quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia*. Quemadmodum itaque Baptismi gratia indigemus ad mentem fide informandam; ita conducit maxime Fidelium animos alia gratia confirmari, ut nullo pœnarum, suppliciorum, mortis periculo, aut metu a fidei confessione deterreantur. Quare merito Confirmatio, quamquam aliud a Baptismo Sacramentum sit, perpetuo fuit in Ecclesia reputata Baptismi ipsius perfectio, consummatio, et complemen-

(1) *Tit. cap.* 3. *v.* 5.
(2) *Tertull. lib. de resurr. car. cap.* 8.
(3) *In Ep. ad Hisp. Ep. relat. in cap.* Spiritus Sanctus *de cons. dist.* 5.

tum; eaque roborantur Fideles cum contra persecutores, tum vero adversus mundi amatores, contemptores religionis, irrisores pietatis, qui numquam certe desunt, quique postremis temporibus multiplicati sunt super numerum. Roborantur autem, ut possint his omnibus cum Apostolo dicere (1): *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. De qua hæc præcipimus.

I. Parochi identidem, et præcipue sub tempus Pentecostes, quo Spiritu Sancto Apostoli fuerunt repleti, quoque plerumque Confirmatio solet administrari, explicent populo Sacramenti hujus naturam, originem, vim, dignitatem, ritus, characterem, fructus. Sed cum de Confirmatione administranda publicatum fuerit Edictum, tum vero per aliquot dies peculiaris fieri debet instructio de iis, quæ tale Sacramentum suscepturis sunt ad sciendum necessaria. Ad hanc instructionem convocandi quicumque septennium recens egressi sunt. Nolumus enim Nobis ad confirmandum offerri quemquam septennium nondum egressum (2), nisi Nos ipsi ex peculiari causa veniam dederimus; et contra volumus, omnes, quibus hoc curæ esse debet, Parochos, parentes, tutores, cæteros satagere, ne Confirmatio iis, quorum cura ad eos pertinet, ultra annum decimum differatur.

II. Quamquam vero hoc Sacramentum non ad necessitatem salutis sit institutum, sed ut ejus virtute optime instructi, et parati inveniamur, cum nobis pro Christi fide pugnandum erit; certum tamen est, et opportune Fidelibus inculcandum, *eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt* (3).

III. Porro qui non sunt confirmati, non possunt in patrinos, ac matrinas aliorum assumi, non habitum religiosum induere, non ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, imo ne prima quidem Tonsura initiari (4). Si qui adolescentes adeo sint hebetes, ut quæ de hoc mysterio traduntur, plane intelligere non posse videantur, eos diuturniori disciplina instituere oportebit. Si et hoc frustra factum sit, ne exhiberi quidem Nobis debent a quoquam, ut inungantur, sed causæ aperiendæ, cur hi non fuerint exhibiti.

(1) *Galat. cap.6.v.14.*

(2) *Bened.XIV. de Syn. lib. 7. cap.10. n.3. Conc. Rom. tit. 26. cap.4. Ben. XIV. Const.* Etsi Pastoralis *LVII. §.3.n.4.Tom.I. Vide Lambert. Inst. VI. n.10. cap.* Omnes *1. de cons. dist. 5.*

(3) *Bened. XIV. Const.* Etsi Pastoralis *LVII.§.3.n.4.Tom.I.Vid.Lambert.Inst.VI. n.10. cap.* Omnes *1. de cons. dist.5.*

(4) *Trid, Sess. XXIII.cap.4. de Ref.*

IV. Quilibet, de quo post satis diligens examen prudenter, an confirmatus sit, dubitetur, si rebus sit necessariis instructus, proponendus Nobis, ut conditione adjecta confirmetur. Tales enim esse confirmandos docuit Beatissimus Pontifex Gregorius Magnus, superiorum Pontificum doctrinam, ac traditionem secutus (1).

V. Tradatur cuilibet ad Confirmationem accedenti pagina, cujus scribendæ formula nota Parochis est, eaque ipsius Parochi, vel unius, aut etiam alterius sibi noti, probatissimique, cui hoc demandaverit, manu sit scripta, et Parochiali sigillo munita.

VI. Curent quoque Parochi, ut quos judicaverint proxime initiandos, ii rite præparati ad Confirmationem accedant; efficiantque in primis, ut intelligant, non posse, nisi gravissimum admittendo sacrilegium, eam suscipere, qui sibi letalis peccati sit conscius. Satagant itaque, ut, quantum pro cujusque ætate licet, animum Pœnitentiæ expient Sacramento. Excitent quoque in ipsis ardens Sacramenti hujus desiderium, gratiæ sanctificantis, quam confert ad augmentum justitiæ, atque auxiliorum, quibus roborati fidem Catholicam constanter teneant, et, cum opus fuerit, intrepide profiteantur. Efficiant demum, si fieri poterit, ut priusquam Confirmationem suscipiant, diutius, et una simul orando, uti olim Apostoli, præparentur ad accipiendum Spiritum Sanctum. At si Confirmatio celebretur ante meridiem, confirmandi ex veteri Ecclesiæ more sint jejuni (2).

VII. Sunt etiam ex Ecclesiæ præcepto in Confirmatione adhibendi sponsores (3). Sed præter eos, quos notavimus cum de Baptismo egimus, excludendi sunt vitricus, et noverca ejus, qui est confirmandus, atque etiam contrahendus est numerus patrinorum. Cuique igitur confirmando unus tantummodo patrinus adsit, sitque alius ab eo, qui confirmandum in Baptismo suscepit (4); et mari quidem propter honestatem, atque pro usu mas, fœminæ fœmina; vetamusque in patrinum assumi, qui quartum decimum saltem ætatis annum non excesserit (5), quique communiter, (est enim interdum locus exceptioni hujus regulæ,) eo, quem suscipit, non sit ætate major (6). Neque sinimus, ut quispiam uno die plures suscipiat, quam duos, nisi consentientibus Nobis (7). De quibus autem,

(1) *Regest. Epist. lib. 12. indict. 7. Ep. 32.*

(2) *Can.* Ut jejuni *6. de cons. dist. 1. Conc. Rom. ibid.*

(3) *Cap.* In Catech. 100. *de cons. dist. 4.*

(4) *Plur. Syn. ex cap.* in Catech. *et cap.* Non plures 101. *ibid.*

(5) *Plur. Syn.*

(6) *Vide Lambert. Inst. VI.*

(7) *Plur. Synod.*

quandocumque erit opportunum, sint commonefaciendi patrini, superiori ex capite est repetendum.

VIII. Die indicto confirmandi adsint mane in Ecclesia ad sacram functionem destinata; habeantque singuli candidam, mundamque fasciolam revinciendam fronti Chrismate delibutæ (1). Item paginam habeant a Parocho acceptam, quam iis tradent, quos Nos designabimus. Adsint ibidem utriusque sexus susceptores, ad cornu Evangelii mares, ad aliud fœminæ, dexteram manum super dexterum confirmandi humerum, dum Sacramentum perficitur, habituri (2).

IX. Si Confirmatio administranda sit in Ecclesia diversa a Parochiali vel omnium, vel aliquorum ex iis, qui sunt confirmandi, optamus, (quippe exempli optimi hoc erit futurum,) ut hi ante conveniant in Parochiales suas, et per proprios Parochos ordinatis agminibus ad Ecclesiam, ubi erunt confirmandi, deducantur. Si qui autem ex Diœcesi extra Parochiam Chrismatis Sacramentum petant, jure exspectamus, ut eos Parochi ad Nos comitentur per sese; aut, si hoc nequeunt, per aliquem Sacerdotem. Parochorum quoque erit providere, ut qui ex aliena Diœcesi ad nostram Confirmationis causa se conferunt, Sacerdote non careant, per quem ad Nos deducantur, vel saltem necessaria proprii Parochi attestatione.

X. His vero mysteriis initiandi, et susceptores aderunt ea, qua par est, fide, religione, piisque affectibus; tum vero modesto, simulque decenti externo cultu. Frons Chrismate delibuta, cujuscumque ætatis, ac generis sit confirmatus, abstergatur, et statim ab susceptore ipso memorata fasciola religetur, quam nonnisi quatuor post horas, (tum enim Chrisma judicari potest exsiccatum,) solvi permittimus. Solvat autem vel Parochus, vel alius Sacerdos, et ad nullum prorsus usum servetur fasciola, sed igne absumatur (3).

XI. Quemadmodum vero diligentissime faciendum est, ut confirmandi adsint, (adesse autem tenentur,) precibus, quibus descensum Spiritus Sancti, suorumque donorum in ipsos publice implorat Episcopus; ita quoque faciendum, ne discedant a Templo, quin Pontificalem postremo impertiendam benedictionem acceperint (4).

XII. Si confirmandi nomen ex iis sit, quæ imponi in Baptismate prohibuimus, id commutabimus in Confirmatione (5). Parochi ta-

(1) *Lambert. ibid.*
(2) *Lambert. ibid. n.16.*
(3) *Synod. nostr. Ferrarien.*
(4) *Pont. Rom. de Confir.*
(5) *Lambert. Inst. ead. n.15.*

men in librum referant utrumque confirmati nomen, scilicet quod antea gesserat, et quod jam ejus loco accepit.

XIII. Nam Parochus librum a Baptismali diversum debet in promptu habere, in quo confirmatorum seriem diligentissime digerat. Hanc in rem statim ut fuerit quisque perunctus, schedulam, de qua paulo ante decrevimus, ab eo recipiat, tum omnibus receptis, eas enumeret, ac recognoscat. Quamquam vero Parochus, qui has schedulas recipit, (recipiet autem in Cathedrali Canonicus curam animarum gerens,) confirmatos omnes in librum suum debeat referre; tamen Parocho cuivis insinuamus, ut sedulo curet rescire, qui ex suis fuerint confirmati, utque monumentis hoc mandet. Hanc in causam et Cancellario nostro Episcopali mandamus, ut postquam in librum retulerit nomina singulorum, qui confirmati in Civitate fuerint, schedas diligenter servet, easque repetenti Parocho reddat, ut nomina singulorum etiam hic possit describere. Item si quis nostrorum ab alieno Episcopo sit confirmandus, eum Parochus suo muniat testimonio, ab eoque porro aliud repetat suscepti Sacramenti, ut hoc quoque possit in libro adnotare; quem librum diligentissime asservari præcipimus, cum sæpe de suscepta Confirmatione, tum de susceptoribus, seu patrinis exigi possit testimonium.

XIV. Hæc de Confirmationis administratione publica, eademque solemni. Verum cum in Civitate, aut Diœcesi morabimur, privato etiam ritu, ægrotantibus præsertim, quotiescumque opus fuerit, ipsam conferre numquam denegabimus; uti nec denegare solet Episcopus Anastasiopolitanus Vicarius noster generalis. Ut tamen quæ hac de re sit mens nostra certo pateat, edicimus, ut si quos pueros, septennio licet minores (1), noverint Parochi ad mortem contendere nondum Chrismate delibutos, Nobis eo tempore, quo non inutilis noster adventus sit, de illis significent: curamus enim, quemadmodum par est, hoc vehementer, *ut videlicet confirmati decedentes majorem gloriam consequantur: nam et hic majorem obtinent gratiam* (2). Multo autem magis moneri Nos volumus, atque jubemus, si qui rationis viribus polleant, ut possint illi in extremo agone fortius luctari contra Diabolum. Sed prius efficiat Parochus, ut hi divini hujus mysterii beneficium, atque virtutem percipiant, et credant, ad ipsumque suscipiendum rite se præparent. Ita cum Nos ex munere nostro administraverimus, Sacramenti dignitati, simulque anima-

(1) *Bened. XIV. de Syn. ibid. Idem Inst. VI.*

(2) *S. Thom. 3. part. quæst. 72. art. 8. ad 4.*

rum utilitati fuisse prospectum in Domino una cum ipsis lætabimur. Cæterum quandocumque contigerit, ut Confirmatio administretur privatim, volumus de eo certiorem fieri Cancellarium nostrum, vel Parochum, si id in Diœcesi contigerit, ut is, cui fuerit administrata, possit referri in confirmatorum catalogum; eademque de causa volumus id ipsum ab iis, quorum curæ subest, significari Parocho, si quando periclitanti infirmo fuerit collata ipso Parocho inscio, vel absente.

CAPUT IV.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Discessurus de hoc mundo ad Patrem Christus Dominus Salvator noster, qui corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris, et sideribus illaturus (1), Sacramentum Corporis, et Sanguinis sui consecravit, nobisque in cibum, et potum sub speciebus panis, et vini reliquit, *ut Passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum, et de sua contristatis absentia solatium singulare* (2). Omnium vero Sacramentorum hoc est præstantissimum, *in quo sui erga homines amoris divitias velut effudit* (3), et quo auctor sanctitatis, omniumque gratiarum, non has modo non indigne suscipientibus impertitur largissime, quod et cætera suis modis Sacramenta faciunt; sed totum se quoque, atque integrum tradit. Quod quidem est Sacramenti hujus plane proprium, ac singulare; itemque aliud, quod cum reliqua usu ipso perficiantur, simulque ac perfecta sunt desinant, Eucharistia ante usum est, atque servatur (4) consuetudine plane antiquissima, ipsiusque Nicæni Concilii sæculo cognita (5). Servatur autem 1. administranda Fidelibus, qui ea se refici petant, præsertim vero periculose decumbentibus; 2. adorationi populi proponenda; 3. circumgestanda apparatu solemni per publicas vias, ac loca statis temporibus (6). Ut omnia hæc rite, et secundum Ecclesiasticas regulas fiant, edicimus, quæ sequuntur.

I. Sacram Eucharistiam retineant Ecclesiæ omnes Parochiales, quamtumvis pauperes. Possunt retinere etiam non Parochiales, quas

(1) *Can.* Quia corpus *de cons. dist.* 2.
(2) *S. Thom. Opus.* 57.
(3) *Trid. Sess. XIII. cap.* 2.
(4) *Trid. ibid. cap.* 3.
(5) *Ibid. cap.* 6.
(6) *Ibid. cap.* 5.

aut immemorabilis consuetudo, aut Apostolicum juvat privilegium (1), aut nostra ad breve tamen tempus concessio.

II. Ædicula, quam Tabernaculum nuncupamus, ubi divina asservatur Eucharistia, sit ad minimum ex opere ligneo affabre compacto, et decenter ornato, cujus interiores parietes album sericum circumvestiat, pavimentum candido sternatur corporali, extrinsecus vero conopeo itidem serico instar tentorii de integro contegatur. Hoc vero conopeum numquam sit nigrum: vetat enim nigrum esse honor Christi viventis (2). Die vero, qua omnium Fidelium defunctorum commemoratio agitur, est apponendum violaceum: cæteris diebus curandum, ut concolor sit sacris indumentis, quibus Ecclesia utitur. Si qua tamen Ecclesia hanc varietatem ob inopiam habere non possit, conopeum coloris albi perpetuo sit. Ipsum vero Tabernaculum clavi, seraque muniatur. Clavis tota sit ex argento, vel certe auro obducta, eaque duplex, ne si sit una, ea amissa, sacrum ostiolum perfringere manus laica debeat. Servetur penes Parochos, et continuo quidem, ac diligenter (3).

III. Pyxides, in quibus Eucharistia excipitur, quas maxime deceret aureas, vel argenteas esse, sint saltem ex solida, decentique materie (4), sintque interius auro linitæ, exterius vero conopeis albi coloris contectæ. Binæ sint apud unumquemque Parochum; altera, quæ minor erit, sacro Christi Corpori ad ægrotos deferendo inserviet, altera in Tabernaculo perpetuo asservetur, tot sacratas particulas continens, quot populo usui futuræ censeantur (5). Has autem renovare identidem opus est; rigidiore nimirum tempore non tardius omnino, quam quintodecimo quoque die, mitiore, ne tardius quidem octavo. Absit vero, ut inter nostros Parochos inveniantur, quos particularum sacratarum jam facta corruptio de ipsis renovandis admoneat. Tantam oscitantiam abire inultam certissime non pateremur.

IV. Neque vero in Tabernaculo quidpiam, præter consecratum panem, est reponendum, non olea sancta, non Sanctorum reliquiæ, non aliud quidvis, quamtumvis sanctum, sacrumque videatur (6). Sit tamen foris prope Tabernaculum vas parvum cum aqua ad digitos,

(1) *S. C. Ep. et S. C. Rit. sæpe, Bened. XIV. Const.* Quamvis justo *VII.* §. 24. *Bull. Tom. III.*

(2) *Amand. Thes. sac. Rit. par.* 1. *tit.* 20. *n.* 17.

(3) *Cap.* Sane *de celeb. Miss. cap.* Statuimus *de custod. Euch.*

(4) *Vide Baruffald. in Rit. Rom. de SS. Euch. Sacram. a n.* 54. *ad* 63.

(5) *Id. ibid. num.* 64.

(6) *S. C. C.* 8. *April.* 1628., *et* 22. *Febr.* 1563.

Sacramento administrato, abluendos, et purificatorium ad eos abstergendos.

V. Non procul admodum a Tabernaculo una saltem diu, noctuque lampas colluceat oleo ex olivis expresso (1). Pœnas autem sumemus haud leves de Parocho, de Sacrarii custode, vel alio, quicumque sit, cujus culpa lampadem hanc non arsisse deprehendatur.

VI. Est autem sacra Eucharistia Fidelibus petentibus facile administranda; in Templis tamen dumtaxat, publicisve Oratoriis. Si quis enim illam sine nostra, aut Vicarii nostri generalis facultate in privatis Oratoriis ministret, dignus erit, cui succenseamus, vel in quem animadvertamus (2). Missam vero celebrans in indumentis nigris vetatur Eucharisticum panem, qui in eadem Missa consecratus non fuerit, cuiquam præbere (3). Et quivis Sacerdos, per quem Sacramentum hoc administretur, meminerit vetitum sibi, ne cui plures, quam unam consecratam particulam singulis vicibus distribuat.

VII. Etsi autem pro caritatis non cogitantis malum ratione non solum speramus, sed etiam confidimus, ex nostris futurum neminem eo sceleris processurum, ut indigne ad manducandum Christi Domini Corpus accedat; tamen ut, quantum in Nobis est, tanti sacrilegii etiam periculum avertamus, omnibus magna voce edicimus cum Apostolo Paulo (4): *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, et Sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

VIII. Moneant igitur, ac moneant gravissime Parochi, et Catechistæ, eam, si casus aliquos extraordinarios, et raros demamus, communicare volenti probationem necessariam esse, ut nemo sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat (5).

IX. Confessarii secreto ab Eucharistiæ participatione arceant, quos secreto noverint indignos. Sunt vero per Sacerdotes publice ea privandi alii nonnulli. Hi sunt quicumque flagitio famosi; hosce nimirum canes ex Evangelio, ac porcos nominamus, quibus sanctum

(1) *Rit. Rom. de SS. Euch. Sacram.* §. Hoc autem.

(2) *Bened. XIV. Const.* Magno cum animi nostri. *XLVIII.§.23.Bull.Tom.III.*

(3) *S.C.R. In Aquensi* 1741.

(4) *I. Corinth.cap.*11. *v.* 27.28. *et* 29.

(5) *Trid. Sess.XIII. cap.*7.

dare, et ante quos cæli margaritas mittere est nefas (1). Excludantur itaque ab Domini mensa publici excommunicati, interdicti, tum vero publici fœneratores, blasphemi, concubinarii, malefici, meretrices, odia obdurato corde servantes, conjuges, absque permissione nostra, diu seorsim degentes, atque alii hujusmodi. Præter hos, amentibus etiam non debet administrari Eucharistia (2), nisi forte per intervalla rationis usum recuperent: tum enim his intervallis divinorum mysteriorum fieri participes non prohibentur, imo debent.

X. Cæterum Parochi faciant omnino, ne Fideles ignorent sanctissimam Eucharistiam institutam fuisse tamquam spiritualem animarum cibum, quo ipsi frequenter pascendi sunt, ac reficiendi, si cupiant eo progredi, ut, abdicatis desideriis carnis, spiritu vivant. Doceant quoque eamdem esse antitodum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservamur. Revocent ad mentem primos illos Fideles, qui erant perseverantes in oratione, et communione fractionis panis. Hortentur etiam, ut ex hujus Sacramenti susceptione Fideles quærant solatium in adversis, quærant quoque vim, ac virtutem in suscipiendis arduis vel negotiis, vel itineribus; faciantque, ut intelligatur, his prospere gestis, nulla re melius posse Deo gratias persolvi, quam hujus Sacramenti susceptione, ut ipsum Eucharistiæ nomen significat (3). Studiosissime etiam insinuent, et cum divini cultus, et cum spiritualis eorum profectus ratione convenire, ut Fideles in majoribus anniversariis solemnitatibus Eucharistiæ pabulo se nutriant.

XI. Sed, inquit Benedictus XIV. (4), *nulla res est, in qua utilius Episcopi, Parochi, et Confessarii studium suum omne impendere valeant, quam in excitandis Fidelibus ad eam mentis puritatem sectandam, ut digni reddantur frequenti ad sacram mensam accessu, et non spirituali tantum, sed sacramentali etiam participatione illius Sacrificii, quod a Sacerdote tamquam publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed etiam pro ipsis, et ipsorum nomine offertur.*

XII. Qui autem ea sint animi puritate, ut digni reperiantur frequentiore ad sacram mensam accessu, dijudicabunt ii, quibus ab auditis Confessionibus singulorum animi sint explorati. Verumtamen et hos monemus, ne valde frequentem Communionem permittant

(1) *Matth. cap. 7. v. 6. et 15. Marc. cap. 7. v. 27.*

(2) *Rit. Rom. ibid.* §. Fideles, *et seqq.*

(3) *Sacrament. Eccl. Ferrarien. pag. 29.* §. Quam præterea.

(4) *Const.* Certiores effecti *LXIV.* §. 2. *Bull. Tom. I.*

iis, qui haud raro mortalibus sese inquinant peccatis, neque de emendanda vita sunt valde solliciti. Quin imo ne illis quidem frequentiorem permittant, qui in venialia sæpe incidunt, quibus eorum affectus adhæret (1). Dabimus vero in Appendice Decretum de hac re a sacra Congregatione Concilii editum, et a Ven. Innocentio XI. approbatum, quod ab Confessariis omnibus volumus diligenter legi, et observari (2).

XIII. Quos vero pro ratione vivendi, qua in via Domini assidue proficiunt, et pro desiderio participandi mysteriis divinis, quo flagrant, frequentiori Communione Confessarii dignos habuerint, augeant ipsi in his reverentiam erga mysteria ipsa, tum vero animi demissionem; neve passim sinant eosdem per plures non interruptos dies ad sacram mensam accedere, quin animam diligentius etiam Pœnitentiæ Sacramento expiaverint.

XIV. Nunc de sanctissimæ Eucharistiæ expositione tam ea, quæ dicitur publica, cum sacrata Hostia, quæ e majoribus esse debet, inclusa sphæra sive argentea, sive ex alia oblita argento materie, ita in altiore sede, umbraculo superposito, collocatur, ut sit per crystallum plane conspicua, quam alia, quæ dicitur privata, cum, ostiolo aperto, pyxis a Sacerdote superpelliceo induto medio in Tabernaculo collocatur populo conspicienda, vel Sacramentum in sphæra contentum sub umbraculo ponitur, velo tamen obductum, ne ejus pateat aspectus. Alios exponendi modos, quippe ritibus ab Ecclesia præscriptis non constant, neque probamus, neque permittimus; et in modis expositionum, quas probavimus, legibus Ecclesiasticis standum volumus cum iis, quæ ad ritum, tum aliis, quæ pertinent ad decorem.

XV. Cum vetitum sit in quacumque sive Sæcularium, sive Regularium Ecclesia divinam Eucharistiam publice exponere, nisi justa, eaque ab Episcopo probanda intercesserit causa, ejusque consensus accesserit (3); Nos interea dum approbamus, et commendamus, quod ita exponatur in omnibus Civitatis, et Diœceseos Ecclesiis, in quibus constanti temporum lege, et consuetudine fieri id solet, ab Ecclesiarum ipsarum Præfectis reposcimus, ut quot, quibusque in anno diebus sic exponant, intra tres menses ab hac Synodo edita accurato indice significent (4): inconsultis tamen, minimeque permit-

(1) *Vid. Bened. XIV. de Synod. lib. 7. cap. 12. n. 8. et 9.*

(2) *Append. N. XI. pag. 30.*

(3) *Bened. XIV. in Epist. ad Ep. Warmen. 16. April. 1746. et in alia ad Card. Urbis Vicar. 27. Jul. 1755. Plura decret. SS. CC. Epis. et Conc., quorum aliqua apud eumdem Inst. XXX.*

(4) *Plur. Synod. hoc ipsum injungunt.*

tentibus Nobis, aut nostro Vicario generali, extraordinarias, easdemque publicas Eucharistiæ expositiones fieri ad tempus vel brevissimum interdicimus.

XVI. Sacram vero Eucharistiam privatim exponere est Ecclesiarum Rectoribus integrum (1); haud tamen hoc ipsum licet, nisi ob causas, quæ prudentum virorum judicio sint justæ. Interim gravissime prohibemus, Eucharistiam instante nimbo, procella, aliove gravi periculo e Tabernaculo extrahi, aut sacram pyxidem cum Sacramento deferri ad extinguendum incendium (2), vel ad aliud periculum removendum.

XVII. In publicis expositionibus hæc serventur. Fiant, nisi aliter concedamus, in Altari maximo, cujus imago, si ad diuturnius aliquod tempus Sacramentum pateat, contegatur, in eodemque nulla omnino tum temporis pateat Reliquia, aut simulacrum. Cereæ faces sint ad minus duodeviginti (3), vel ad minimum quatuordecim (4), neque tunc ullum aliud Altare majori luminum numero colluceat. Cum vero exponitur sacra Eucharistia privatim, sex ad minimum faces colluceant; quæ tamen duodecim sint, si Sacramentum sub umbraculo velamine tectum ponatur.

XVIII. Quoties ad tempus diuturnum, vel ad quadraginta horas divinum Christi Corpus exponitur, Ecclesia sit, quam optime possit, ornata, luceatque in Altari per totum id tempus numerus mox præscriptus cereorum. Adstent quoque duo Sacerdotes, vel saltem duo Clerici aliquo ex majoribus Ordinibus initiati; illi quidem superpelliceo stolam addant, hi sine stola. Quod si necessitas cogat, vel receptum consuetudine sit, ut Clericorum loco adsciscantur Laici alicujus piæ Sodalitatis habitu induti, hi adoraturi numquam omnino sistant prope Altare, sed extra cancellos.

XIX. Ne ulla quidem Missa in eodem Altari celebretur, nisi una quando Sacramentum est exponendum, aut altera cum deponendum fuerit, si hoc fiat mane. Non est tamen id vetitum, si Altare sit unicum. Neque vero tunc temporis Missæ Defunctorum celebrentur; sed vel votivæ de Sacramento, aut quæ Officio respondeant, addita, nisi primæ, aut secundæ classis solemnitas hanc excludat, oratione de Sacramento. Neque intra Ecclesiam tum temporis eleemosynæ sive lancibus positis, sive alia ratione quærantur; ac nemo tunc

(1) *Bened. XIV. in ead. Epist. ad Urbis Vicar.*

(2) *Idem in ead. Epist.*

(3) *Synod. Prænest. sub Rufo.*

(4) *Synod. nostra Ferrarien.*

concionem habeat tecto capite, nisi velamine ante Sacramentum obducto.

XX. Interim Ecclesiæ foribus latum apponatur velamen, si opus eo sit, ne divina Majestas in suo veluti throno sedens, transeuntibus pateat. Cætera harum expositionum tempore servanda cum sint notissima, et usitatissima, prostentque in omnibus Ritualibus libris, facile hic prætermittimus; mandamus tamen universim, ut serventur singula accuratissime.

XXI. Non sine magna animi exultatione comperimus, alicubi in nostra Diœcesi extremis bacchanaliorum diebus per triduum sanctissimam Eucharistiam publice adorandam exponi. Utinam vero in quavis Diœcesis Parochia idem fieret, sive hoc ipso tempore, sive per hebdomadas Septuagesimæ, et Sexagesimæ, aut saltem feria Sexagesimæ quinta. Pertinet enim religiosa hæc praxis cum ad reparandas injurias, quibus divina Majestas per bacchanaliorum tempus impetitur, tum etiam ad divina impetranda auxilia, ne Fideles in tempore tentationis a via Domini recedant. Clemens XIII. P.M. Benedicti XIV. Decessoris sui vestigiis inhærens, Fidelibus confessis, et sacra Communione refectis, pie visitantibus Ecclesias, in quibus SSmi Sacramenti expositio sive in uno, sive in singulis prædictis triduis, sive etiam tantummodo in feria quinta infra hebdomadam Sexagesimæ peragitur, misericorditer Indulgentiam plenariam concessit (1).

XXII. Sed Nos non hoc solum exspectamus a populis nostris, neque hoc uno possumus esse contenti, ut mox commemoratis diebus ad obsequium Christo Domino in Eucharistia latenti præstandum confluant; rogamus potius ipsos, et obtestamur per fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, in qua omnes gloriamur, ut quotiescumque adorandum illius Corpus e Tabernaculo educi cognoverint, non e Templi regione, ut otiosi quidam, Nobis ægerrime ferentibus, solent, confabulantes consistant, Templum ipsum non ante ingressuri, quam Sacerdos exeat benedictionem elargiturus; sed statim, et cupide quidem ad illud convolent, atque animo, oculis, et totius corporis habitu pietatem, ac religionem testentur tantam, quantam deberi noverint ei, qui vere Deus est, sit quamvis sub speciebus panis absconditus (*).

(1) *S.C. Indulg. 23. Julii 1765.*

(*) De præcepto suscipiendi Eucharistiam in Paschate, et in mortis periculo, nec non de Processionibus, in quibus divina Eucharistia circumgestatur, agemus in parte sequenti. De quibusdam vero Eucharistiæ usibus, quos Ecclesia rejecit, vide Martene *de antiq. Eccl. rit. Tom.II. cap.*13. Durant. *in Ritual. lib.*1. *cap.*7. tum etiam Rit.Rom. *de Comm. infirm.* §. Sed alicui, *et de exorciz. obsess.* §. Admoneatur.

CAPUT V.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Missæ Sacrificium, sive summum, ab quo offertur, Sacerdotem; sive ejus victimam consideremus, quod utrumque est Christus Dominus, ab Crucis Sacrificio non differt. Verumtamen alius est modus, quo in Altaribus nostris offertur, alius, quo in Cruce se obtulit. Hic nimirum et sine alterius interventu Sacerdotis sese litavit, et suum præterea sanguinem vere fudit, mortemque obiit; in Missæ vero Sacrificio Sacerdotum ministerium intercedere voluit, effusio autem sanguinis, aut Christi mors non intercedit. Missæ itaque Sacrificium dignum omnino Deo est, ut Sacrificium Crucis, ipsiusque oblatione majestatem Dei adoramus, supremumque ipsius in res omnes factas dominatum testamur; tum majestati eidem pro collatis in nos beneficiis et agimus, et referimus gratias; pertinet præterea ad Deum ipsum peccatis nostris propitium reddendum, ac denique ad beneficia quæque nobis impetranda. Sunt autem cruentæ illius oblationis fructus, qui per incruentam hanc uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi hæc deroget quoquo modo. Quare *non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed etiam pro Defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, juxta Apostolorum traditionem, offertur* (1).

I. Nihil porro est, quod quidem haberi a Fidelibus possit, hoc ipso Sacrificio sanctius; nihil idcirco, quod majorem sibi ab iis, per quos est tractandum, postulet reverentiam, et sanctitatem: proinde merito plane B. Laurentius Justinianus ajebat (2): *Accedat Sacerdos ad Altaris tribunal, ut Christus; assistat, ut Angelus; ministret, ut sanctus; populorum offerat vota, ut Pontifex; interpellet pro pace, ut mediator; pro se autem exoret, ut homo*. Qua ex re oportet omnino Sacerdotem esse humilem, integrum, Deo conjunctissimum, ac talem, qui mortificationem Jesu Christi in corpore suo semper circumferat; qui ab sæculi pompis, profanisque spectaculis summopere abhorreat; qui honores, atque divitias contemnat, et fugiat, cujusque conversationem in cælis esse, dijudicari haud difficile possit.

II. Quo divinior autem est actio sacrificandi, et quo altiorem

(1) *Trid. Sess. XXII. de Sacrif. Miss. cap. 2.*

(2) *Serm. de corp. Christ.*

sanctitatis gradum postulat, eo etiam magis instare Sacerdos debet orationibus, et obsecrationibus nocte, ac die. Oret ergo Sacerdos indesinenter; dabit enim Pater cælestis ex animo petenti, quidquid ad ejus vitæ sanctitatem est necessarium. Ad obices vero divinæ gratiæ removendos suam sæpe conscientiam discutiat, studeatque vel ab iis, quæ levia existimantur, abstinere peccatis: meditetur sæpe, quod agere solet ad Aram, cumque in eo erit, ut ad immolandum accedat, fidem intendat, spem augeat, caritate prorsus ardeat, revocetque ad memoriam, ut ipse Christus mandavit, ejus passionem, ac mortem (1).

III. Non despiciendam existiment Sacerdotes rubricam de recitando ante Sacrificium Matutino cum Laudibus (2); sed cum Doctoribus exploratæ pietatis, nisi aliqua rationabilis causa contrarium exegerit, sese illi conforment. Sunt etiam preces quædam, prout opportunitas feret, recitandæ. Sed ut Sacerdotes proxime, antequam accedant ad celebrandum, colligant sese, et ad pietatem serio componant, id sane postulat cum tremendi Sacrificii ratio, tum etiam ratio vitandi offensionem Fidelium, qui sine dubio exhorrescerent, si quem viderent a ludis, ab otio, a curis sæculi vi quadam avulsum, ad Aram operaturum accedere, eademque ab Ara post brevissimam gratiarum actionem properato gressu ad res easdem redire. Si qui autem, quasi ex habitu, et consuetudine absque præparatione, et gratiarum actione sæpius celebrent, (nullos autem tales in Diœcesi nostra futuros speramus,) de cætero ad celebrandum per Sacristas non admittantur (3).

IV. In proxime præcedenti Synodo, atque in omnibus superiorum Visitationum decretis cavetur, ne Sacerdotes absque vestibus talaribus in Ecclesiis intra mœnia constructis audeant celebrare, sub pœna suspensionis in iisdem decretis contenta (4). De constitutione hac ita in posterum haberi volumus. 1. Præcipimus, ut Sacerdos quicumque, sive in Civitate celebret, sive in Diœcesi, sive in sua, sive in Regularium Ecclesiis, aut etiam in privato aliquo Sacello, sit talari, juxta Canones, veste indutus. Quicumque ex nostris secus fecerit, suspensus ipso facto a Missæ celebratione sit: quam suspensionem tollere Nobis reservamus. Ea autem sit hujusmodi vestis, quæ ab hume-

(1) *I. Corinth. cap. 11. v. 26.*

(2) *Rubric. Missal. Rom. de præp. Sacerd. §. 1. Vide Bened. XIV. de Sacr. Miss. lib. 3. cap. 23. n. 3. et 4.*

(3) *Lit. Encyclic. de mandato V. Innoc. XI. anno 1678. Edict. Urbis 1681. et 1706.*

(4) *De Sacram. tit. 5. cap. 2.*

ris ad talos usque profluat. 2. Præcipimus, ut Sacerdos quilibet e nostris in celebrando utatur veste talari propria; et Sacristis quibuscumque, sub pœnis arbitrio moderandis, interdicimus, ne talarem, quæ Sacrarii sit, vestem talibus commodent. 3. Si Sacerdos alienæ Diœcesis peregrinetur in nostra, aut si nostri Sacerdotes a Civitate in agrum ad aliquod tempus se conferant, aut qui in agro morantur in aliam Parochiam, sive in Civitatem veniant, ut hi omnes talari veste in celebrando utantur præcipimus; sed permittimus etiam, ut e Sacrario eam accipiant. Unam idcirco, aut etiam alteram ex hisce vestibus in promptu habeant Sacrarii custodes, quam iis afferant, quibus licere mox dictum est; sed nisi judicium nostrum, et hoc quidem grave, experiri velint, non sinant omnino, Sacerdotem quempiam sine descripta veste divinam rem facere.

V. Qui præsunt Ecclesiis curent, ut omnis supellex, cujus in Sacrificio futurus est usus, mundissima sit, minimeque lacera, nec quomodocumque vitiata. Æditui autem non raro singula ornamenta, mappas Altarium, albas, amictus explorent, excutiant, atque hæc omnia, simul atque opus fuerit, reficienda curent. Neque enim ferendum ullo modo est, ut vitia ulla, quamvis leviora, videantur in hisce rebus, cumprimisque in purificatoriis, corporalibus, et pallis; sed res ipsæ protinus permutandæ. Constent autem corporalia, ac pallæ ex denso lino (1).

VI. Quodcumque metallicum instrumentum divinæ Eucharistiæ excipiendæ paratum, saltem qua parte illam contingit, sit auro obductum. Et, quantum fieri potest, crater saltem calicis, atque patena sit ex argento (2).

VII. Jam vero præter quam quod oportet Altare esse decenter ornatum, et tribus omnino lineis mappis contectum, debet etiam inter candelabra Crux, et Christi Domini ex ea pendentis imago prominere (3). Et quidem suprema est auctoritate statutum, non posse rem divinam fieri in Altari, ne illo quidem excepto, in quo intra Tabernaculum divina Eucharistia asservatur, nisi Crux, quam diximus, talis sit, atque ita constituta, ut Sacerdos, et populus sacro adstans Crucifixum facile, et commode possint intueri. Quod si in majori Altaris tabula Servator noster Cruci suffixus, aut cælatus appareat, tunc nullam inter candelabra poni Crucem necesse est (4). Si autem

(1) *Cap.* Consulto *46. de cons. dist. 1.*

(2) *Ex cap.* Ut calix *45. de cons. dist. 1.*

(3) *Miss. Rub. 20.*

(4) *Bened. XIV. Const.* Accepimus præstantium *XVII. Tom. II. Bull.*

Sacrum fiat in Altari, ubi divina Eucharistia est publice exposita, declarationes recentiores docent retinendum Ecclesiæ cujusque institutum, ac morem esse.

VIII. Quia vero alia ad Sacrificium spectantia, priusquam in usum deducantur, sunt benedicenda, alia sunt consecranda, nemo umquam illa nondum benedicta, aut nondum consecrata audeat usurpare. Illorum benedictio petenda a Nobis, aut ab iis, qui sunt auctoritate Apostolica delegati; consecratio vero per sacram unctionem petenda prorsus a Nobis est. Prælati autem regulares hac facultate pollentes, ad suarum dumtaxat Ecclesiarum servitium uti ipsa possunt (1).

IX. Materies porro, quæ in Corpus, et Sanguinem Jesu Christi Filii Dei est convertenda, enitendum omni studio est, ut sit aptissima, et etiam purissima. Bucellæ itaque, sive formulæ, quas vulgo hostias vocamus, sint ex tritico omnino puro, sint candidæ, sint recentes, sint ita comparatæ, ut non ita facile in fragmenta ad oras dissiliant; Nosque tam haberemus gratum, quam quod gratissimum, si quæ ex sacris personis, quarum appellatione et sacras Virgines designamus, illas per sese conficerent. Vinum, quantum fieri potest, album sit; sed caveatur omnino, ne sit aqua mixtum, neve sit subacidum.

X. Sacerdotes, nisi peculiare eos privilegium juvet, cum celebrant, annulum nequaquam gestent (2); neque utantur pileolo in capite (3), vel ficta cæsarie (4), nisi veniam ab Apostolica Sede impetraverint. Exulet autem a cæsarie ipsa cultus quivis exquisitior, levitatis mundanæ argumentum, neque in vanitatem transferatur, quod dumtaxat sanitati conceditur. Nefas etiam cuilibet sit ocreatum accedere ad celebrandum (5).

XI. Missa, quantum fieri potest, cum Officio conveniat. Si quis tamen celebraturus sit in Ecclesia, ubi Officium est ritus duplicis, non legat Missam Defunctorum, etiamsi ipse recitet Officium semiduplex (6). Qui Missas celebrant in Ecclesiis Regularium, aut Monialium, in quibus Festum agitur sub ritu duplici, et cum Missa propria, hi quidem celebrent Missam, quam postulat Festum, sed

(1) *Lambert. Inst. XXI.*

(2) *Cap.* Clerici officia *de vit. et honestate Clericor. Conc. Rom. tit.16.cap.3.*

(3) *Cap.*Nullus Episcopus 57. *de cons. dist. 1.Vid. dec. S.C.R.ad initium Missal.*

(4) *Lambert. Inst. XCVI. Idem. de Synod. lib.4.cap.9. §.5.*

(5) *Plur. Syn.*

(6) *S.C.Rit.* in Conversana *an.1668.*

utantur Missali Romano: propriam enim Missam celebrare, nisi ex peculiari concessione, non debent. Idem omnino servent Capellani Monialium (1).

XII. Quibus diebus licet Defunctorum Missas legere, iisdem semper publice pateant in Sacrario vestimenta coloris Officio diei convenientis, ut si quis malit votivam Missam celebrare, sive decurrentis Festi, aut feriæ, facile possit.

XIII. Dum Sacerdos jam jam celebraturus lavat manus, et sacras subinde assumit vestes, sermonem cum aliis non misceat; sed haud prætermittens ad singula hæc preces ab Ecclesia præscriptas, religionis, quibus animo afficitur, (credimus enim affici, quia affici debet,) sensus prodat exterius toto corporis habitu; ac si quando contingat, (provideant vero Sacrarii custodes, ne contingat,) ut ei vestibus sacris induto diu sit exspectandum, patientiam non abrumpat, sed silentium, ac religionem interius, exteriusque, ut mox dictum, servet. Cum vero ad Altare prodibit, aut inde ad Sacrarium revertetur, oculos habeat ad terram demissos, graviterque, composite, ac decenter incedat.

XIV. In ipsa deinde tremenda actione Rubricas, quas callere apprime debet, non modo servet, verum etiam cum dignitate servet. (2). Hoc si faciat, non minus certe ut plurimum tertia horæ parte in illa consumet; atque ita tempus implebit eidem præfinitum in Concilio Romano (3). Ut vero hic improbamus nimiam Sacerdotum in re divina facienda festinationem; ita etiam nimiam aliorum eadem in re cunctationem, quos quidem idoneis conscientiarum moderatoribus curandos tradimus. Interea tamen eosdem cavere jubemus, quod cavere omnes debent, ut verba, quibus sanctissima Eucharistia consecratur, proferant quidem integre, distincteque, at sine interruptione, seu interpolatione, quæ interdum dubiam reddere potest consecrationem, et quandoque tanta esse potest, ut verbá non conjungantur ita, quemadmodum opus est, ut Sacramenti formam constituant, utque sint consecratoria.

XV. Parochorum erit, si quos Sacerdotes in Missarum celebratione non satis accurate Rubricis se conformare deprehenderint, eos secreto quidem, omnique caritatis ratione servata, sed libere tamen

(1) *S.C.R. dec. gen. sub Clem. XI.*

(2) *Trid. Sess. XXII. dec. de observ. et evit. in celebr. Miss. Bened. XIV. de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 24. num. 3. et Inst. XXXIV. §.6.*

(3) *Vide Edict. in Appendice ejusd. Conc. num. 18.*

officii admonere; aut si tanto animo non sint, ut monere audeant, vel si de monitionis fructu desperent, rem deferre ad Nos, qui opportune curabimus, ne illi de cætero maledictioni sint obnoxii, quam ii merentur, qui faciunt opus Dei negligenter.

XVI. Iisdem autem Parochis, atque Sacrariorum custodibus facultatem facimus, et commendamus, ut certas, quas habent Missas, præsertim si pauciores sint, diebus Festis potissimum, ita per tempora distribuant, ut eorum, qui ad Ecclesiam conveniunt, commodo, quantum fieri poterit, satisfaciant. Quos vero ipsi Sacerdotibus ad Aram agentibus constituunt adjutores, oportet ad officium hoc, Angelicum merito nuncupatum, rite obeundum probe esse instructos; optandumque est, ut hi diebus præsertim Festis eodem defungantur induti veste talari, et superpelliceo. Hinc autem semper arcendi pannosi, ac sordidi, tum etiam non satis in hoc ministerio periti: neque vero sinendum, ut qui volunt peritiores videri, exerceant, quæ propria Diaconi, aut Subdiaconi sunt.

XVII. Rubricæ Missalis tempus, intra quod Missæ possunt celebrari, excepta semper sola Missa solemni, quæ celebratur in nocte Nativitatis Domini (1), aurora, et meridie concludunt (2). Neque tamen violatæ hujus legis reus habetur, si quis parte horæ tertia antevertat auroram sic, ut Missam ad auroram ipsam absolvat, vel etiam si absolvat eamdem tertia post meridiem horæ parte elapsa (3). Ecclesiarum vero Præfectis, atque Custodibus interdicimus, ne copiam cuilibet præter has horas celebrandi faciant. Si hos horarum fines prætergrediantur, qui facultatem habent celebrandi in privatis domorum Sacellis, noverint Nos posse indultum ipsis subtrahere ex facultate in ipso Indulto Nobis concessa.

XVIII. Postremis Hebdomadæ majoris diebus unum tantum, et quidem solemne Sacrificium in iis dumtaxat Ecclesiis, quæ perpetuo Eucharistiam servant, licet offerre. Id vero si fiat, ritus omnes serventur, qui in Rubricis pro tribus illis diebus præscripti sunt. Hos vero pro minoribus Ecclesiis Parochialibus referemus in Appendice (4).

XIX. Qui Missas ad privilegiatum Altare celebrare debent, animadvertere jubentur non alias, quam Defunctorum Missas legendas esse, quibus diebus Rubricæ id permittunt; cum autem vetant, Mis-

(1) *Cap.* Nocte sancta *de cons. dist.* 1. *Rom. num.* 18. §. 9. *Lambert. Inst. XIII. num.* 3. 4. *et* 5.

(2) *Rub. Mis. tit.* 15. §. 1.

(3) *Vid. Edict. in Append. ad Conc.*

(4) *Append. N. XV. pag.* 39.

sa de Sancto legenda est, et ea Missa indulgentiæ utilitate minime caret (1).

XX. Cum æquum sit, qui Altari servit, de Altari vivere, fas est, et justum, ut Sacerdos, qui juxta piam voluntatem alterius petentis Sacrificium offert, accipiat eleemosynam, non tamquam retributionis mercedem, quam exspectare debet a domino, sed tamquam *stipendium sustentationis* (2). Pro Missa vero manuali ex nostræ Diœceseos consuetudine taxata eleemosyna est obulorum decem. Hanc taxam servari volumus, ac sub pœna suspensionis per triduum, et restitutionis excessus, vetamus pro manuali Missa exigi majus stipendium ex quocumque præhabito pacto. Poterit tamen majus accipi, si majus non ex errore, sed ex speciali hominum pietate offeratur, aut si quæ circumstantiæ habeantur extrinsecus, ob quas juste possit augeri (3).

XXI. Onera Missarum perpetua ab nemine prorsus Sæcularium, vel Ecclesiæ, aut Ecclesiastici Beneficii Rectore, aut piorum Locorum Administratore, aut puellarum Conservatorii Præside, nulloque Capitulo, Collegio, Societate, vel Congregatione suscipiantur sine nostro in scriptis consensu. Qui secus fecerit, juxta Urbani VIII. decretum ab Innocentio XII. confirmatum, in pœnam statim incurret interdicti ab ingressu Ecclesiæ (4). Stipendia vero Missarum perpetuarum infra duos julios in posterum non taxentur; si vero antiquum fuerit onus, quamvis notabiliter fuerit stipes imminuta, absque Sedis Apostolicæ facultate a nemine reducatur (5).

XXII. Ex stipendiis pro Missis perpetuis relictis solet quidquam detrahi in commodum Ecclesiæ, quæ Sacerdoti sacra vestimenta, ac cætera ad Missam celebrandam necessaria suppeditat. Nos hujusmodi taxas, quas et necessarias Ecclesiis, et admodum moderatas cognovimus, ex integro approbamus, easdemque, si quando fuerit opus, augendi facultatem Nobis reservamus. Ex eleemosynis vero manualibus nihil eo nomine detrahendum.

XXIII. Plurima de Missarum celebratione sunt constituta, ac definita, quæ Sacerdoti cuilibet sunt probe cognoscenda, tum accurate adimplenda, quorum nunc præcipua notabimus. Ac primo nun-

(1) *Declar. S.C. sub Clem. XI.*

(2) *S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 2.*

(3) *Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 5. cap. 9. n. 1.*

(4) *Innoc. XII. Const.* Nuper a Congreg. §. Ad hæc.

(5) *S.C.C. de mandat. Urban. VIII. 25. Jun. 1625. et 1626.*

dinationem illam, qua eleemosynæ pro Missis celebrandis colliguntur, ut vel ibi, vel alibi minori stipendio celebrentur, retenta stipendii parte, excommunicatione si Laici, et Sæculares id fecerint, suspensione vero si Ecclesiastici fuerint; et his quidem censuris ipso facto incurrendis, et Romano Pontifici reservatis confixit Benedictus XIV., etiamsi celebrans majoris eleemosynæ conscius minori stipendio contentus fuerit (1).

XXIV. Sacerdos item graviter tenetur tot omnino Missas celebrare, quot pro stipem offerente celebrandas suscepit, quin stipis ipsius exiguitas illum excuset (2). Item si quando sacrificandum suscepit certis sive diebus, sive Ecclesiis, sive Altaribus, caveat, ne id aliis sive locis, sive temporibus faciat, si velit satis munus suum implere (3). Item si quis pro Missa manuali eleemosynam solito majorem acceperit, non potest eam, stipendii parte sibi retenta, alteri Sacerdoti celebrandam committere. Hoc si faciat, præter culpam, et restitutionis onus, debitis quoque pœnis erit puniendus, idque quamvis eidem Sacerdoti Missâm celebranti majus se accepisse stipendium indicaret, atque ille consentiret (4).

XXV. Vetitum præterea est, ne Sacerdos, nisi conscii sint, atque consentiant, qui eleemosynas tribuunt, plures etiam sponte oblatas sumat Missas celebrandas, quibus intra modicum tempus nequeat ipse satisfacere (5). Extat vero aliud decretum declarans tale tempus mense contineri (6). Pertinet autem hoc ipsum etiam ad Ecclesiarum Rectores, et Sacrariorum Præfectos, qui, si eleemosynæ offerantur pro Missis, quarum in ipsorum Ecclesiis onera brevi, quod mox dictum, tempore impleri non poterunt, has non debent recipere, nisi de impotentia satisfaciendi intra breve tempus offerentes monuerint, hique expresse consenserint, ut differantur, vel in alia Ecclesia, aut Altari celebrentur (7).

XXVI. Quoad eleemosynas, quæ Fidelium largitione deponun-

(1) *Const.* Quanta cura *XXII. Bull. Tom.I.*

(2) *S.C.C. de celeb. Miss. jussu Urbani VIII. eod. die 25. Jun. et ann. alixq. declaration. ab Innoc. XII. confirmat. ead.Const.* Nuper.

(3) *Ex S.C.C. in* Atinen. 18. *Augusti* 1628.

(4) *Ead. Congr. in* Roman. 23. *Aug.* 1664.

(5) Ex *memorat.Const.* Nuper a Cong. §. Eleemosynas, *et decl. ejusd. S.C.C.ad dub.X.*

(6) *S.C.C.* 17. *Jul.*1665. *Vid.Lambert. Inst. LVI. n.*14.

(7) *Vide Bened. XIV. de Syn. lib.* 13. *cap. ult. n.* 12. *apud quem S. C. dec. Vid. etiam eumd. lib.* 12. *cap.* 7. *n.*4. *et* 5.

tur in capsulis, et in primis quoad eleemosynas, quæ solent colligi Dominica Quadragesimæ quarta pro animabus in Purgatorio degentibus, statuimus, ut quæ ex iis supersunt, celebratis vel generalibus Officiis, vel solemnibus Missis, in tot Missas manuales intra discretum tempus celebrandas erogentur, quot eleemosynis illis respondeant. Qua super re, (quippe est gravissima,) Parochorum conscientiam oneratam volumus, ne quis sibi forte blandiatur. Quod si hujusmodi Missæ intra discretum tempus ab locorum Sacerdotibus nequeant celebrari, Nos ipsos de re tota moneri volumus. Namque nisi ex concessione nostra committi earum celebrationem extra Parochiam, eoque magis extra Diœcesim haud patiemur.

XXVII. Cum in Missarum oneribus, quæcumque illa sint, mens Fundatoris, vel offerentis sit ad unguem adimplenda, hinc fit, ut Sacerdos, qui quotidie aut per se, aut per alium debet celebrare, nullo umquam die possit à celebrando per se, aut per alium cessare, nisi aliud constet ex fundatione. Qui tamen Sacrum facere quotidie per se ipsum debet, conceditur ei, *concurrente rationabili causa*, ad breve tempus a celebrando vacare, quin alium teneatur sufficere (1).

XXVIII. Atque ut perpetuo de mente Fundatorum constet, districte præcipimus, ut in quovis Sacrario publice prostet tabella a Nobis signanda, in qua descripta ordinatim sint omnia, et singula annua onera Missarum, aliorumque Officiorum, quæ Ecclesiæ illi quacumque ex causa imposita sunt, et in qua etiam notatum perspicue sit pro quibus, quo die, in quo Altari, quo ritu Missæ sint celebrandæ. Item præcipimus, ut unus, vel multiplex habeatur liber bene compactus, in quem subinde propria quisquis referat manu quidquid oneris particulatim implevit, explicatis causa, atque titulo oneris, tum vero anno, mense, die, quo satis illi fuerit factum (2).

XXIX. Singulis annis intra mensem Januarii, coram iis, quos pro Civitate, aliisque, quos pro Diœcesi designabimus, de Missarum oneribus, an fuerint impleta, ratio est ineunda (3). Hi omni, quam rei gravitas postulat, fidelitate, diligentiaque dispiciant non modo utrum tot celebratæ fuerint Missæ, quot celebrandæ erant, sed etiam an iis diebus, eo ritu, eo in Altari, quibus erant celebrandæ; remque omnem communicent Vicario nostro generali, qui si quos in suis

(1) *Ben. XIV. lib. eod. cap.9. n.4.et 5. et Inst. ead. n.6.*

(2) *Literæ Encyclic. S. C. C. de mand. Alex.VII. 13. Decemb.1663.*

(3) *Vide Bened. XIV. de Synod. eod. cap.9. n. 4. et 5.*

oneribus implendis peccasse deprehendet, eos juris remediis, et pœnis arbitrio compensare omissa Sacrificia compellet.

XXX. Sacerdotes exteri, et universim qui non satis cogniti sunt, non admittantur ad celebrandum, etiam in Regularium Ecclesiis, absque commendatitiis, seu dimissorialibus proprii Ordinarii a Vicario nostro generali subscriptis (1). Item Regulares ignoti, nisi ostensis testimonialibus suorum Superiorum (2).

XXXI. Sacerdotibus tamen, qui in varias Diœcesis partes se conferunt, quin Civitatem attigerint, dimissorialium, quas Parochis exhibuerint, fide permitti poterit, ut ad triduum celebrent.

XXXII. Jam et Cancellario nostro severe prohibemus, ne Sacerdoti alienæ Diœcesis, qui diutius in nostra morari velit, celebrandi facultatem faciat, nisi satis constiterit, eum esse sacrarum cæremoniarum peritum. Ejus autem peritia exploretur a Parocho, aut ab cæremoniarum Magistris, a quibus authenticum referat testimonium.

XXXIII. Nostri autem Sacerdotes, si quando a ditione nostra ad sex menses abfuerint, caveant, ut cum ad Nos redeunt, secum perferant literas aut Præsulis, cujus ab Diœcesi veniunt, testantis posse illum celebrare, aut alterius, qui tamen sit fide dignus, testantis Missam ab ipso fuisse per id tempus celebratam.

XXXIV. Extremo loco monemus Sacerdotes, qui legitime non sint impediti, ut Sacrum non modo quam religiosissime, sed etiam quotidie faciant, daturi quotidie Deo summam gloriam, Sanctis honorem, sibi autem, et reliquis Christi fidelibus fructus uberrimos paraturi. Absit vero, ut vel suspicemur, esse inter nostros, qui stipendio proposito moveantur ad celebrandum, quique idcirco, deficiente stipendio, abstineant a celebratione. Nobis certe ad tantæ perversitatis exponendam indignitatem verba non suppetunt. Convertimus itaque potius orationem nostram ad Parochos, et Catechistas, ipsisque, quanto maximo possumus studio, commendamus, et quanta hac in re pollemus auctoritate in mandatis damus, ut quibus instituendis præfecti sunt, iis Sacrificii, de quo agitur, necessitatem, præstantiam, fines, fructus, rationem etiam, qua vel ab Laicis est offerendum, exponant, ut summam, prout par est, erga illud religionem concipiant, quotidieque illi interesse satagant. Certe si vel ipsi

(1) *Concil. Chalced. rel. in cap.* Extraneo 7. *dist.* 31. *Trid. Sess. XXII. de Sacrif. Miss. Dec. de observ. et vit. in celeb. Miss. Lit. Encycl. supr. sanct. Inquisit.* 26. *Jan.* 1692.

(2) *S.R.C.* 15. *Octob.* 1680.

opifices, atque ruricolæ non ante se diurnis laboribus dederint, quam Deo et Filium ejus per Sacerdotem, et se ipsos obtulerint quotidie, divinam experturi erunt largitatem ad omne, quo indigebunt, beneficiorum genus ipsis impertiendum porrectam.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio, et gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et Dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur (1). Remittuntur nimirum per hoc Sacramentum lapsis post Baptismum peccata, quandocumque justo judicio, qui ejus sunt administri pœnitentes absolverint. Sed hujus judicii, potestatisque exercendæ munus tam grave est, tam difficile, tam formidandum, ut nisi multa caveantur, non pauca perficiantur, cessurum sit in Sacerdotum, ac pœnitentium ruinam, quod in illorum meritum, atque in horum salutem est institutum. Doluere olim Lateranenses Patres, inter cætera unum esse, quod sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsam videlicet Fidelium pœnitentiam (2). Quod vero pœnitentia non semel sit falsa, fieri potest vitio et eorum, qui Sacramentum suscipiunt, et illorum, qui id ministrant. Vitium illud eliminabunt Pastores nitide, distincteque docendo, quæ sint facienda, ut Sacramentum hoc rite suscipiatur; Nos vero nunc dabimus operam iis edicendis, quæ erunt servanda, ut idem Sacramentum non modo numquam inaniter administretur, sed fructuose semper, et decore.

I. Canonicus Pœnitentiarius, qui quasi Parochus totius Diœceseos est, potest ex munere suo in tota nostra Diœcesi Sæcularium Confessiones audire. Possunt item ex munere suo Presbyteri, qui actu Parochiale Beneficium obtinent, excipere Confessiones suorum Parochialium (3), et ex consuetudine, quam probamus, possunt in-

(1) *Trid. Sess. XIV. cap.1.*
(2) *Conc. Lat. II. can.22.*
(3) *Trid. Sess. XXIII. cap.15. de Ref.*

tra Dioecesim nostram excipere Confessiones Sæcularium quorumcumque. Nemo autem alius Sacerdos sive sæcularis, sive regularis, quem distincte Nos non approbaverimus, potest Sæcularium quorumcumque, etiam Sacerdotum, in Dioecesi nostra Confessiones audire (1); et attentans audire, peccaret ipse, atque etiam puniendus gravissime (2), nec non absolutio, si quam impertiret, irrita prorsus esset (3). Atque hæc pertinent etiam ad Sacerdotes, si qui a Nobis non approbati poenitentes absolverent, qui se accusarent tantummodo de venialibus, aut de letalibus alias rite confessis (4). Qui autem approbati a Nobis Confessiones audituri sunt in aliorum sive Parochorum, sive Superiorum Ecclesiis, æquum est, ut munus non aggrediantur, nisi eorum de voluntate, ad quos Ecclesiæ pertinent, in quibus poenitentes sunt audituri (5).

II. Porro in generali Confessiones audiendi facultate numquam includitur facultas excipiendi Confessiones Monialium, aut foeminarum in Monialium clausura degentium: ad has enim audiendas Sacerdotes, etiam regulares, quicumque sint, peculiari indigent approbatione (6). Neque vero si quispiam certum ad Monasterium sit destinatus, ut ibi ordinarii, aut extraordinarii Confessarii munere fungatur, debet idcirco existimare, approbatum se esse ad id munus in alio Monasterio exercendum.

III. Quibus autem generalem fecerimus excipiendarum Confessionum facultatem, ii non possunt ab censuris, aut peccatis Nobis reservatis absolvere, nisi a Nobis, aut a Vicario nostro generali peculiarem hujusce rei obtineant potestatem, etiamsi iidem ipsi facultatem habeant absolvendi a casibus Apostolicæ Sedi reservatis (7). Et qui carens speciali, quam diximus facultate, extra mortis articulum, in quo cessat reservatio quæcumque, a censuris, atque peccatis Nobis reservatis absolveret, præterquam quod absolutio esset inanis, incideret ipso facto in poenam excommunicationis, privationis Beneficiorum, et officiorum, tum etiam inhabilitatis ad ea obtinenda, aliasque, super quibus a nemine, nisi a Pontifice Maximo habilitatio, dispensatio, et absolutio concedi posset (8).

(1) *Trid. ibid. Vid. prop. 13. et 16. inter proscript. ab Alex.VII.*

(2) *S.C.C. in* Neapolit. 14. *April.* 1646. *Greg.XV.Const.* Inscrutabili *XVIII. et alib.*

(3) *Ex Trid. Sess.XIV. cap.7.*

(4) *Decr.Innoc.XI. 2. Feb.1679.*

(5) *Plures Synod.*

(6) *Greg.XV. ibid. et alibi.*

(7) *S.C.Episc.et Regul. sub Clem.VIII.* 1601.

(8) *Ead.sac.Congr. sub eod.Clem.VIII. Ead. sub Paulo V. 1617. et sub Urbano VIII. 1628. Clem.X. Const.* Suprema, *Bened.XIV. de Syn. lib.5. cap.5.n.6.Idem*

IV. Multis præterea Summorum Pontificum Constitutionibus iisdem sub pœnis tollitur Confessariis potestas absolvendi a censuris, et casibus, quos iidem Summi Pontifices sibi tantum, suæque Sedi reservarunt. Si quando autem opportunum duxerit Confessarius a quibusdam ejusmodi casibus absolvere, opus habebit impetrare ab Apostolica Sede eam facultatem.

V. De Confessario tamen, quoad pœnitentem complicem in peccato turpi, seu contra sextum Decalogi præceptum, sic est habendum, illi ne pro tempore quidem Jubilæi facultatem hunc absolvendi suppetere, ac nullam omnino, et irritam futuram absolutionem, si eam impertierit, imo Confessarium eumdem ipso jure in excommunicationem Summo Pontifici reservatam incursurum. Verum si is pœnitens in mortis articulo sit constitutus, tum solum ab eo Confessario absolvi poterit, cum nullus omnino adsit Sacerdos, etiam minime alias approbatus, cui sine scandalo, aut infamia confiteri possit. Ac si absque necessitate hujusmodi, quam vitare nulla ratione potuerit, Confessarius eum pœnitentem audiat, in majorem, et Apostolicæ Sedi reservatam excommunicationem ipse incidet, valide tamen absolvet. Constitutiones Benedicti XIV., ex quibus hæc omnia constant, consulat quisque in Appendice (1).

VI. Et in mortis quidem articulo nulla est reservatio; sed omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis censuris, atque peccatis absolvere possunt (2). Qui tamen a censuris absolvit, pœnitentem moneat, si convaluerit, teneri se illis sistere, quibus ea vincula solvere reservatum est, eisdemque plane parere: recidet enim in censuras easdem, si præstare hæc renuat, aut diutius, quam par sit, differat (3).

VII. Ut vero in administrando hoc Sacramento rite, et constantissime quidem muneris sui partibus omnibus Confessarius fungatur, debet assidue sibi a luminum Patre postulare sapientiam ad discernendum judicium, et a Domino ipso virtutum robur ad id libere, perpetuoque ex veritate faciendum, quin in sinistrum aut ignorantia trahatur, aut favore inflectatur, aut corrumpatur spe ulla, vel acceptione personæ. Cæterum Deus, qui adjuvat infirmitatem nostram, non fo-

in suo Brevi Pias §. 3. *quod legit. Bull. Tom. II. n.* 2. *S. C. C. in* Colonien. 16. *Sept.*1720.

(1) *Append. N. XXVI. pag.* 67. *et N. XXVII. pag.*70.

(2) *Trid. Sess.XIV. cap.*7.

(3) *Cap.* Eos qui 22. *de sent. excom. in sext.*

vet inertiam; ac providendum Confessariis est, ut cum diligentia cuncta faciant, memores se non hominis exercere judicium, sed Domini, et quodcumque judicaverint in se ipsos redundaturum (1). Itaque non negligant adjumenta, quæ labore sibi, ac studio poterunt comparare.

VIII. Habeant idcirco apud se aliquot ex probatioribus moralis Theologiæ Doctoribus, quos sæpe evolvant, neque in rebus difficilioribus, uti Benedictus XIV. commendat (2), *privatis suis opinionibus nimis adhæreant*; ac si quæ in munere exercendo dubitationes oriantur, caveant a definiendo ex tempore, ne non ratione, sed arbitrio definiant. Dimittant potius pœnitentem, eique præcipiant, ut responsionem auditurus certam ad diem revertatur. Interim vero, verba sunt laudati Pontificis (3), *plures Scriptores examinent*, *qui magis inter cæteros prædicantur*; *deinde eas partes suscipiant*, *quas tum ratione*, *tum auctoritate plane confirmatas intelligent*. Hoc vero monitum alia Constitutione porrigit ad ea omnia, quæ sive ad forum Sacramentale, sive ad rectum conscientiarum regimen quoquo modo pertinent (4).

IX. Illud vero in primis Confessarius habeat animo infixum, potestatem Sacerdotibus datam in eos, qui ad Pœnitentiæ tribunal accedunt, discreto, justoque judicio alias in remittendis peccatis, alias in retinendis esse exercendam (5); prudentemque absolutionis protractionem, quam Evangelicæ et promissiones, et minæ comitentur, simul et salutaria remedia, quæ interim adhibeantur, admirabilis per Dei gratiam virtutis futuram in abolenda vel longa vitiorum consuetudine confirmata nequitia.

X. Quemadmodum vero Confessarius debeat se gerere cum ignorantibus ea, quæ scitu necessaria sunt Fidelibus, præcepimus jam in prima parte (6); nunc dumtaxat monebimus, ut super iis interroget, quos suspicetur illa nescire. Jam et qui in proxima, eademque libera peccandi occasione versantur, nisi hac amota, prorsus non sunt absolvendi; si vero sit necessaria occasio, ordinarie non sunt absolvendi, quousque adhibitis opportunis mediis ex proxima remota evaserit. Eorum quoque diligentissime examinanda voluntas, qui gravis

(1) *II. Paralip. cap.19. v.6. et 7.*

(2) *Const.* Vix pervenit *XCIII. §. 8. Bull.Tom.I.*

(3) *Cost. ead.*

(4) *Const.*Apostolica *XIX. §.27.Bull. Tom.III.*

(5) *Joan. cap. 20. v. 22. et 23.Trid. Sess. XIV.cap.8.*

(6) *Cap.I.n.9.*

alicujus sceleris, præsertim blasphemiæ, ebrietatis, et incontinentiæ consuetudine sunt irretiti; qui sunt nefario quovis contractuum, pactionumque genere impliciti; qui moram restituendis alienis objiciunt, cum restituere possint; qui odiis, inimicitiisque diutinis distinentur; qui jam moniti negligunt vel scire, vel exercere, quæ proprii sunt muneris; qui lubricam præsertim ætatem, quam habent suæ fidei commissam facili peccandi periculo, etiamsi alias moniti fuerint, exponi sinunt; qui cum publice peccaverint, quam dederunt offensionem, nondum tollere conati sunt. Hi, aliique horum similes, quem dolorem, quodque propositum voce, pectorisque tunsione testantur, eumdem factis ut plurimum negant. Qui idcirco probandi omnino sunt, neque ante absolvendi, quam prudens de ipsorum ad gratiam in Sacramento obtinendam sufficienti præparatione fiat judicium. Hoc vero loco distincte nominamus etiam amasios. Hos enim moneri graviter volumus, ne sibi fas esse putent, Matrimonii contrahendi causa amoribus indulgere; imo hoc eo esse turpius, quo magis nefarium est ad Sacramentum per scelera properare. Habeantur vero hoc omni in genere præ oculis propositiones suprema Apostolicæ Sedis auctoritate proscriptæ (1).

XI. Qui a Sacerdote hoc Sacramento, quod absit, abutente, fuerit sollicitatus ad turpia, etiamsi longum a sollicitatione tempus effluxerit, fueritque sollicitatus pro alia persona, non potest absolvi, nisi sollicitantem ad Nos, vel ad sacram Inquisitionem detulerit, aut, si statim non possit, delaturum quamprimum polliceatur (2). Non est autem denuntiatio differenda ultra mensem. Si officium hoc prætermittat Confessarius, aut doceat ad id pœnitentes non teneri, pro modo culpæ punietur. Si pœnitens facere id renuat, aut, cum possit, differat diutius, quam par est, in excommunicationem latæ sententiæ incurrit (3), a qua nisi prius denuntiet, absolvi per Confessarium nequit. Pœnitentem vero denuntiandi obligationi obnoxium Confessarius moneat, ipsi si forte sollicitanti Confessario morem gesserit, non teneri culpam suam aperire, Judicibusque gravissime vetitum in denuntiantis culpam ullo modo inquirere, imo et in acta referre, si quid ab hoc minus caute de se dictum fuerit. Simul autem aperiat eidem, si per calumniam sollicitationis, de qua agitur, Sacerdotem accuset, irretiturum se ipsum teterrimo scelere, ac tali, a quo,

(1) *Vide Rit. Rom. de Sacram. Pœnit. tit. Ordo ministrandi* §. Videat. *Vide etiam prop. 60. et seqq. inter damnat. ab Inn. XI.*

(2) *Greg. XV. Const.* Universi dominici *XXXIV. Bened. XIV. Const. iisdem*.

(3) *Dec. supr. univ. Inquis. 3. Junii 1623.*

nisi per Summum Pontificem, extra mortis articulum, non possit absolvi (1). Porro approbandos ad Confessiones attente legisse memoratas Constitutiones oportet; neque Nobis ipsis integrum est quemcumque, a quo non probe teneantur, ad hoc ministerium probare. Nos idcirco eas in Appendice referimus (2).

XII. Sed et casus sunt, quos absolvendos reservamus Nobis, quorum hic est elenchus:

I. Invocatio Dæmonis expressa ad aliquid obtinendum. Maleficium quodcumque, et superstitio quælibet vel cum expressa invocatione Dæmonis, vel cum abusu Sacramentorum, rerum, aut verborum sacrorum. Hæc omnia reservantur etiam nullo secuto effectu. *Maleficium, et superstitionem*, prout in casu, excommunicatione latæ sententiæ Nobis reservatæ confiximus *Parte prima* hujus Synodi *cap.* V.

II. Blasphemia hæreticalis adversus Deum, B. Virginem, vel Sanctos absque errore intellectus; quia cum tali errore, et voluntatis pertinacia Sedi Apostolicæ est reservata.

III. Homicidium voluntarium, abortus fœtus tum animati, tum inanimati de industria procuratus, atque secutus. Positiva quælibet efficax cooperatio ad homicidium, aut abortum quemcumque, effectu utrobique secuto. Procuratio abortus fœtus animati, effectu secuto, habet adnexam excommunicationem latæ sententiæ a Gregorio XIV. Ordinariis locorum reservatam.

IV. Propinatio, et efficax ad hanc cooperatio, potionum datarum, ut quis moriatur, vel morbo tabescat, vel mente alienetur, vel insaniat, effectu item secuto.

V. Percussio Patris, aut Matris.

VI. Detentio infantium anno minorum in eodem lecto sine repagulo impediente periculum suffocationis.

VII. Defloratio Virginis aut vi, aut metu, aut promissione vera, sive ficta Matrimonii. Copula inter consanguineos in primo, et secundo gradu, tum inter affines in primo gradu ex copula licita, et cognatos cognatione spirituali. Sodomia tum activa, tum passiva, etiam cum fœminis, quoad mares. Bestialitas etiam incompleta.

VIII. Copula quamvis incompleta, obscœnitas osculo, tactu, amplexu commissa, aut etiam attentata cum filia spirituali, sive ratione Sacramenti Pœnitentiæ, sive ratione Parochiæ, reservantur re-

(1) *Bened. XIV. Const.* Sacramen. Pœnitentiæ §. 3.

(2) *Append. N. XXV. pag. 65. et N. XXVI. pag. 67.*

spective quoad Confessarios, et omnes, qui Parochiale munus obeunt ex officio.

IX. Consensus sive expressus, sive tacitus, eoque magis inductio ad hoc, ut uxor, filia, fœmina turpiter cum aliis agat, quamvis nihil turpe contingat, reservantur respective quoad virum, patrem, matrem, et eos, qui in aliquam fœminam patris, aut matris vicem gerunt. Reservantur autem, sive quæstus causa hæc fiant, sive nullo quæstu, aut commodo inde captato, vel exspectato.

X. Turpiloquia, et actus impudici inter Sponsos ante celebrationem Matrimonii.

XI. Perjurium, et depositio falsi in judicio criminali, vel civili contra tertium, et mandatum, consilium, cooperatio positiva quæcumque, etiam per solam scriptionem, ad illam, si scribens fuerit cooperatus scienter. Item testificatio falsi contra tertium in actis producta, et mandatum, consilium, cooperatio quæcumque positiva ad illam producendam.

XII. Supplices libelli, aut literæ ad Superiores suppresso, vel ementito nomine, et, ut vulgo dicuntur, *Memoriali*, o *lettere cieche*, falsitatem in toto, vel in parte continentes: libelli item, vulgo *Cartelli*, infamatorii, et ad hæc omnia cooperatio, auxilium, mandatum, consilium.

XIII. Mutatio terminorum possessionum, ac, si possessiones fuerint Ecclesiasticæ, adnexam habet excommunicationem.

XIV. Negligentia Notariorum, et eorum, qui testamenta, vel codicillos scribunt, aut recipiunt ex jure, Legata pia Episcopali Curiæ non revelantium intra duos menses a die habitæ notitiæ mortis testatoris, vel a die publicati testamenti, aut codicilli, quatenus fuerit clausum; ac si hujusmodi Legata ultra decem annos protendantur, quos mox diximus, intra præfinitum tempus non denuntiantes, ipso facto etiam excommunicationi Nobis reservatæ subjicimus.

XV. Studiosa in conscribendis contractibus, quibus bona alienantur, prætermissio canonum, vel aliorum onerum, quibus ad Ecclesiarum, Locorumve piorum favorem obnoxia sunt bona, quæ distrahuntur, sicut venditio, et alienatio cum simili studiosa prætermissione. Studiosam vero intelligimus prætermissionem, quandocumque fiat cum scientia oneris prætermissi.

XIII. In has autem reservationes hæc volumus attendi. I. Declaramus hisce neque casibus, neque censuris obnoxia esse peccata ab iis commissa, qui minime excesserint ætatis annum decimum quartum. 2. Canonico Pœnitentiario facultatem facimus absolvendi per se

ipsum a casibus, atque censuris omnibus, quas Nobis reservavimus. 3. Eamdem facultatem impertimur Parochis omnibus, uti etiam Œconomis a Nobis deputatis, non tamen Capellanis coadjutoribus, a Dominica quarta Adventus usque ad totam diem Epiphaniæ Domini; a Dominica Palmarum usque ad totam Dominicam, in qua Festum Sñæ Trinitatis solemniter celebratur; toto pervigilio, ac die Festo S. Agapiti Martyris Patroni principalis hujusce Civitatis, atque Diœcesis. Idem esto de Confessariis, quotiescumque audiunt Confessiones eorum, vel qui detinentur in carcere, aut capite sunt plectendi; vel qui ægrotant, quibus Sacramentum Eucharistiæ est ministrandum; vel qui jam Sponsi eo ipso die, vel crastino nuptias sunt facturi; vel qui generalem anteactæ vitæ Confessionem instituunt, cum probabilis subest dubitandi ratio, quin a peccatis reservatis alias confessis rite, et valide fuerint absoluti; vel qui reservationem criminis, in quod prolapsi sunt, ignorabant. Hi tamen de reservatione certiores reddantur, moneanturque non esse in posterum absolvendos, nisi ab eo, qui legitima, quoad peccata reservata, potestate sit præditus, si in crimen relabantur. Idem denique esto de commorantibus in locis, ex quibus exeundi facultate careant. Item singuli Parochi, atque Œconomi eadem polleant facultate toto pervigilio, ac die Festo Titularis eorum Parochialis Ecclesiæ. 4. Cum facultatem tribuimus absolvendi a casibus Nobis reservatis, concessam simul volumus facultatem absolvendi a censuris Nobis itidem reservatis, quas illorum aliqui habent adnexas, excepta procuratione abortus fœtus animati, quæ, effectu secuto, peculiari mentione indiget. 5. Confessarios monemus, ne hujusmodi facultate utantur, quin pœnitenti, pro cujusque captu, reservati criminis gravitatem, ac turpitudinem exposuerint, justamque illi, uti prudentia suggeret, imposuerint satisfactionem. Monemus item, ne quemquam absolvant, qui in nostram Diœcesim venerit in fraudem reservationis habitæ in sua (1). 6. Noverint etiam Confessarii in facultate absolvendi ab incestu simul esse concessam facultatem dispensandi, quatenus opus sit, conjugatos ad jus petendi debitum.

XIV. Hactenus propriæ auctoritatis fines indiximus Confessariis. Enimvero hos promptos, faciles que cupimus inveniri Confessionibus excipiendis quovis tempore, et a quolibet, præsertim vero ab iis, qui hoc Sacramento vel maxime indigent, sive quod graviter saucii animo magis spirituali curatione egent, sive quod corpore infirmi decumbant. Et cum prima vice decumbentium exceperint Confessionem,

(1) *Clem.* X *Const.* Suprema.

scriptum ab iis relinqui volumus hujus rei testimonium corporis Medico opportune exhibendum (1).

XV. Confessarius vero et medicum agere debet, et judicem; debet idcirco omnium primum peccatoris, et peccati circumstantias cognoscere, ut recte judicet, utque opportune, ac salubriter medeatur (2). Quare si *pœnitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget* (3). Interroget autem etiam de iis, quæ ignorans tacet, eoque magis de iis, quæ per negligentiam, aut verecundiam omittit. Nempe, ut docet Summus Pontifex Benedictus XIV. (4), *cum pœnitens aut crimina ignorat, quæ tamen nosse debet, aut in iis versatur facti circumstantiis, quæ, Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant non sine gravi aliorum scandalo, cum quis arbitretur, ea sibi licere, quæ ab iis, qui Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit; his in casibus concors Theologorum sententia est, Confessarium teneri monitis, ac interrogationibus pœnitenti opem ferre, quamvis inde pœnitentis tristitiam secuturam agnoscat*. Sed in pœnitentibus interrogandis diligentissime caveat, tum ne irrogetur ulla Sacramento injuria tacendo, tum ne aperte nimis interrogando novæ pœnitentibus ingerantur malitiæ, præsertim si de mulieribus, aut adolescentibus agatur. Quod si pœnitens socium criminis habeat, nefas est Confessario hujus nomen, aut domum exquirere, multoque magis pœnitentem ipsum ad hæc revelanda compellere Sacramentalem absolutionem denegando. Quam quidem praxim Benedictus XIV. damnat (5), tamquam *scandalosam, et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam* in prima ex Constitutionibus, quam hac super re edidit, et quam Nos referimus in Appendice (6). Cum ergo erit opus a pœnitente perquirere peccatorum adjuncta, diligenter inspiciat, ne curiositate aut se illi exitialem præbeat, aut a Sacramento Pœnitentiæ Fideles abalienet.

XVI. Statu autem pœnitentis probe, quoad ejus fieri potuit, percepto, aperiet ipsi, præsertim si rudis sit, iniquitatem suam; ita tamen, ut illam in eo tristitiam excitet, non quæ a voluntate percipiendi Sacramentum, et spe veniæ hominem dejiciat, sed quæ, ut

(1) *Idem Const. eadem. Plur. Syn.*

(2) *Cap.* Omnis utriusque sexus *de Pœnit. et remis.*

(3) *Rit. Rom. de Sacram. Pœnit. tit. eod. §.* Si.

(4) *Const. ead. §. 20.*

(5) *Const.* Suprema *CXXXIV. Bull. Tom. I. Vide etiam Cons.* Ubi primum *VIII.* Ad eradicandum *XX. Bull. Tom. II.*

(6) *Append. N. XXVIII. pag. 72.*

inquit Apostolus (1), *secundum Deum est, et pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Disponat igitur illum ad actus, qui sunt ad hujusmodi Sacramentum penitus necessarii, videlicet ut ex corde doleat, et supernaturaliter per gratiam Dei ab ipso humiliter imploratam, ac se in posterum a peccatis recessurum serio proponat. Hac autem in re præcipua Confessarii cura versari debet.

XVII. Cum vero pœnitentem ad absolutionem percipiendam bene præparatum esse intellexerit, tum ei pro judiciali auctoritate sua satisfactorias pœnas decernet. Debet autem meminisse, duplicem se hac in re sustinere personam, nimirum judicis, et medici, et nec judicium sine misericordia sibi esse faciendum, nec misericordiam sine judicio. Ut autem judicium sine misericordia faceret, qui pro levioribus peccatis gravissimas pœnas imponeret; ita judicis muneri deesset, qui pro gravissimis culpis pœnas injungeret leviores. Nam aliqua inter utrumque proportio intercedat necesse est, quam nisi in tanti momenti causis Confessarius servaret, eorumdem criminum particeps fieret (2). Cum autem atrocitas criminum exiget ultionem graviorem, tum Confessarius, priusquam pœnam ex nova Ecclesiæ disciplina constituat, opportune ad pœnitentis notitiam deducet Canonicas iisdem criminibus pœnas veteri Ecclesiæ disciplina sancitas. Ita quippe et cujusmodi sua crimina sint, novo pœnitens argumento cognoscet, et non modo non detrectabit graviorem, quæ sibi indicitur, satisfactionem, sed intelliget hanc multo leviorem alia, quæ Canonibus definita erat antiquitus, ac, nisi plane sit ferreus, excipiet non sine grati animi erga tantam Ecclesiæ benignitatem sensu, alacriterque exequetur. Calleat ergo Confessarius Canones pœnitentiales, quos idcirco dabimus in Appendice (3). Cætera in satisfactionibus imponendis servanda suggeret ipsi cum prudentia, qua maxime debet pollere, tum vero pœnitentis necessitas, aut utilitas. Etenim ut justitiæ, ita simul misericordiæ minister est; habebitque idcirco rationem etiam virium, sexus, ætatis sui pœnitentis, asperitatemque benignitate sic temperabit, ut vulnera neque irritata recrudescant, neque imperite religata, aut resoluta computrescant.

XVIII. Omnis vero avaritiæ, aut simoniæ non labes modo, sed etiam suspicio debet a Confessariis quam longissime abesse. Et sane, quod sciamus, abest a Confessariis nostris. Nihilominus prohibemus, ne Confessionis causa quidpiam Confessarius, etiamsi sponte

(1) *II.Corinth.cap.7.v.10.*
(2) *Ex Trid. Sess. XIV.cap.8.*
(3) *Append. N. XXIX.pag.74.*

oblatum, accipiat; prohibemus, ne eleemosynas, quas ad redimenda peccata interdum ipse injunxerit, in suum, aut suæ familiæ, aut etiam suæ Ecclesiæ commodum jubeat erogari, et ne quid umquam ipse promoveat, unde aliqua ad se, suosque utilitas derivanda videatur (1).

XIX. Neque vero etiam pœnitentis rogatu restitutionem facere sibi facile assumat. Quod si quando necessarium id esse judicet, dominusque, cui restitutio est facienda, sit certus, scripturam ab eo repossat pœnitenti tradendam, quæ testificetur totam ei fuisse rem redditam (2); sin incertus, simulque summa quomodocumque coacta superet julios viginti, Nobiscum, aut cum Vicario nostro generali de hoc negotio agat, qui quod æquum visum Nobis fuerit, constituemus.

XX. Pium sane caritatis officium, ubi opus sit, dare consilium testamenti condendi. Verumtamen Confessariis severe cavendum, ne testatorem impellant, ut sepulturam deligat in eorum Ecclesia. De pœnis in eos, qui id agunt, inflictis agemus in proxima parte.

XXI. Porrò in hoc sacro judicio non de aliis agendum, quam de iis, quæ ad salutem animæ pertinent. De terrenis loqui, rogare, consilium præbere Confessarium ibi non decet. Hæc in tempus aliud sunt differenda, imo et rejicienda in alias personas. Nam diuturna, ac tristi rerum experientia satis docemur, rem esse periculi plenam, quod Confessarii pœnitentium suorum negotia agenda suscipiant.

XXII. Necesse autem est, Confessarios omnes magnopere prudentiæ studere; absonum tamen esset eorum quemquam prudentiæ suæ adeo fidere, ut pœnitentem juberet a suis unice consiliis pendere, aut absolutionem a se unice petere. Et opportune interdum pœnitentibus quibusdam persuadebit, ut alterum spiritus moderatorem adeant.

XXIII. Nemo unus autem ignorat nullo umquam casu, aut periculo fas esse violare Sacramentale sigillum. Hujus custodiendi lex non modo præ se fert, ut Confessarius abstineat omnino ab loquendo de rebus in Sacramentali foro cognitis, sed etiam ut in sacri ministerii exercitatione abstineat a signis quibuscumque, per quæ posset culpæ gravitas indicari (3). Caveat igitur a suspiriis, a corporis contorsionibus, a percussionibus manuum, ab commutanda serenitate in severitatem: caveat quoque a pronunciandis absolutionis verbis ita, ut ab circumstantibus audiantur, ne si quando absolutio negetur, aut differatur, id circumstantium quisquam facile suspicari possit.

(1) *Synod. nostra Ferrarien.*

(2) *Lad. Synod. aliæque plures.*

(3) *Can.* Omnis utriusque sexus *de Pænit. et remiss.*

XXIV. Quæ de pietate, doctrina, atque prudentia, quibus oportet Confessarios pollere, sunt hactenus dicta, vetant ullum Sacerdotem ad excipiendas Confessiones a Nobis admitti, nisi de morum ejus integritate digno testimonio, nimirum Parochorum, quoad Presbyteros sæculares, quoad regulares vero Superiorum suorum facti fuerimus certiores; et nisi præterea de ejus doctrina, ac prudentia in examinibus ad hoc constitutis experimentum capiamus. Neque vero ad marium Confessiones audiendas admittentur a Nobis, qui non attigerint ætatis suæ annum plane trigesimum; neque admittentur ad excipiendas Confessiones fœminarum, qui nondum attigerint annum trigesimum tertium, nisi graves causæ quandoque persuaserint, ut hujus regulæ exceptionem faciamus.

XXV. Verum cum maxime intersit, ut Confessarii omnes in eamdem de ratione Sacramentum Pœnitentiæ administrandi doctrinam, ac praxim conveniant, Nos olim semel, et iterum, nuper vero typis tertiis edidimus, misimusque ad Confessarios libellum, cui titulus: *Avvertimenti per degnamente amministrare il Sacramento della Penitenza*. Complectitur autem is, ut plurimum, monita SS. Caroli Borromæi, ac Francisci Salesii: quod unum etsi satis per se illius lectionem commendet, volumus nihilominus, eumdem legi semel saltem quotannis in collationibus casuum Moralium per partes quidem, sed continuata serie et rerum, quas ibi tradidimus, et dierum, quibus collationes ipsæ habentur.

XXVI. Solent Confessiones Sacramentales, excepta infirmitatis causa, audiri in Ecclesiis, et quidem in sedibus ad id constitutis. Nos hanc consuetudinem, quoad fieri potest, servari cupimus etiam quoad mares. Nam de Confessionibus fœminarum plane præcipimus, ne audiantur alibi, quam in Templis, aut in publicis Oratoriis, numquam vero in Sacrariis, numquam in earum, vel aliorum domibus, nisi casu infirmitatis. Porro in Ecclesiis, et Oratoriis, quæ diximus, non audiantur alibi, quam in sede Confessionali, quæ qualibus cratibus munita esse debeat, discendum ex Rituali Romano (1). Nos ut ex integro tales essent, quales esse oportet, in nostra Visitatione, ubi opus vidimus, perficiendum curavimus. Hæ vero sedes non in Ecclesiarum abditis, sed in patentibus, et conspicuis earum locis sint positæ (2). Hæc cum sint, vetamus et mane ante illucescentem diem, et vespere post signum salutationis Angelicæ, dempta semper infirmitatis, quæ contrarium postulet, causa, fœminarum Confessiones audiri. Cum

(1) *De Sacr. Pœnit.* §. Habeat.

(2) *S.C. Epis. in* Patavina 21. *Jun.* 1620.

vero ipsa infirmitatis causa postulante, fœminis Sacramentum administratur in earum domibus, fiat id aperta semper cubiculi janua, et Sacerdote sic constituto, ut quamvis minime audiri, videri tamen possit. Qui præterea ita manu, aut linteolo suum vultum obducat, ut mutuum pœnitentis aspectum effugiat: quod et observet, quandocumque etiam mares audiet extra sedem Confessionalem.

XXVII. Sacerdotes sæculares, cum Sacramentum ministrant publice, sint induti veste talari, superpelliceo, et stola (1); regulares vero induti erunt habitu, quo Chorum adeunt, et stola (2).

XXVIII. Denique omnes animarum Rectores, tum etiam Catechistas, Ludimagistros, et quotquot sunt, qui curam gerunt aliorum, quanta maxima possumus contentione, in Domino hortamur, et obsecramus, ut eos, qui eorum curæ commissi sunt, ad frequentem hujus Sacramenti usum assidue hortentur, illiusque virtutem, et effectus perspicue, eaque exponant ratione, ut ab omnibus intelligantur; in primis tamen accurate, et ex integra veritatis regula ea explicent, quæ præstanda a pœnitente sint, ut digne id, ac fructuose suscipiat. Longus enim rerum usus edocuit, nihil hac re sæpius, atque vehementius Christiano populo esse inculcandum.

CAPUT VII.

DE INDULGENTIIS.

Sacramento Pœnitentiæ rite suscepto, deletur quidem chirographum mortis adversus eos scriptum, qui letalibus inquinati peccatis ad illud accesserant; falsa tamen omnino, et Catholicæ fidei contraria doctrina est, qua constituitur, culpam a Deo numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur (3). Restat nimirum plerumque ingens pœnarum cumulus vel in hac vita satisfactionum genere Deo Patri per Jesum Christum oblato, vel in altera Purgatorii igne delendus. Nisi quod cælestis Pater infirmitatem nostram cumulatissime intelligens, et miserans beneficentissime providit, ut satisfacere etiam de alieno possemus. Extare enim voluit satisfactionum spiritualem, eumdemque infinitum thesaurum, ab Unigenito Dei Filio Ecclesiæ militanti acquisitum, *ad cujus thesauri cumulum Beatæ*

(1) *S.C. de qua Synod. Fulg. n. 6. Plur. Synod.*

(2) *Plur. Synod. Vide Baruff. ad tit. 18. a n. 1. ad 21.*

(3) *Trid. Sess. XIV. cap. 8.*

Dei Genitricis, *omniumque Electorum merita adminiculum præstant* (1). Quorum tamen omnium merita vim capiunt ex meritis Christi, ut hæc commendent; tantum abest, ut ipsis faciant injuriam. Porro thesaurum, quem diximus, *per Beatum Petrum cæli Clavigerum*, *ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum* (2). Qui duabus rationibus potestate ipsis attributa sunt usi: una quidem, qua plena pœnæ temporalis post deletam culpam luendæ condonatio, seu remissio concederetur; altera vero, qua concederetur tantum, quantum æquaret Canonicas, si has Fideles pœnitentes obirent, pœnitentias annorum, aut dierum certi, definitique numeri. Qui vero has Indulgentias *aut inutiles esse asserunt*, *vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*, anathemate sunt profligati (3).

I. Interest ergo non parum, ut Parochi sciant, atque opportune populos doceant cum Indulgentias, quæ quotidie possunt acquiri, tum alias, quæ certis diebus, ac locis sunt alligatæ, easque præcipue, quas Pontifices Maximi sunt elargiti docentibus doctrinam Christianam, quas audientibus verbum Dei, quas comitantibus divinam Eucharistiam, illas etiam, quas piis Sodalitatibus concesserunt. Hac de causa illarum, quæ sunt communiores, elenchum dabimus in Appendice (4), quas inter ea quoque extat, quam acquirere possunt, qui rite dispositi visitent die sacra Sanctis Apostolis Petro, et Paulo Cathedralem nostram Ecclesiam (5).

II. Studeant iidem, ne iis diebus, quibus fit commemoratio tituli Parochialis Ecclesiæ, aliorumque Sanctorum, qui præcipue coli solent a populo, desit copia amplioris alicujus Indulgentiæ.

III. Hac occasione ad ipsorum memoriam revocamus, ut, juxta præceptum a Benedicto XIV. ipsis impositum, singulis Feriis sextis totius anni hora tertia post meridiem publicum edi signum jubeant, quo passionis, et agoniæ Redemptoris, et Domini nostri Jesu Christi memoria in omnium Christifidelium animis excitetur, atque foveatur. Porro præfatus Pontifex iis omnibus, qui *flexis genibus quinquies orationem Dominicam*, *et toties salutationem Angelicam devote recitaverint*, *et oraverint*, *ac pro Christianorum Principum concordia*, *hæresum extirpatione*, *ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione*, *nec non salu-*

(1) *Clem. VI. in Extrav. com. lib. 5. tit. 9. c. 2. Pius VI. Const.* Auctorem fidei *de Indulg. prop. 41. Vid. Bened. XIV. Const.* Apostolica §. 13. *de qua cap. præced.*

(2) *Ibidem*.

(3) *Vid. Trid. Sess. XXIV. dec. de Indulg.*

(4) *Append. N. XVII. pag. 46. et N. XVIII. pag. 50.*

(5) *Ibid. N. XIX. pag. 50.*

tari perditorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxat (1).

IV. Nullæ primo in Ecclesiis Sæcularium, aut Regularium publicentur Indulgentiæ, quin literæ earum, sive scriptæ, sive typis impressæ, a duobus, quibus id negotii dabimus, Canonicis subscriptæ, ac porro a Nobis, vel Vicario nostro generali probatæ fuerint, nec aliæ publicentur, quam quæ concessæ fuerunt, nec aliter, atque fuerunt concessæ (2). Qui secus fecerint, plectentur gravissime.

V. Harum concessionum initium a die petitur, quo concessionis literæ datæ fuerunt, non ab eo, quo publice Indulgentia proponitur. Præterea Indulgentia diei certo alligata, non potest acquiri alio die, nisi hoc aperte concedentis literis significetur, etiamsi Festivitas, ob quam concessa fuit, in hunc transferatur (3).

VI. Indulgentiarum Apostolicis literis solet hæc clausula apponi: *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam quolibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes literæ nullæ sint.* Hæc vero clausula neque ad privilegium Altaris pro defunctis refertur, neque ad Indulgentias concessas certis personarum cœtibus, aut certa, ac definita pia opera in Ecclesia, vel Altari, de quibus Apostolicæ literæ, peragentibus; cum his enim omnibus consistit vis novæ concessionis, uti cum Indulgentiis stationum Urbis, et septem Altarium instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessis, et præterea cum Indulgentiis, quæ pro unica vice conceduntur. Volunt autem Pontifices novas literas nullum robur habere, si alia, de qua in his literis non fiat mentio, Indulgentia, sive plenaria, sive non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, sive a Pontifice, cujus sunt novæ literæ, sive ab alio concessæ generatim fuerint Fidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, seu Capellam visitantibus eodem, vel diverso anni die (4).

VII. Aliæ autem sunt Indulgentiæ pro vivis, aliæ pro defunctis, aliterque illæ, atque hæ conceduntur: in illis enim elargiendis *judi-*

(1) *Const.* Ad passionis, et agoniæ *IX. Bull. Tom. I.*

(2) *Vid. Trid. Sess. XXI. cap. 9. de Ref. S. C. Immun. 12. Jun. 1703. Vide etiam Fagnan. in cap.* Grave *de offic. Ordinarii n. 45. Barbosa de Parochis cap. 16. n. 19.*

(3) *S. R. C. 3. Septemb. 1679. et 10. Jan. 1690.*

(4) *Ex dec. S. C. de Indulg. 23. Jun. 1676. approbat. ab Innoc. XI. 16. Martii 1677.*

ciaria ex potestate agitur; defunctis vero conceduntur *modo tantum suffragii* (1). Quæ autem Indulgentiæ pro vivis concessæ sunt, velle defunctis applicare, et vicissim, consilium foret inane. Eæ vero ita pro vivis interdum conceduntur, ut etiam in defunctorum beneficium impendi queant; quod ex Apostolicis literis est cognoscendum.

VIII. Pontifices ad Indulgentiam acquirendam præscribunt sæpe Sacramentalem Confessionem iis etiam, qui nullius sibi letalis culpæ sunt conscii. Potest vero Confessio fieri die præeunte Indulgentiam (2); ac præterea declaratum est, Confessionem, præterquam pro Indulgentia in forma Jubilæi, necessariam iis non esse, *qui frequenti peccatorum Confessione animas studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius letalis culpæ a se post peractam ultimam Confessionem commissæ sibi conscii sunt* (3). Decretum hoc legi poterit in Appendice (4).

IX. Quidquid ex Indulgentiarum publicatione, aut usu quæstum, quamtumvis minimum redoleat, vetamus gravissime; earumque concessionis literas exponi, aut affigi prohibemus in loco, ubi præsto sit capsa, aut pelvis ad eleemosynam colligendam (5). Si quid vero Fidelium pietas sponte offerat, id, quantum erit, in usus pios impendatur.

X. Provideant vero diligentissime Parochi, et quique alii Christianam legem Fideles docent, ne isti vel non satis, vel non bene edocti, occasionem ex Indulgentiis capiant recedendi a spiritu pœnitentiæ, atque eximendi se ipsos ab aliis Deo satisfactionibus offerendis. Edicant ipsi palam Fidelibus, adjuvari quidem earum beneficiis infirmitatem humanam, nequaquam vero foveri pravam socordiam, et ignaviam: doceant præterea, tolerare jejunia, erogare eleemosynas, instare orationibus, sibi a voluptatibus temperare, mortificationem Christi in proprio corpore circumferre, hæc, inquam, omnia præter vim satisfaciendi, quam habent, maximo etiam adjumento esse ad cæteras virtutes Christiano homini necessarias. Illud denique animadvertendum ostendant, neminem, etiamsi maximo studio In-

(1) *Lambert. Inst. LVI. n. 15. et Const. ead. ibid.*

(2) *Ex Dec. S. C. Indulg. 31. Martii 1759. approbat. ab Clem. XIII. die 19. Maii 1759.*

(3) *Clem. XIII. in decr. edit. 19. Decemb. 1763.*

(4) *Append. N. XX. pag. 51.*

(5) *Trid. Sess. XXI. cap. 9. de Ref. Pius V. Const.* Quam plenum *XCIX. et Synod. omnes.*

dulgentias sibi lucrandas proponat, certo tamen, nisi Deo revelante, scire posse, se esse vel unam ipsarum lucratum; eoque minus eas se fuisse lucratos iis confidendum, qui cum possint Deo satisfacere per opera Christianæ pœnitentiæ, hæc eadem negligunt.

XI. Cum Nobis curæ esse debet, ut Fideles et quotidianas, et ampliores quoque diebus in populis solemnibus Indulgentias lucrentur; tum vel maxime pertinet ad nostrum officium morientes etiam hoc beneficio adjuvare. Est igitur Nobis benigna Sedis Apostolicæ concessione tributa facultas, ut aut Nos ipsi, aut alii a Nobis suffecti, modum servantes, et formulam in Constitutione Benedicti XIV. præscriptam adhibentes (1), impertiri possimus Apostolicam Benedictionem cum plenaria peccatorum omnium Indulgentia, et remissione omnibus utriusque sexus Fidelibus in mortis articulo constitutis vere pœnitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, vel cum id facere nequeant, si saltem contriti nomen Jesu ore, cum possint, sin minus corde devote invocent, et mortem tamquam stipendium peccati de manu Domini patienter, atque libenti animo accipiant. Nos ipsi cum in Civitate, aut Diœcesi morabimur, tempore moniti, accedemus quam libentissime ad supremum hoc pietatis officium vel pauperrimis persolvendum. Verum quia Nos neque omnibus, neque ubique adesse possumus, alios quosdam ad id jam designavimus peculiaribus literis, quas nunc confirmamus. Quotquot autem hujusmodi pollent facultate, in eo omnem collocent curam, ut in moribundi anima illos pœnitentiæ, et caritatis, tum vero obsequii in Deum, qui mortem in pœnam exigit, affectus, quam vehementissimos poterunt, excitent, quibus satis præparetur ad plenam, perfectamque peccatorum suorum Indulgentiam, ac remissionem assequendam.

XII. Quæ sumus hoc capite prosecuti, opportunis temporibus Parochi exponant, suasque Plebes ad studium et sibi ipsis, et animabus in Purgatorio detentis obtinendi cælestia, de quibus agitur, munera inflamment. Erit autem opportunum id faciendi tempus, quod proxime novam aliquam, uberioremque Indulgentiam est allaturum. Tum igitur Indulgentiarum naturam, atque virtutem aperiant, quæque ad singularum acquisitionem opera sint necessaria proponant. Periculum est enim, cum omnes, aut ferme omnes optent de hoc thesauro proficere, ne ea, quæ præscribuntur, fideliter plerique exequantur. Sunt enim, qui illa non norunt omnia; sunt qui in alia permutari facile posse putant; complures vero non eam afferunt animi

(1) *Const.* Pia mater *XXXIV*, *Bull.Tom.II*.

vere contriti, ac pœnitentis conditionem, quæ necessaria semper est, quamque semper, ac præcipue Pontifices Maximi inculcant. Itaque hæc omnia Catechistæ, Concionatores, Confessarii, Parochi urgeant, ac præsertim rudibus præscriptas actiones enumerent, distincteque explicent; maxime vero peccatorum odium, detestationem, fugam doceant, et nomine concedentis præcipiant, imo et excitare conentur, utque etiam ob Indulgentiarum beneficia Deo sint grati, hortentur.

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Si quando sævissimus humani generis hostis suas in homines vires intendit, et exerit, tum vel maxime est, cum breve sibi ad singulos decipiendos, devorandosque superesse tempus intelligit. *Descendit Diabolus ad vos*, (sic nempe scriptum divinitus est (1),) *habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet*. Est igitur nobis cum hoste vaferrimo, atque infensissimo colluctandum acerrime, eoque tempore, quo sive ab istius furore, sive a corporis, animique nostri viribus tantopere debilitatis, sive ab imminentis severissimi judicii metu, nullum certe in vita difficilius habuimus. Ea vero animum vehementissime angit, atque sollicitat cogitatio, ne, si vel uno temporis puncto victas demus manus, actum de nobis perpetuo sit, et qui totum vitæ cursum tenuerimus ad æternam beatitatem, uno voluntario lapsu præcipites in æternum cruciatum detrudamur. Tales igitur, tantasque animæ ærumnas, hasce temporis angustias, acerbitatesque cum clementissimus Redemptor noster optime providisset, præter alia, quæ toti sunt vitæ communia, illud hujus temporis proprium remedium protulit, quod est extremæ Unctionis Sacramentum, suæque Ecclesiæ filiis suis impertiendum reliquit, ut ad supremam luctam validius instruerentur, nova remissionis peccatorum spe erigerentur, ipsam denique valetudinem corporis, quatenus non esset animæ nocitura, consequerentur. Quod si beneficii magnitudinem auget ipsius utendi necessitas, nemo non videt, quonam in amantissimum Redemptorem nostrum animo esse debeamus, quaque religione tale remedium tum parandum, tum suscipiendum. (2) Hæc igitur de tam necessario Sacramento præcipienda censemus.

(1) *Apoc. cap.12. v.12.*

(2) *Ex Trid. Sess. XIV. de inst. Sacram. extrem. Unct. cap. 1. et 2. Eugen. IV. in decr. union.*

I. Materia hujus Sacramenti, ut semper intellexit Ecclesia, est oleum ab Episcopo benedictum (1). Hoc custodiendum est in Ecclesia (2) in cavo ad cornu Evangelii Altaris majoris, vel ejus Altaris, in quo divina posita est Eucharistia. Sit hoc cavum interius decenti serico violacei coloris obductum, ejusque ostium, quod decet piam aliquam Redemptoris effigiem exterius referre, clavi apud Parochum, aliumve, sed omnino fidelem virum servanda muniatur, *ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda* (3); supra ostiolum vero legatur epigraphe: *Oleum infirmorum*.

II. Cum autem singulis annis ex Ecclesiæ præcepto sacra sint olea renovanda (4), caveant quicumque ea asservandi jus habent, ne vetere utantur elapsa die Feriæ V. in Cœna Domini (5). Immo acceptis oleis recens benedictis, quidquid ex veteribus superest, quamprimum comburendum, nempe aut in lampade, quæ ante divinam Eucharistiam collucet, ad ardendum ponatur (6), aut tanta, quanta opus erit, gossipii massa sacro illo liquore imbuatur, idque iterum, atque iterum, donec vasa probe extergantur; gossipium vero igne absumatur, et cineres in Sacrarium dejiciantur.

III. Caveant iidem, ne aliis utantur, quam quæ ex Cathedrali nostra acceperint (7). Quamobrem Feria V. in Cœna Domini ipsa petituri adsint Parochi urbani, itemque, si possint, ex Diœcesi Vicarii foranei, aut aliquem ad sumendum sacrum illud depositum Parochi mittant, qui omnino sit Clericus, et majoribus initiatus Ordinibus, cuique in eo transferendo religio fuerit serio commendata; qui idcirco caveat vel maxime, ne per speciem contemptus sancta olea addat sarcinæ cuique viliori. Omnino autem interdicimus Cathedralis nostræ Sacristæ, ne olea sancta præbeat laico homini cujuscumque nomine ea petat.

IV. Simili modo feremus gravissime, si sacrosancta extremæ Unctionis materia in domibus sæcularibus relinquatur, ac si Parochus etiam, aut Capellanus eamdem retineat in suis.

V. *Quamvis vero negandum non sit oleo consecrato non consecra-*

(1) *Trid. Sess. XIV. de Inst. Sacram. extrem. Unct. cap. 1. et 2. Eugen. IV. in dec. union. Armen. Bened. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 1. Catech. Rom. hoc tit. num. 5.*

(2) *Ex S. Car. Conc. Prov. III. part. 2.* Quæ ad Sacrament. pert. §. Sancti, *et* §. Sacrum.

(3) *Cap. 1. de custod. Euch.*

(4) *Cap.* Literis 18. *de cons. dist. 3.*

(5) *Cap.* Si quis 122. *de cons. dist. 4.*

(6) *S. Car. Conc. Prov. IV. part. 2.* Quæ ad Sacrament. pert. §. Parochus.

(7) *Can.* Presbyteri, *et can.* Omni tempore *de cons. dist. 4.*

tum posse misceri (1), si quando suadeat necessitas; summa tamen scrupulositate agendum id est, ut scilicet cum oleum aliquando deficere, vel non sufficere posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso reparetur (2).

VI. De iis vero, quibus hoc Sacramentum est conferendum, docet Concilium Tridentinum, *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur* (3). Nemini itaque corpore non ægrotanti, in exitu licet vitæ sit constitutus, cujusmodi sunt ultimo supplicio afficiendi, nemini item non ægrotanti, qui vel in præsens veniat vitæ discrimen, cujusmodi sunt dimicationem, vel utcumque periculosam navigationem inituri, nec mulieribus parituris, nisi his accesserit peculiaris, et letalis corporis ægritudo, administranda est Unctio extrema. Senibus autem, etsi nullo alio morbo laborent, si præ senio deficere, atque morituri in dies videantur, erit ea conferenda (4).

VII. Iis, qui fuerunt perpetuo amentes, quique idcirco non potuerunt peccare, ac pueris, qui ad rationis usum nondum pervenerint, extrema Unctio non est adhibenda, quippe cum Sacramentum hoc Christianæ pœnitentiæ consummativum sit. Quod si puerulì, etiamsi septennio minores, sint tamen doli capaces, eoque nomine Sacramento Pœnitentiæ expiandi, sacro etiam oleo erunt liniendi, quamvis nondum ad participandum de mensa Domini sint evocati. Item mente capti inungendi, nisi aperte constet, eos in peccato letali insaniisse, possitque prudenter conjici, illos, cum mente erant sani, Sacramentum hoc desiderasse, multoque magis, si hoc tum significaverint. Item et subito morbo correpti, ob quem usu sensuum destituuntur, si non imprudenter ex eorum anteactæ vitæ ratione existimetur Sacramentum hoc esse postulaturos, si essent sui compotes; eoque magis, si quod antea prætulerint pœnitentiæ salutaris indicium, aut Sacramenti hujus desiderium. His omnibus, cum legitime extrema Unctio administrari possit, ut etiam reipsa administretur, præcipimus (5).

VIII. Si qui autem hoc Sacramento sint palam indigni, ii, non

(1) *Cap.* Quod in dubiis *de consec. Eccles. vel Altaris*.

(2) *Rit. Rom. hoc tit.* §. Habeat igitur.

(3) *Trid. ibid. cap.3.*

(4) *Rit. Rom. de Sacram. extr. Unction.* §. Debet, *et* Non ministretur, *Catech. Rom. tit. eod. num.9.*

(5) *Rit. Rom. ibid.* §. Infirmis, *et seq.* Sed si Infirmus, *Bened. XIV. de Syn. lib.8. tot. cap.6. Catech. ibid.*

secus ac de arcendis ab Eucharistia statutum est, eodem privandi (1).

IX. Servent vero diligentissime Parochi, quod de Sacramento hoc administrando jubet Rituale Romanum, nempe administrent ipsum periculose ægrotantibus, *et eo quidem tempore, si fieri possit, cum integra illis mens, et ratio vigent*. Etenim, uti ex Catechismi Romani doctrina notum ipsis esse debet, *ii gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita, et sensibus carere incipiat* (2). Sæpe idcirco invisent ægrotum, et, quoad per tempus licet, extremam illi Unctionem commemorent, ipsam commendent, commoda ejusdem exponant, unde eam sibi administrari cupiat, et roget. Nostrum enim est curare, ut Sacramenta, quamvis per se profutura, uberiorem quoque ex operantis pietate fructum afferant, cum scilicet ægrotus Sacerdotis precibus suas etiam adjunxerit, elicueritque actus pios, præsertim contritionis.

X. Paucis, et summatim hæc pro temporis angustiis, proque animi, et corporis morbis apud singulos, quando opus sit, infirmos; quæ tamen valere debent ad excitandam illorum pietatem per commemorationem eorum, quæ de extrema Unctione oportuit ipsos in Christianis institutionibus didicisse. Parochorum enim muneris est, hujusce Sacramenti naturam, fines, vimque, et efficaciam populo frequenter exponere, et in primis salutares illos ejusdem effectus explicare, quorum nequit ægrotus particeps fieri, nisi quosdam ipse vere, exque animo actus eliciat. Ita alliciet illos ad ipsum non modo suscipiendum, sed etiam expetendum, cum mente, ac sensibus adhuc vigeant.

XI. De extremæ Unctionis effectibus hæc est Tridentini doctrina (3): *Delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; ægroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus morbi incommoda, et labores leviter fert, et tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*. Pertinet autem ad reliquias peccati languor animi, atque imbecillitas, per quam etiam justificati adhuc propensi in terrena sunt haud admodum raro, parumque spiritualibus delectantur, cui morbo rite suscepta extrema Unctio admirabiliter medetur. Operatur enim terrenorum contemptum, desideriumque

(1) *Rit. ibid.* §. Impœnitentibus.
(2) *Catech. Rom. de hoc Sacram. n. 9.*
(3) *Sess. XIV. cap. 2.*

cælestium (1). Peccati vero reliquiæ ea esse intelliguntur peccata *sive mortalia*, *sive venialia*, *quæ post alia Sacramenta remanent*. *Potest enim fieri*, *ut ignorante eo*, *qui commisit*, *vel non valente confiteri*, *peccatum mortale remaneat*, *in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur*, *ut fieri possit*, *eum per hoc Sacramentum salvari*, *qui alioqui fuisset damnandus* (2).

XII. Tanti itaque, tamque insignia afferentis bona Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et Spiritus Sancti injuria esse non potest (3). Contemptor vero hujus Sacramenti est habendus, quisquis id prætermittat, aut negligat cum gravi aliorum offensione, atque scandalo; immo et quisquis de gravi suæ vitæ periculo certior factus, sciens, et volens id petere negligat, multoque magis qui Sacramentum ipsum respuat, ac rejiciat (4). Qui sic agant, eos Synodus Coloniensis Ecclesiastica sepultura privandos constituit (5).

XIII. Cum vero pervicaciæ, quam improbamus, occasio capi soleat ex ipsa Sacramenti hujus appellatione, doceant Parochi, et inculcent, ipsum vocari *Unctionem extremam*, nequaquam tamen ex eo, quod de suscepturi vita actum sit, cum nonnulli, neque hi admodum pauci, ab eo suscepto diu vixerint, et idcirco Parochis gravissime præceptum, ne ipsum ad supremos usque anhelitus differant, et Sacramentum idem corporis etiam sanitati, siquidem saluti animæ expediat, conducat. Proinde hoc nomine Sacramentum, de quo agitur, appellatum fuisse doceant ex eo dumtaxat, quod ex unctionibus, quarum in Ecclesia usus est, hæc fieri postremo loco soleat. Quæ quidem una cum aliis, quæ paulo ante commemoravimus, vivide, et perspicue sunt exponenda (6).

XIV. Minister Unctionis extremæ ex Apostolo Jacobo Sacerdos est, *qui uno præsente Clerico*, *et etiam solus potest infirmum ungere* (7). Neque multitudo Sacerdotum ad conficiendum hoc Sacramentum est omnino necessaria; sed Parochi dumtaxat, in sua quisque Parochia, Ministri ejus sunt ordinarii. Cæteri itaque Sacerdotes numquam sibi ministerium hoc sumant, nisi cum Parochus jusserit, aut permiserit, vel cum, Parocho absente, summa indigentis necessitas id postulet (8).

(1) *Ibid.cap.1. et 2.Catech.Rom. de hoc Sacram. n.14.*

(2) *S. Carol. Act.Eccl.Mediol. part. 1. de Sacram. extrem.Unct.* §. Prima. *Plura de his effect. Bened. XIV. de Synod. lib.8. cap.7. n.5.*

(3) *Trid.ibid.cap.3.*

(4) *Bened.XIV. ibid. n.4.*

(5) *Synod. Colon. II. apud eumd. Bened.XIV. ibid.*

(6) *Idem Bened.XIV. ibid. n. 2.*

(7) *Cap.* Quæsivit *de verb. signif.*

(8) *Bened.XIV. ibid. cap.4. num.7.*

Qui secus fecerint Presbyteri sæculares, arbitrio nostro punientur; regulares vero incident ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam (1). Regularibus tamen licet suis subditis, aliisque familiaribus tantum administrare Unctionem extremam. Hi autem soli familiares habentur, qui eo tempore intra septa Monasterii Religiosis communia ita degunt, ut Regularibus famulentur, et ab his vicissim alantur (2).

XV. Legitimus itaque Minister ad infirmum iturus sacculum, quo sancti olei vas continetur, per funiculos collo sibi impositos ante pectus pendere faciat; Clericum, si possit, sibi socium adsciscat (3), qui Crucem sine hasta, vas aquæ lustralis, aspersorium, librum Ritualem deferat, cæteraque in Sacramenti administratione usui futura. Ipse vero Minister superpelliceum, ac stolam violacei coloris super veste talari habeat; et omnia tam in administratione, quam ante illam adimpleat, quæ sunt in Rituali Romano præscripta. Absque vestibus autem, quas diximus, nisi temporis angustiæ omnino prohibeant, nefas est hoc Sacramentum administrare; et antequam administretur, ab Sacerdote explorandum, velit ne sibi aliquid infirmus, et audiendus, si confiteri desideret. Et quoniam agimus de infirmo sui ipsius compote, antequam ungatur, curandum, ut contritionis actu præparetur ad Sacramentum (4).

XVI. Tota autem actio pie, religioseque est perficienda. Fœminæ in renibus non sunt umquam ungendæ, imo nec mares, quando hi moveri commode nequeunt. Sacerdotes ungendi in parte manuum exteriore (5). Si adeo immineat mors, ut singulis unctionibus peragendis tempus minime futurum prævideatur, una corporis pars seligatur ungenda, sed præcipua, ut caput, formaque aptetur peccatis sensuum corporis universis. Hoc vero compendium absque gravi necessitate facere gravi culpa non vacat (6).

XVII. Si qui carent usu alicujus sensus, aut tota etiam, quæ ungenda præscribitur, corporis parte, nulla tamen e sacris istis unctionibus prætermitti potest. Quare capti oculis, vel auribus liniendi sunt in utroque oculo, vel oculorum loco, et in utraque aure; et qui carent brachio, vel crure, iis in propiore parte unctio est adhibenda (7).

(1) *Clem.I. de privil. Greg.XV. Const.* Inscrutabili *XVII.* §. Si autem, *et de ord. ministr. hoc Sacram.* §.1. *et seqq.*

(2) *Vid. Lambert. Inst. LV. n.* 7.

(3) *Rit. Rom. hoc loc.* §. Deinde.

(4) *Rit. Rom. de Sacram. extr. Unct.*

(5) *Rit. Rom. ibid.* §.Quinque, *et seqq.*

(6) *Bened. XIV. ibid. cap.*2. *et* 3.

(7) *Rit. Rom. ibid.* §. Dum oculos, *et* Si quis.

XVIII. Si prudenter dubitetur, utrum adhuc vivat, vel an rationis ad usum pervenerit is, ad quem ungendum quis venit, istos ungat conditione interposita.

XIX. Porro in eodem mortis periculo Sacramentum hoc non est iterandum. Si autem infirmi, quibus adhibita fuit extrema Unctio, convaluerint, in novumque postea inciderint vitæ periculum, poterunt rursus juvari hujus Sacramenti subsidio (1). Quod si imminuto morbo periculum illud cessasse prudenter existimetur, sed postea ægrotus antequam convalescat, rursus periculum subeat, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam rursus hoc Sacramento juvari poterit (2). De periculo sententiam ferre Medicorum est. Si tamen hi desint, aut res non sit ipsis satis aperta, Parochus in partem morbo laboranti utiliorem inclinet, neque ad aliam difficulter unctionem veniat (3).

XX. Nullum vero est Sacramentum, in quo tot ab Ecclesia adhibeantur preces, quot in extrema Unctione adhibentur; ipsæque formulæ unctionum, quod unicum est in Latinæ Ecclesiæ formis exemplum, totidem sunt precationes. Admonemur idcirco, morientis hominis tempore esse vel maxime orationi pro eo instandum. Quo plures autem, præsertim Sacerdotes, cum Unctio extrema administratur, apud infirmum congregati ad orandum fuerint, eo uberiores etiam tanti mysterii, præter gratiam, quam ex opere operato confert, fructus illi, quos ex opere operantium producit, ad suscipientem pervenient. Erit itaque optimum factu, si Sacerdos administraturus hoc Sacramentum, præter Clericum, adduxerit, si quos habere poterit, alios pios homines. Convocet autem, qui infirmo adsunt, consanguineos, et familiares, excitetque horum omnium pietatem, ut supplices cum fide orent, neque a precibus cessent, nisi Sacramentum fuerit perfectum.

XXI. Sacramento administrato, haud deserendus est infirmus; quin imo tum vel maxime adesse ei aut per se, aut per alium Sacerdotem Parochus debet, cum credita ipsi ovis ab æterno Pastore repetitur, ut huic ipsi eam reddat a Diaboli insidiis extremis subductam. Ei itaque laboranti præsto sit, eamque adjuvet, quibus maxime potest, opportunis præsidiis; languenti scilicet, ac defatigatæ addat vires spe æternæ gloriæ proposita, ac suavissimis JESU, et MARIÆ nominibus auribus morientis frequenter ingeminatis. Quod si tempus suppetat, quo, præter alia aut prorsus necessaria, aut maxime opportuna, ea

(1) *Conc. Trid. ibid. cap.* 3. *Rit. Rom. de hoc Sacram.* §. In eadem.

(2) *Bened. XIV. ibid. cap.* 8. *n.* 4.

(3) *Idem ibid.*

etiam explere possit, quæ sunt in ordine commendationis animæ præscripta erga infirmum, quem judicet jam moriturum, caveat, ne quid horum omittat.

XXII. Quamquam autem vehementer optamus, ut non modo Sacerdotes, et Clerici, verum etiam, his præsertim deficientibus, Laici morientes juvent quacumque ipsi ratione valeant; haud tamen probare poterimus, si Parochus integrum morientibus adstandi negotium Sacerdoti nondum Confessionibus audiendis probato demandet. Nulla autem ratione ferre possemus, si quis, administratis propere Sacramentis, morientem desereret, nihil de eo deinceps cogitaturus, nisi cum de efferendo cadavere nuntium acceperit. Is quidem satis male se gereret in concredita sibi animarum cura, atque idcirco dignus, qui non relinqueretur impunis. Verum hac re nunc non angimur, cum nihil sit, cur tantum malum suspicemur.

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Esse in Ecclesia Catholica Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constet ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris (1), atque adeo ordine hominum constet, qui divino addicti ministerio ab Laicorum statu omnino distinguantur, dogma est, quod absque fidei jactura verti dubio non potest. Hæc autem Hierarchia non, ut in veteri Testamento, carnali generatione, et successione fundatur, sed electione, et ordinatione statuitur, qua homines a Deo vocati, ex hominum reliquo assumpti, et in diversis gradibus constituti divino mancipantur obsequio, et Altaris deserviunt Sacrificio. Nemo autem debet ordinari, qui *judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis* (2); *ac melius est pauciores habere Ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequicquam sint valituri* (3). Quantum igitur cum Domino possumus, tantum advigilabimus, ut per omnia justum de assumendis ad ministeria divina, deque arcendis ab his ipsis judicium faciamus. Fratrum vero nostrorum, quotquot vel in exploranda divina vocatione, vel in testificandis bonis moribus, vitæque honestate, vel in examinanda habilitate Ordinandorum operam suam

(1) *Trid. Sess. XXIII. can. 6.*
(2) *Trid. ibid. cap. 16. de Ref.*
(3) *Bened. XIV. Const.* Ubi primum *II. §. 1. Bull. Tom. I.*

præstare debent, auxilium Nobis hac in re maxime necessaria adfuturum confidimus, ne adversus Apostoli monitum manus cito cuiquam imponere adducamur (1). Nostra interim in re tanti momenti studia quæ sint, his edicimus.

I. Quisquis in militiam Ecclesiasticam cooptari cogitat, diligenter, nec semel exploret: 1. Obstet ne sibi Canonicum aliquod impedimentum. 2. Qua mente ad hoc vitæ genus aspiret. Si quod enim adsit impedimentum, aut id continuo tollendum, aut omnis de Ordinum susceptione cogitatio abjicienda. Sic etiam si quis terrena aliqua causa, veluti sæcularis judicii fugiendi, vel honoris, vel proventus cupiditate, vel obsequio erga majores, et consanguineorum potius consiliis, quam sua sponte in eam se ferri deliberationem sentiat, is aut ab hac, aut ab pravis illis voluntatibus debet recedere, atque hoc vitæ genus ea tantum mente, animoque eligere, ut fidelem Deo cultum omnino præstet (2).

II. Neque tamen satis habebit recta voluntate nomen militiæ Ecclesiasticæ dare: confidat præterea oportet, non tamen temere, ea se mente, caritate, ac pietate, Deo adjuvante, futurum, quibus aliquando fidelis, et prudens mysteriorum Dei dispensator sit inveniendus. Ac si de sacro Ordine suscipiendo agat, providere etiam debet, ut iis præsidiis, rebusque omnibus sit præditus, unde prudenter confidat, se a sanctioris vitæ instituto deflexurum non esse. Divino autem potius, quam humano consilio deliberatio hæc est dirigenda; neque prius ineunda, quam quis assidue Spiritus Sancti lumen imploraverit, nec non sapientiorum, quibus singula quæque ad rem spectantia fuerint jam patefacta, præcipue vero Confessarii sententiam rogaverit.

III. Qui constituerit totum se Altari dedere, poterit a Nobis postulare, ut eum in sacrum cœtum cooptemus; cumque idoneum judicaverimus, scripto assentiemur. Neminem vero fore speramus, qui insignibus, quibus cœtus sacer distinguitur, Nobis non consciis, neque annuentibus, audeat se ipsum induere.

IV. Qui autem Tonsuram, aut aliquem Ordinem optant, promulgato Edicto Ordinationis habendæ, atque obtenta a Nobis examinis subeundi facultate, legitima sibi colligant testimonia earum rerum omnium, de quibus ut constet, in hac præsertim Synodo exigimus. Harum testificationum in Appendice indicem dabimus (3).

(1) *I. Timoth. cap. 5. v. 22.* *Conc. Rom. tit. 6. cap. 1.*
(2) *Trid. Sess. XXIII. cap. 4. de Ref.*
(3) *Append. N. XXX. pag. 78.*

V. Qui vero de Ordinandorum moribus sunt judicium facturi, id intelligant oportet, Nos scilicet ad pietatem, quam poscimus, nullo modo satis habere, quod ipsi nihil mali de iis se scire testentur: volumus siquidem certiores fieri, utrum pietatis jecerint fundamenta, pravos animi motus coercentes, exercentesque virtutum actus; utrum tale sit eorum ingenium, talis indoles, ut satis firma sit spes, eos futuros aliquando idoneos Ecclesiæ Ministros: *viros enim probatos oportet deligi, non probandos* (1). Qua in re ne fallamur, cum intersit vel maxime, eligemus ex Capitulo nostræ Cathedralis nonnullos, qui et testificationes examinent ab Ordinandis exhibitas, et vitæ ipsorum rationem omnem sedulo expendant. Et quoniam Pastorum vigilantiam facile subterfugiunt, qui in domibus propriis morantur; constitutum Nobis est, qui ad Ordines, præsertim majores erunt promovendi, eos nisi forte causæ prægraves aliud aliquando suaserint, non aliter ad hos assumere, quam per aliquot annos in Seminario nostro probatos, et sub Ecclesiastica disciplina institutos.

VI. Si qui vero litigiosi sint, pertinaces, acerbi, fœminarum colloquiis indulgentes, choreis, ludis, ac venationibus dediti, non ii sunt, ut de illa morum probitate, quam in Ordinandis exigimus, testimonium ferre quisquam possit. Ipsi quoque Ludimagistri, cum de Ordinandorum ingenio, studio, assiduitate, profectu, cæterisque studiosorum partibus adimpletis facturi sunt fidem, cogitent serio, se non levis momenti rem agere, neque posse sine gravi conscientiæ convicio veritati deficere.

VII. Parochus uno ante Ordinationem mense nomina eorum, qui erunt ad singulos majores Ordines assumendi, quos habet in sua Parochia subjectos, populo frequenti tribus vicibus denuntiet; jubeatque omnes proposito gravis piaculi metu ad se, vel ad Nos quantocius deferre, si quem eorum, quos nominari audierint, noverint Ecclesiæ juribus prohiberi, ne ad sacros Ordines evehatur. Interea idem Parochus de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad Curiam nostram quam primum transmittat (2). Inquirat quoque, utrum ex toto decreta servaverint, quæ in proxima parte de vita, et honestate Clericorum edemus. Omnes vero, qui debent Ordinationis causa testificari, monemus, ut gratia, obsequio, amicitia omnino sepositis, conscientiam tantummodo, ac veritatem, Ecclesiæque, imo communem utilitatem in testificando se-

(1) *S. Bernard. lib. 4. de Consid. cap. 4.* (2) *Trid. Sess. XXIII. cap. 4. de Ref.*

quantur. Si qui tamen vereantur aperte, quod sentiunt, exponere, Nos, vel Curiam nostram de tota re tempestive admoneant, qui sanctuarii rationibus sic providebimus, ut nullum inde eorum dignitas, atque securitas detrimentum patiatur.

VIII. His tamen testificationibus contenti non erimus. Etenim et singuli ad primam Tonsuram, vel Ordines admittendi examen coram Nobis subire debebunt. Quod si Ordinandi vitio cesserit male, Ordinationem ejus differemus ad tempus, quo, novo facto periculo, inveniatur satis instructus. Qui primam Tonsuram petunt, specimen dabunt, num teneant fidei rudimenta, et num legendo, scribendoque profecerint (1). Hoc facient pueruli; nam qui adoleverint, cum eos in aliis par sit studiis progredi, quomodo in his etiam se habeant, explorabimus.

IX. At cum ascensus quæretur ad Ordines, præter quam quod singulorum, quos sibi quisque conferri petierit, rationem debebit reddere, eorumque naturam, causam, fines, onera, ac rite exercendi modum tradere, de aliis etiam studiis, quibus operam per aliquod tempus dederit, exquiretur. Et ab iis, qui minores Ordines petunt, peritiam latinæ linguæ exigemus (2), quam nisi, experimento facto, intelligi ab ipsis constiterit, repellentur. Qui vero primum ad majores Ordines veniet, non solum opus est, ut in Grammatices, ac Rhetorices præceptis fuerit per aliquot annos ordinate, et cum fructu exercitatus, verum etiam omnino volumus, ut Philosophia, ac Dialectice saltem per annum audita, (quod legitima testificatione constare faciet,) morali quoque Theologiæ operam navaverit ad minus per annum, si ad Subdiaconatum, per duos, si ad Diaconatum, per tres, si ad Presbyteratum sit promovendus. Hos vero omnes annos oportebit esse integros, oportebitque novum, itidemque integrum futuros Diaconos, atque Presbyteros tractatum annis singulis exegisse, cujus argumentum paratus quisque sit Nobis, ut libuerit, reposcentibus exhibere; nullique assumentur ad Sacerdotium, nisi quos saltem Theologiæ moralis competenter peritos noverimus (3).

X. Qui vero ex nostra Diœcesi, omnibus inspectis, approbati fuerint ad sacros Ordines, proxime antequam initientur, per decem continuos dies, juxta Summorum Pontificum statuta, Exercitiis spiritualibus vacent oportet (4), et quidem in domo Congregationis Mis-

(1) *Trid. ibid.*
(2) *Trid. Sess. ead. cap.11.*
(3) *Conc. Rom. tit.6. cap.3.*
(4) *Ex Encycl. Innoc.XI. 9.Oct.1682. et alia Epist. S.C.C. 1.Feb.1710.*

sionis Urbis. Iisdem etiam vacent, saltem per triduum in Religiosa aliqua domo, aut penes Ecclesias, quibus addicti sunt, dirigente pio aliquo Sacerdote, qui postulant Ordines minores. Implorent autem per hoc tempus a Deo, ut notam ipsis faciat viam, in qua ambulent, dentque operam meditationibus religiosis, sed præcipue satagant, ut Sacramentali Confessione, quæ solet eo tempore esse ferventior, quæque expediret, ut in promovendis ad Subdiaconatum, aut Sacerdotium totum vitæ anteactæ tempus comprehenderet, instituant vitæ etiam perfectioris initium, atque sanctius cum Deo fœdus ineant (1).

XI. De honesta quoque Clericorum sustentatione oportet Nos esse sollicitos; et fel. rec. Clemens XIII. quoscumque Episcopos vehementer hortatur, ut cauti admodum hac in re, oculatique sint, ne qua collusio, aut fraus forte subrepat (2). Etenim paupertatis titulo Subdiaconatus Ordine consecrantur soli Regulares professi. Sed Clerici sæculares, ne quid umquam, ex quo Ecclesiastica Hierarchia dedecus subeat, agere ad vitam alendam cogantur, alio indigent titulo. Triplex hic est, aut Beneficium, aut Ecclesiastica pensio, aut patrimonium rite constitutum (3).

XII. Haud vero ubique æqualis est summa, quæ ad id sufficere censeatur. Nos in tota nostra Diœcesi, quod quidem constitutum invenimus, probamus, ac volumus esse annuum censum sex saltem, et triginta scutatorum ejus pretii, quod hodie obtinet apud nos, quæ certo, integre, ac libere in ejus potestatem cesserint, qui Subdiaconatu est initiandus.

XIII. Qui Beneficii titulum proferunt, tum de pacifica ejus possessione Curiam nostram doceant necesse est (4), tum vero ex annuo Beneficii censu, detractis publicis omnibus, privatisque oneribus, saltem memoratam summam superesse pro Beneficiarii sustentatione. Sacra autem Concilii Congregatio Ordinariorum conscientiæ, atque arbitrio constituendum reliquit, utrum onus Missarum, si eo Beneficium gravetur, sit detrahendum (5). Nos pro peculiaribus rerum adjunctis, quid hoc in casu sit agendum, statuemus. Quod si Beneficium, cujus ad titulum petitur Ordinatio, situm sit in aliena Diœcesi, simulque continuatam residentiam requirat, servanda est sum-

(1) *S. Carol. Con. Prov. IV. par. 2. tit.* Quæ pert. ad sacr. Ord. §. Subdiaconatum.

(2) *Ep. Encycl. 17. Sept. 1759.*

(3) *Trid. Sess. XXI. cap. 2. de Ref. Clem. XIII. ibid.*

(4) *Trid. ibid.*

(5) *In* Ariminen. *17. Jul. 1723. in* Firman. *14. Januar. 1708. Vid. Bened. XIV. de Syn. lib. 12. cap. 9. n. 6.*

ma sive lege, sive consuetudine definita in illa Diœcesi (1); si vero hujusmodi residentiam non requirat, servabitur summa Diœcesis nostræ.

XIV. Quod si ex Ecclesiastico fundo percipere Ordinandus necessariam summam non possit, hanc diversi generis redditibus perfici permittemus, et promovendum ordinari titulo Beneficii haud solo, sed cum supplemento pensionis, aut patrimonii, dummodo causæ adsint, quæ requiruntur, ut his postremis titulis ordinari possit (2). Nam pensione etiam, ac patrimonio constitui titulum ad Ordinationem sinit Ecclesia; sed ea lege, ut his titulis ordinari non possint, nisi *quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum* (3). Hinc si quis Ecclesiasticum Beneficium possideat, quod ferat annuum fructum a Nobis statutum, omnino ordinandus erit hujus titulo, non vero pensionis, aut patrimonii (4), quibus titulis *dispensative* tantum, ac deficiente titulo Beneficii fit locus.

XV. De Patrimonii vero constitutione ad amovendas fraudes, quibus potest esse obnoxia, sancimus, ut bona, quæ patrimonio dantur, sint certa, luculentius dicamus, determinata, sint immota, atque fructifera, nullo ære alieno, aut alio quovis jure, sive hypotheca gravata, neque periculo evictionis, aut alio hujusmodi vitio infecta, sint libera, ac libere actu possideantur ab eo, qui patrimonium constituit, denique annuum censum jam definitum; quæ omnia volumus in Curia nostra authentice recognosci. Volumus præterea, in eadem Curia plane constare, patrimonii constitutione nihil minui, aut lædi legitimam portionem, quæ cæteris filiis, si quos constituens habeat, debetur: est enim ab Ecclesiæ mente prorsus alienum, ut ullius jura quoquomodo lædantur. Qui fundos æstimant, eos monemus quam severissime, ut tanti æstiment, quantum et certa scientia, et summa exigit fides: si aliter faciant, præter quam quod peccabunt gravissime, cogentur etiam suppeditare ex propriis fortunis quidquid ad censum Ordinando debitum deesse comperietur.

XVI. Parochis etiam, tum illi, cui subjectus est Ordinandus, tum illi, in cujus Parochia est fundus in titulum erigendus, ut fundi, ac fructuum libertas, atque securitas in lucem prodeant, mandamus,

(1) *S. C. C. in* Alatr. *9. Jul.* 1701. *et alibi, Conc. Rom. tit. 6. cap. 4. Bened. XIV. ibid. n. 2. Innoc. XIII. Const.* Apostolici ministerii §. 7.

(2) *S. C. C. in* Signin. 18. *Sept.* 1683. *et in* Civit. Pleb. 10. *Jun.* 1684.

(3) *Trid. ibid.*

(4) *S. C. C. in* Soran. 26. *Januar.* 1669. *et in* Camerinen. 4. *Aug.* 1685.

ut præter industriam, quam in hisce cognoscendis debent ipsi ponere, horum bonorum descriptionem, qualem a Curia nostra accipient, die Festo inter Missarum solemnia populo denuntient, moneantque graviter, quemque teneri aut Curiæ nostræ, aut ipsis denuntiare, si quid juris super bonis hujusmodi se habere contendat, aut alium habere sciat. Curent etiam iidem Parochi, ut eadem bonorum descriptio per tres saltem dies hæreat suarum Ecclesiarum valvis affixa.

XVII. Qui vero patrimonium assignant, nullum omnino exigant ab Ordinando pactum, fructus hujusmodi vel totos, vel ex parte iisdem relaxaturum; nec tale pactum admittant, etiamsi Ordinandus id sponte sua inire, immo et jurare vellet. Nihil enim aut promissio, aut jusjurandum retardaret, quominus patrimonii institutorem, atque alium quemvis hujus fraudis consiliatorem, vel adjutorem ad erogandos eidem fructus adigeremus, et aliter plecteremus.

XVIII. Ordinandi autem, qui sibi patrimonium constitui falsum, fictum, fiduciarium, aut deficiens conscii fraudis consentiunt, si decipientes Episcopum ad sacros Ordines suscipiendos accesserint, nosse debent, se ipso facto suspensos esse, ut sacri Canones statuunt (1), quos Synodus Tridentina innovavit (2).

XIX. Porro et qui patrimonium constituunt, et qui illud accipiunt apud Cancellarium nostrum jurare volumus, nihil in eo constituendo, nihil in accipiendo subesse simulatum, illiusque fructus in potestatem Ordinandi fore statim, ac tuto derivandos (3).

XX. Instrumentum patrimonii non alius, quam Cancellarius noster conficiat; quod nisi servetur, irritum sit. Ipse vero Cancellarius non ante conficiat, quam Vicarii nostri generalis decreto fuerit declaratum, bona, quæ danda in patrimonium sunt, talia esse, qualia hactenus exegimus. Hinc ipse in instrumento testetur hæc omnia fuisse recognita, atque servata: testetur etiam de juramento a partibus, et testibus præstito, tum de proclamationibus habitis, deque fundi descriptione Ecclesiæ valvis affixa, si ante instrumenti stipulationem affixa fuerit.

XXI. Ordinatus titulo patrimonii non potest se hoc abdicare vendendo, aut alteri resignando, etiamsi sufficiens Beneficium fuerit consecutus (4). Hi videlicet actus nisi de Episcopi auctoritate cum

(1) *Cap.* Neminem 1. *et cap.* Sanctorum 2. *dist.70. et alibi.*

(2) *Sess. XXI. cap. 2. de Ref. S. C. C. apud Rigant. ad reg. Canc.24. Vid. Lambert. Inst. XVI. ubi plura in hanc rem.*

(3) *Synod. Prænest. sub Rufo de Sacram. tit.9. cap.4.*

(4) *Trid. ibid. S.C.C. 16. April.1622.*

alterius tituli subrogatione fiant, jure ipso in irritum incidunt. Neque vero, nisi facultate ab Episcopo facta, patrimonium cum aliis bonis, etiamsi æqualis redditus, commutare fas est (1); neque illud in emphyteusim concedere (2), etiamsi sibi, quoad vixerit, annuum canonem reservet patrimonii redditui omnino parem. Tandem nec licet patrimonium fidejussione obligare. Si quando tamen patrimonium sic devinctum in controversiam esset adductum, statutum fuit in illa tantum bona exerceri jus posse, quæ post honestam vitæ sustentationem, judicis Ecclesiastici arbitrio, Ordinato supersunt; quamquam potest creditor accipere *in solutum*, ac vendere jus in hujusmodi patrimonium, quod post Ordinati mortem ad ipsius hæredes transire deberet (3).

XXII. Si quis vero de Beneficio, quodcumque illud sit, resignando Nobiscum agere velit; ille et docere debebit, an eo titulo fuerit inter Subdiaconos cooptatus, et debebit prætcrea argumentis omnino certis Nobis ostendere, quidquid ad vitam non indecore alendam necessarium est, sibi deinceps certo futurum (4).

XXIII. Quoniam vero præceptum est, ut unusquisque a proprio Episcopo ordinetur (5), servandumque est hoc ipsum ab iis etiam, qui Clericali Tonsura sunt initiandi; nullus Ecclesiasticæ nostræ ditioni subjectus ad alium Episcopum se conferat, ut initietur, nisi Nos dimissoriales eidem literas largiti fuerimus. Has vero haud largiemur, nisi iis, qui probati examine sint, quique ipsi ea omnia præstiterint, quæ cæteri solent.

XXIV. Regulares quoque in hac Diœcesi commorantes, quoties sint Ordines petituri, se Nobis offerant necesse est temporibus Ecclesiastica ad id lege præstitutis (6). Verumtamen literas afferant suorum Prælatorum dimissoriales, quibus ea omnia contineantur, quæ exprimit formula, quam in Curia Vicariatus Urbis novimus usurpari, quamque dabimus in Appendice (7). Neque abs re fecerit, qui eam voluerit conceptis terminis adhibere. Iidem se Nobis subeundo examini paratos exhibeant, quo habito, de ordinandis deliberabimus. Neque vero alium poterunt adire Episcopum, ut ab eo Tonsura, aut aliquo Ordine initientur, nisi habeant legitimum Vicarii, vel

(1) *S.C.C. 10.Octobr.1670.*

(2) *Ead. S.C.C. 20. Julii 1641. et 24. Feb.1652.*

(3) *S.C.C. 5. Feb. 1604. et 19. Martii 1642. Plur. hanc in rem Lambert. Inst. ead.*

(4) *Trid. ibid. Lambert. ibid.*

(5) *Trid. Sess. XXIII. cap.8. de Ref.*

(6) *Bened. XIV. Const.* Impositi Nobis *XXVII. Bull. Tom. II. Vid. etiam. Inst. ejusd. LVIII.*

(7) *Append. N.XII. pag.32.*

Cancellarii, aut Secretarii nostri testimonium, ex quo constet Clericorum Ordinationem non esse a Nobis habendam proximo legitimo tempore (1).

XXV. Qui vero post vota solemnia sunt sacris Ordinibus initiandi, afferant etiam a suo singuli Præside testimonium, quo eos in Religione, cui adscripti sunt, expressam professionem rite emisisse constet (2), quippe quæ, ut paupertatis titulo ordinentur, sufficiat; ac præterea in Curia nostra ipsi jurent, ac scribant, se ab omni prorsus humano metu, atque vi liberos, omninoque sponte professionem eamdem emisisse, eamque sic emissam sincero animo ratam habere. Hujusce juramenti forma tradetur in Appendice (3); et juramenti ipsius ab initiando jam præstiti una cum reliquis scriptis, ac literis monumentum in Cancellariæ nostræ Tabulario servetur.

XXVI. Nostræ Ecclesiasticæ ditioni subjecti, et ad Eminentissimum Urbis Vicarium dimissi, quas ab hoc literas susceptorum Ordinum testes acceperint, intra mensem Cancellariæ nostræ recognoscendas, inque librum referendas omnino exhibeant. Quod si quis facere id omittat, aut differat, pœna multandus (4).

XXVII. Quo die solemnis habenda est Ordinatio, stato tempore in Ecclesiam, ubi erit habenda, Ordinandi conveniant omnes, ut ad suos quisque gradus conscendat. Sint iidem induti talari veste, ac cæteris, quibus juxta Pontificale indutos esse ipsos oportet. Haud tamen qui ad primam Tonsuram, et majores Ordines initiandi erunt, induti sint illis, quas ab Ordinante Episcopo debent accipere, sed has gestent, ut in Rubricis præcipitur, et gravitatem, modestiam, ac religionem præ se ferant. Initiabuntur, ubi nos designaverimus, neque inde abscedent, nisi functionis partibus omnibus absolutis.

XXVIII. Reportent singuli suscepti Ordinis, immo etiam primæ Tonsuræ testimonium a Cancellario nostro propriis sumptibus, quod apud se retineant, exhibendum, cum erunt ad alios Ordines promovendi. Ut vero etiamsi quis has literas amiserit, de susceptis ab unoquoque Ordinibus constare possit, ipse Cancellarius singulorum initiatorum et nomen, et Ordinem, et tempus, quo hæc gesta sunt, quam diligentissime servet.

XXIX. Qui autem insigniti sunt Ordine aliquo, servitio alicujus Ecclesiæ adjiciuntur, ubi Ordinem nuper susceptum exerceant (5).

(1) *Bened. XIV. Const. ead.*

(2) *S. Carol. Conc. Prov. II. tit. 1. dec. 23. Synod. complur.*

(3) *Append. N. XIII. pag. 32.*

(4) *Plur. Synod.*

(5) *Trid. Sess. XXIII. cap. 16. de Ref. Conc. Rom. tit. 6. cap. 2.*

Qui fuerint aliquo ex majoribus Ordinibus insigniti, si in Civitate commorentur, jubemus ministrare in nostra Ecclesia Cathedrali; si vero in oppidis, in quibus extent Collegiatæ, in his ipsis jubemus ministrare. Alibi, uti et Clerici reliqui, in sua quisque Parochia inibunt Ordinum suorum functiones. Quod si Parochi Nobis significaverint, opera se indigere alicujus, etiam in majoribus Ordinibus constituti, postulata libenter facturi erimus. Ministrent autem Ordinati animo vere pio, ac liberali cum in Deum, tum in Ecclesiam; neque se inertes, ac negligentes, aut incompositos in hisce muneribus præbeant, ne ex zelo domus Dei agere cum ipsis debeamus.

XXX. Qui novi creantur Sacerdotes, non audeant sacrificare, nisi peritiæ in sacrosancta explenda actione testimonium vel ab eo, ad quem spectat in Congregatione Missionis, ubi spiritualibus Exercitiis vacarunt, vel ab nostræ Cathedralis cæremoniarum Magistro retulerint. Nos vero, testimonio hujusmodi Nobis, aut Vicario nostro generali exhibito, singulis, per quos fuerit exhibitum, sacrificandi potestatem perquam libenter faciemus.

XXXI. At quo primum die omnipotenti Deo litaverint, non debet omnino ab jucunditate ob tantam rem gestam juste concepta abesse intimus quidam, idemque verecundus terror, quem recentissima illius recordatio credentibus conciliat. Hac de causa, etsi lætitiam comiter domesticis communicare æquum sit, cum tamen diem convivio opipare instructo, multisque convivis adhibitis effusius absumere, non parum inopportunum, imo prorsus alienum, neque ejusdem diei sanctitati conveniens censendum est.

XXXII. Quæ hactenus de initiandis sunt constituta, eo pleraque referuntur, ut de ipsorum cujusque habilitate facere possimus non imprudens judicium. Haud tamen ea sunt, quibus certo, omnique exclusa erroris formidine eam ipsam cognoscere possimus. Opus itaque vel maxime habemus, ut in re tam gravi, tamque difficili consilia nostra dirigat Deus, quem nobis ignota non latent, quemque occulta non fallunt. Hinc quandocumque Ordinationem erimus habituri, hujus rei gratia Deum assidue, et instanter orabimus. Hoc ipsum fieri a Parochis totius administrationis nostræ adjutoribus vehementissime cupimus; nec dubitamus, quin ipsi, ut a suis etiam Plebibus fiat, sint suis monitis perfecturi, quantaque poterunt contentione, commendaturi tum vel maxime, cum eas de jejunio Ordinationi proximo commonefacient, quod jejunium ad sanctos, et idoneos Ministros habendos præcipue ab Ecclesia præcipitur. Magnum itaque Patremfamilias cum fiducia omnes adeamus, ipsumque obsecremus, ut,

quot opus erunt, mittat operarios ad vineam hanc suam excolendam; atque hos omnes maxime idoneos, quique fructum ei reddant uberrimum temporibus suis.

CAPUT X.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonium, quod ut naturæ officium divina ab initio constitit institutione, ad Sacramenti porro dignitatem Dominus noster Jesus Christus evexit. Utrovis autem modo spectetur, honeste est, sancteque ineundum. *Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacant, sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem Dæmonium super eos* (1). Faciendum igitur omnimode est, ut qui nuptias inire volent, religione, rectaque ratione tota hac in re gubernentur, utque amore filiorum magis, quam libidine ad has ducantur, ut et jugum, quod sibi imponere parant, non difficile tolerare possint, et benedicti ipsi a Domino, benedictionem deinde consequantur in filiis. Edicimus hanc in rem, quæ sequuntur.

I. Ac primo, cum difficile sit exitum bonum habere, quæ malo sunt inchoata principio, urgeant gravissime Parochi, male auspicata esse conjugia, quæ longa series scelerum gravissimorum præcesserit. Eos ergo insectentur, qui parentibus, aut iis, quorum curæ sunt traditi, vel nesciis prorsus, vel jure invitis, dant Matrimonii celebrandi fidem, unde persæpe familiarum perturbationes, controversiæ, dissidia. Et quoniam neque perversi homines desunt, qui in filiisfamilias hujusmodi sponsalia promovere, iisdemque testes esse, aut apochas scribere, aut scriptas deferre audent; hi quicumque sint, etiamsi Notarii, sive contrahentium affines, consanguinei, aut etiam parentes, quomodocumque ad id suam operam, consilium, favorem præbuerint, sciant gravissimas Nos pœnas ipsis daturos. Parochis vero hujusmodi Matrimonia Nobis inconsultis publice denuntiare, sit penitus interdictum.

II. Multo etiam sæpius, (nam frequentior est causa,) in eos invehantur, qui pluribus ante mensibus, atque etiam annis, quam possint nuptias inire, sibi deligunt sponsam, eamque ferme quotidie adeunt, ac quibus possunt officiis colunt. Neque hac super re omit-

(1) *Job. cap.6. ver.17.*

tant admonere parentes, ne sponsalia pro filiis ante ipsorum pubertatem, vel longo ante tempore, quam possint hi Matrimonium celebrare, contrahant. Quod si forte contigerit, ad horum deinde consensum habendum, ac porro per totum tempus plurium sæpe annorum, quod nuptias præcedit, non sinant, ut futuri hi sponsi simul conversentur, multoque minus ut simul laborent præsertim in agris, etiam parentibus ipsis præsentibus. Compertum est enim, totum istius temporis spatium adolescentibus præsertim esse periculi plenum. Quare pravam hanc consuetudinem, sicubi est, Parochi prudenter quidem, sed omni vi evellere contendant; et si quid ipsi per se nequeant perficere, a Nobis, ut provideamus, implorent.

III. Porro sponsalia, etiam clam facta, valida sunt, et cum veram obligationem, tum etiam impedimentum inducunt, quod publica ex honestate Canones petunt (1). Insinuandum nihilominus semper est, ut excipiantur a Parocho coram duobus testibus. Justis tamen de causis, abrogata quavis in contrarium consuetudine, vetamus a Parocho permitti, partes simul præsentes adesse; sed uniuscujusque earum promissionem volumus excipiat seorsim, duobus, vel tribus adhibitis testibus, totamque hanc rem literis mandet.

IV. Monendi autem sunt, præsertim rudiores, nihil sibi a sponsalibus, ut ut paulo solemnius initis, in corpus alterius licere. Hinc si quid præpropere, quibuscumque posthabitis juribus, perque scelus agere aggrediantur, crimen fore gravissimum a Nobis plectendum; neque in ipsis tantum, sed etiam in aliis, qui cum maxime debuissent, non prohibuerunt.

V. Sed quia mutua ante Matrimonium ratum consuetudo sponsorum est periculi plena; rei ratio a Nobis postulat, ut tanti abusus causas de medio tollamus. Præcipimus itaque, ne in eadem uterque domo habitet, etiamsi antea habitare fortasse consueverit: jubemus deinde, eos a frequentibus visitationibus omnino abstinere; vetamusque ambos umquam ita secreto convenire, ut quid agant sub aliorum aspectum facile nequeat cadere. Præcipimus sponsorum parentibus, tum omnibus aliis, qui auctoritatem in illos habent, videlicet patruis, tutoribus, curatoribus, et si qui sunt alii, ut ipsi quoque diligenter advigilent, ne quid contra hæc nostra præscripta fiat a sponsis. Parochis tandem præcipimus, ut a quibus admonitis transgredi præcepta hæc noverint, eos Nobis, aut nostro Vicario generali quam cito denuntient (2).

(1) *S.C.C.1573.apud Lamb.Inst.XLVI.* Matrim.pert. §.Magnum. *Vid. Lambert.*
(2) *S. Carol. Conc. Prov. VI.* Quæ ad *Inst. cit. n.17. et seq.*

VI. Ad causam quoque hujusmodi malorum pertinet, quod sponsi nimium aliquando differant nuptias: instare idcirco Pastores debent, ut Matrimonium festine ex ritu contrahant. Neque vero ferre possumus, ut illud diutius, quam ad duos menses a sponsalibus initis protrahatur, nisi causa a Nobis tantum, aut a Vicario nostro generali cognoscenda, atque probanda postulet, ut id aliquamdiu toleremus (1); et sponsos, qui fraude, negligentia, aut alia culpa distulerint Matrimonium, Nos modo moniti in tempore simus, (monere autem præcipue Parochorum est,) injustæ moræ finem facere compellemus.

VII. Sed Matrimonia non aliter, atque præhabitis publicationibus sunt celebranda (2). De quibus præcipimus, ut Parochus ad has non deveniat, nisi ante a sponsis quæsierit, an se denuntiari publice velint: est enim sedulo inquirendum, sponte ne, et libere uterque in tale Matrimonium consentiat; quod quidem faciendum cum sponso, et sponsa *seorsim caute*, *et*, ut dicitur, *ad aurem* (3), iis remotis, quorum præsentia effici posset, ne sponsi, et præsertim puellæ satis aperte animum proderent suum (4).

VIII. Et alia Parochus, nisi aliunde ea certo noverit, sciscitetur a sponsis necesse est, quorum indiculum opportune hic apponimus. 1. Quanam ipsi ætate sint: nam si mares annum decimum quartum, fœminæ duodecimum non evaserint, nuptiis ineundis sunt impares. 2. An inter ipsos ullum, et cujus generis impedimentum intercedat. 3. An voto aliquo castitatis, vel Religionis obstringantur. 4. An fidem alicui dederint Matrimonii cum ipso contrahendi. 5. An præcepto sumendæ Eucharistiæ eo anno paruerint. 6. An utriusque parentes ejusmodi contractui assentiantur. 7. An ad Catholicæ fidei rudimenta, et ad Christianorum conjugum officia sint satis instructi (5). 8. Utrum in nostra Diœcesi sint perpetuo demorati, an etiam alibi, et quamdiu. 9. Si quis ex viduitate novas sibi nuptias parat, rogandus etiam prudenter, ut pateat, num subsit aliquod impedimentum, quod dici criminis solet. Quod si omnibus exploratis tuto judicent Parochi, nihil esse, quod denuntiationibus publice, et de more faciendis obstet, ad has procedant, ut si quod adhuc lateat vinculum, sive impedimentum detegatur (6). Si sponsi sint diversæ Parochiæ, rem eamdem Parochus uterque, uti moris est, exploret.

(1) *Plur.Synod. post Tusculanam* 1703. *sub Emo Ursinio, postea Bened.XIII.*

(2) *Trid. Sess. XXIV. cap. 1. de Ref. Matrim.*

(3) *Vid. Rit.Rom. de Sacram. Matrim.* §. Parochus.

(4) *Bened. XIV. Const.* Nimiam licentiam *LXXXV.* §. 10. *Bull.Tom.I.*

(5) *Vide Bened. XIV. de Synod. lib. 8. cap.14.*

(6) *Rit.Rom. ibid.*

IX. Si contracturi vagi sint, peregrini, exteri, vel eorum alter exterus sit, nempe alienæ Diœcesis; immo vero si Diœcesanus ipse mensibus plus quam quatuor hinc abfuerit, non fiant proclamationes, nisi certum, atque legitimum liberi status testimonium in Curia nostra constiterit, juxta instructionem supremæ, et universalis Inquisitionis (1), quæ omnino servanda est, et nisi ab eadem Curia facta ipsis sit Matrimonium celebrandi facultas. Quod idem servandum, si conjugum alter extra Diœcesim obierit, et superstes nuptias petat. Si vero conjugis obitus in altera Diœcesis nostræ Parochia contigerit, satis erit, si Parochus, cujus in Parochia decessit, id scripto testetur. At cum aliquis ex aliena Diœcesi apud Nos contracturus venit, Parochi, præter status liberi testimonium, etiam denuntiationes in illa Diœcesi habitas, atque authentice firmatas exigant (2).

X. Hæ vero proclamationes tres penitus sint, eædemque, ut jam dictum est, publicæ ad populum inter Missarum solemnia singulæ singulis diebus Festis continuis (3). Si contracturi ex diversis Diœceseos nostræ Parochiis sint, utrobique denuntiationes fiant: si alteruter vero, vel uterque sponsus ab una, ubi diu habitaverat, in aliam Parochiam ibidem habitaturus recens migraverit, in utraque item, totidemque vicibus erit denuntiandum Matrimonium; neque proprius Parochus eos ad ejusdem celebrationem admittat, nisi legitimo alterius Parochi testimonio constiterit, nullum detectum fuisse obicem post trinam habitam denuntiationem.

XI. Si quando contingat, ut, denuntiationibus nondum expletis, alter e sponsis alio se conferat diu abfuturus, ille Parochum, hic vero Nos moneat, ut quid agendum sit deliberetur.

XII. Parochi ne unam quidem ex hisce denuntiationibus audeant prætermittere, aut etiam interrumpere, nisi Nos ipsi, aut Vicarius noster generalis in scriptis veniam fecerimus; sciantque omnes, gravissime moneri Episcopos, ut sint *difficiliores ad remittendas publicationes, a quibus contracturi Matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari* (4). Parochi vero cum Matrimonium denuntiant, populum simul admoneant obligationis, qua quisquis noverit aliquod Matrimonio illi impedimentum obstare, tenetur hoc, etiamsi sit occultum, et probari in judicio nequeat, vel Parocho ipsi, vel Vicario nostro generali aperire, ne graviter in Deum peccet, et pœ-

(1) *Decr.* 21. *Aug.* 1670.
(2) *Rit. Rom. ibid.* §. Caveat.
(3) *Trid. ibid.*
(4) *Bened. XIV. Const.* Satis vobis *XXXV. Bull. Tom. I.*

nis fiat obnoxius. Admoneant quoque eam esse denuntiationem ultimam, quæ revera talis est, sive ex jure, sive ex nostra dispensatione. Ut vero obligationi, quam diximus, satisfacere Fideles possint, breviter, prudenterque docendi a Parochis erunt, quænam sint impedimenta, quorum alia Matrimonium contrahi vetant, alia et hoc faciunt, et contractum etiam irritant.

XIII. Sed neque canonicam evadet ultionem, qui, falsa aliqua causa per dolum objecta, Matrimonium aliquod impediendum curaverit (1); eidemque ultioni illos subjicimus, qui scienter verum reticent impedimentum.

XIV. Interea Parochi, si quod non modo certum, verum etiam dubium sibi deferri audiant, aut ipsi detegant impedimentum, continuo rem ad Vicarium nostrum generalem deferant, neque proclamationes prosequantur; sed quid agendum sit ex literis ipsius exspectent. Si quod vero impedimentum irritans prodeat post initas nuptias, conjuges separentur omnino, et sic maneant, donec fuerit dispensatum.

XV. Sed denuntiationibus habitis, nulloque impedimento deprehenso, Matrimonium quam primum celebretur; non ipso tamen postremo denuntiationis die, ut, si quod intercedat impedimentum, detegi adhuc possit. Quamquam, si quo die fit ultima denuntiatio, claudantur nuptiæ, facultatem petenti faciemus, ut ipso die ultimo Matrimonium contrahat, modo de hac ipsa re populus moneatur. Quod si Matrimonium ultra id tempus, quod superius præscripsimus, celebrari ex facultate nostra contigerit, atque intra duos menses post factas denuntiationes non contrahatur, denuntiationes repetantur (2), nisi aliter Nobis visum fuerit.

XVI. Moneat autem Parochus, ut ad ipsum nuptiarum diem sancte se comparent sponsi, ac præsertim ut sese Sacramento Pœnitentiæ expient, et Eucharistia reficiant a Deo exorantes, ut sit ***honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus*** (3). Agerent vero sponsi consultius, si aliquot ante nuptias diebus totius anteactæ vitæ Confessionem peragerent, ut si qua re impedirentur, quominus contraherent valide, opportune, ac sine scandali periculo consuli posset.

XVII. Quamquam vero, sive sponsi, sive sponsæ adsit Parochus, Matrimonium valide celebretur (4); volumus tamen, honestatis ratione suadente, morem servari, ut ille nimirum, cui sponsa subest,

(1) *Cap.* Cum inhibitio 3. *de clandest. desponsat.* §. Sane.

(2) *Rit. Rom. ibid.* §. Si vero, *et Synod. Præn. sub Rufo.*

(3) *Hebr. cap.* 13. *v.* 4.

(4) *Rit. Rom. ibid.* §. Est autem.

utrumque conjungat. Quis porro in Matrimoniis contrahendis proprius sit Parochus, cujus præsentia requiritur, jam definitum pluries est (1). De puellis, quæ famulatum exercent, unanimi Parochorum omnium consensione statuimus, ut illarum Matrimoniis Parochus adsit, cujus in Parochia famulantur.

XVIII. *Munus*, inquit Benedictus XIV. (2), *quod ad proprium Parochum jure spectat interessendi Matrimoniis celebrandis, per sese ipse Parochus, nisi legitima, gravissimaque de causa impeditus, obire teneatur*. Non itaque facile alteri hanc curam demandet; et cum Matrimonio aderit, si tempus patiatur, brevem ad contrahentes habeat sermonem, quo impositas connubio Christianorum obligationes exponet, ea vultus, verborumque gravitate, quam et rei, et loci dignitas exigit.

XIX. Namque *Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari decet* (3); idcirco numquam in Oratoriis privatis, multo minus in ædibus domesticis, nisi Nos ipsi, aut Vicarius noster generalis concesserimus, celebretur, sed in Ecclesia, quæ vel sit Parochialis sponsæ, vel saltem posita intra limites Parœciæ, in qua sponsa ipsa degit. Celebretur vero matutinis horis, non pomeridianis, aut vespertinis, ea præcipue de causa, ut contrahentes Missam pro sponsis, si hanc ritus diei patiatur, audiant, utque saltem nuptiali benedictione muniantur, quæ primo nubentibus inter Missam est impertienda; immo ex nostræ Diœcesis consuetudine, quæ et Romæ obtinet, etiamsi solum fœmina primo nubat. Quod si ex facultate nostra, aut Vicarii nostri generalis aliqui conjungantur Matrimonio privatim, aut sub vesperas, adeant et ipsi postmodum Ecclesiam, ut ibi, (neque enim alibi fieri potest,) solemni benedictione donentur; ante quam ne conjuges in eadem domo cohabitent, neque Matrimonium consumment, neque etiam simul maneant, monendi a Parocho sunt (4). Hæc de primis nuptiis.

XX. At si sponsa sit vidua, a solemni nuptiarum benedictione abstinendum (5). Intersit quidem utraque pars, quod vehementer urgemus, Missæ Sacrificio; sed Missa semper sit ejus diei propria, numquam votiva pro sponsis, neque in illa orationes pro sponsis addantur. Item si ex facultate a Nobis impetrata, ut moris est, tem-

(1) *Lambert. tot. Inst. XXXIII.*

(2) *Constit.* Nimiam licentiam §.9.

(3) *Rit. Rom. ibid.* §. Matrimonium.

(4) *Trid. ibid. Rit. Rom. ibid.* §. Moneat Parochus, *et* §. Matrimonium.

(5) *Cap.* Capellanum 1. *et cap.* Vir autem 3. *de secundis nuptiis.*

poribus, quibus sunt solemnitates nuptiarum prohibitæ, Matrimonium celebrari contingat, a nuptiali tunc benedictione abstinendum, eaque in tempus, quo possit ex Rituali Ecclesiæ lege impertiri, est differenda. Si tum Missa celebretur, neque ea votiva pro sponsis esse potest, neque orationes, ac benedictiones in hac contentæ possunt recitari. Est quoque per hosce dies prohibitum solemniter sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia, aut sæcularem quamcumque pompam agere (1).

XXI. Si qui canonicis posthabitis Constitutionibus coram Parocho non præmonito, vel invito Matrimonium contrahere per summum facinus ausi fuerint, pœna tum carceris, tum pecuniæ, aliisque arbitrio certo multabuntur. Has ipsas pœnas subire cogentur testes, qui hujusmodi Matrimonio scienter adfuerint, itemque illi, qui quomodocumque tanto facinori fuerint cooperati. Et præterea qui adeo præpostere contraxerunt, simul habitare vetantur; neque id ipsis concedetur, nisi postquam debita a Nobis imponenda pœnitentia Deo, et Ecclesiæ satisfecerint. Si vero Parochus, non præhabitis denuntiationibus, neque obtenta a Curia nostra facultate, istiusmodi conjunctionibus præsumpserit interesse; hunc per triennium ab officio suspendendum Canones monent, et gravius etiam plectendum, si culpæ qualitas postulaverit (2).

XXII. Illud vehementer commendamus, ut quibus temporibus licet sponsam solemniter traducere, absint ex omni hujusmodi solemnitate cantiones quæcumque dignitati, et sanctitati Sacramenti ut ut minimum adversæ; ac si qua per eam occasionem ignea arma explodantur, ne id fiat, nisi ultra quingentos ab Ecclesia passus. Quod tamen noctu quidam conveniant, atque inconditis vocibus, aut magnis tintinnabulorum pulsationibus, vulgo *scampanate*, ante eorum perstrepant fores, qui alteras nuptias recens inierunt, aut alia quæcumque faciant, quibus ludibrio vertantur; petulans hoc est, neque omnino ferendum in Christianis hominibus, qui Matrimonium, ut rem sanctissimam summopere debent revereri. Itaque talis criminis reos carceris, aliisve arbitrio severis pœnis subjiciemus.

XXIII. Statim ac Matrimonium fuerit celebratum, *Parochus manu sua describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum, et testium, et alia juxta formulam præscriptam*; *idque licet alius Sacerdos*

(1) *Vid. Rit. Rom. Ibid. Lambert. tot. Inst. LXXX.*

(2) *Cap.* Cum inhibitio 3. *de clandest. despons.* §. Sane.

vel a se, vel ab Ordinario delegatus Matrimonium celebraverit (1). Sit vero liber Matrimoniorum ab aliis Parochialibus libris diversus; utque is etiam asservetur diligentissime, plane præcipimus.

XXIV. Præstat hoc loco et Parochorum in conjugatos officia perstringere. Illos scilicet primum oportet esse prudentes in Christo, suarumque ovium casus prospicere; pacem inter conjuges sedulo procurare, et caritatem, qua lites, injuriæ, et animorum dissidia quæcumque arceantur: si quid eam sustulerit, omni ope ipsis perficiendum, ut restituatur; si quid impediat, erit, quantum eniti poterunt, de medio tollendum. Rationes hanc in rem adhibeant ex principiis Christianæ fidei petitas; sed neque ipsis dissimulent, nisi caritate invicem certent, vix, aut ne vix quidem aliam ipsis superfuturam rationem, qua labores, et curas, et reliqua Matrimonii onera tolerare posse videantur.

XXV. Si quando graviores inciderint offensiones, præsertim tales, quibus efficiatur, ut conjuges degant palam disjuncti, eosque Parochus nullis nec officiis, nec cohortationibus, nec propositis rationibus, neque etiam interposita persona redigere ad concordiam, et contubernium potuerit, Nos ipsos tempore moneri volumus. Conabimur enim, si pertinacia sic poscat, externis saltem remediis duritiem perfringere, atque occasionem objicere, qua illi ad sanitatem revocentur, neque velint ad suam, et aliorum perniciem Sacramenti sanctitatem, expressamque Christi cum Ecclesia conjunctionis imaginem aperte violare; certe tamen nisi hoc poterimus consequi, palam faciemus, pertinaciter hæc, simulque impune violari non posse.

XXVI. Docendi quoque sunt conjuges, teneri se prolem, quando hanc suscipiant, tueri diligentissime, et cum ad pietatem instituere, ac veluti formare, tum vero tempestive artibus sive liberalibus, sive mechanicis, uti conditio cujusque feret, addicere: *Multam enim malitiam docuit otiositas* (2). Exponendum itidem sæpe prudenter, graviterque eorum periculum, qui grandiusculos pueros, vel puellas in maritali thoro secum cubare faciunt; monendique sunt conjuges, ne etiam minusculæ ætati plurimum fidant, omninoque faciendum, ne pueros saltem quinquennio majores cum fœminis, quocumque sint invicem vinculo conjuncti, dormire sinant. *Nec vero*, ut Sancti Caroli verbis utamur (3), *paupertatis, angustiæve ha-*

(1) *Rit. Rom. tit. de ritu celeb. Matrim. Sacram.*

(2) *Ecclesiastic. cap. 33. v. 29.*

(3) *Concil. Prov. VI. tit. eod. §.* Nec vero.

bitationis locus facile relinquatur, quominus ista impuritatum occasio omnis praecidatur, cum humi potius, atque adeo sub dio jacere satius esset.

XXVII. Efficiant Parochi, ut conjuges gravissimam perhorrescant injuriam, quam et Christo, et Ecclesiæ inferunt, quoties, ut infanda plura uno significemus vocabulo, peccant in corpus suum; deterreantque præterea ipsos ab inferenda Sacramento, quod susceperunt, injuria omnino atrocissima per carnis suæ divisionem. Hanc, quam adulteri faciunt, significationi hujus Sacramenti, quod individuam Christi Domini cum Ecclesia conjunctionem exhibet, esse adversissimam doceant, efficiantque, ut intelligant, adulteriis alienum jus, et idcirco proprie appellatam justitiam lædi, pœnasque declarent, quas antiquissimo ex tempore adulteris et leges, et canones decrevere; adeo enim sunt graves, ut criminis inde patere debeat immanitas.

XXVIII. Impium plane, prorsusque inhumanum est, quod interdum, qui fœminarum pudicitiam servare, tuerique ex officio debent, id erga has lenocinii genus exerceant, quod vel ipsæ Cæsareæ leges nefandum appellant, notant infamia, et præter hæc extremo plectunt supplicio (1). Interest autem vel maxime, ut tanto flagitio via modis omnibus obstruatur; quodque ad Nos pertinet, id absolvere jam Nobis reservavimus, rursusque reservamus, et quandocumque in legitimam ejus notitiam venerimus, plectemus absque spe veniæ quam severissime.

XXIX. Convertamus nunc curas nostras ad exteros homines, præsertim vagos, et peregrinos. De his quamcumque in Parochiam venerint, si masculi cum fœminis degant, (dare autem Parochus operam debet, ut sciat, utrum degant,) qua id faciant ratione perquirat, num Matrimonii, num consanguinitatis; neque acquiescat, nisi quemadmodum se habeat res, satis aperto compererit argumento. Quod si nequeat ipse per se rem conficere, Nos, aut Vicarium nostrum generalem monites faciat.

XXX. Postremo loco observabimus, quæ supra de Matrimoniis ineundis ediximus, ea pertinere ad Matrimonia publice, palamque celebranda. Talia vero Fidelium Matrimonia ut sint, pia Mater Ecclesia justissimis de causis semper curavit; sic tamen, ut temperata interdum hac disciplina, casibus quibusdam necessariis poscentibus,

(1) *Auth. de lenociniis* §. Sancimus.

locum fecerit Matrimoniis privatis, quæ etiam Matrimonia conscientiæ vocantur. Quibus autem, et quomodo Matrimonia hæc sint permittenda, qualiter celebranda, quæque, iis celebratis, agenda, ut consulatur proli, intelligent Parochi ex Constitutione s. m. Benedicti XIV. incipiente: *Satis vobis*. Hanc igitur probe cognoscere, et accuratissime, atque integre prorsus, si quando opus erit, servare debebunt.

PARS TERTIA.

DE QUIBUSDAM PRÆCEPTIS, ET FUNCTIONIBUS ECCLESIÆ.

Præceptorum Ecclesiæ is finis est, ut homines interno, externoque cultu rite Deo subjiciantur, et conjungantur. Functiones vero cum referuntur ad finem eumdem, tum etiam pertinent ad declaranda Religionis mysteria, et ad fovendam, alendamque pietatem Christianam. De his nunc agere aggredimur; neque tamen de omnibus, sed de quibusdam dumtaxat, quæ sequentium capitum tituli declarabunt, neque prolixe, sed paucis. Exponemus enim de utrisque non omnia, sed quæ videbuntur utiliora, ac digniora.

CAPUT I.

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

Quicumque numen aliquod esse, resque humanas judicarunt ab eo gubernari, cultum eidem non modo internum, sed externum quoque, et conspicuum semper exhibuerunt. Hebræis autem, quos verus Deus in peculiarem populum sibi delegerat, definivit et tempora, quibus, quod a natura inditum cuique erat, certis legibus exercerent. Nos Dominicum diem ob maxima in humanum genus beneficia collata longe solemnissimum, quam apud Hebræos Sabbatum, et paucos alios dies habemus, quibus infinitam Dei majestatem festo honore, et cultu publico prosequimur. Optatissimos vero oporteret hos dies esse Christianis, qui fide tenent, nihil sibi debere esse potius, quam ut Deo, a quo sunt, in quo sunt, et ad quem seredituros exspectant, religione studiosissime exercita conjungantur. Oporteret præterea eosdem serio reputare, quo magis indulgentia s. m. Pii VI. P. M. eorum numerus est imminutus, eo etiam magis sibi instandum, ut qui reliqui sunt, eos rite celebrent, planeque sanctificent. Ne quis vero scire a Nobis desideret, quemadmodum, ut sanctificentur, sint transigendi, hæc edicimus.

I. Cum dies communi Ecclesiæ more incipiant ab noctis dimidio, porriganturque ad dimidium noctis alterius, quæ proxime sequitur, hæc omnino esse debet mensura dierum Festorum, quibus per se

prohibitum est quodcumque opus servile exercere. Si tamen aut vera necessitas postulet, aut pietatis ratio suadeat, ut aliquando hujus regulæ fiat exceptio, consuetam juxta sacros Canones misericordiam faciemus (1). Haud tamen se his causis urgeri quisque facile judicet; sed eos consulat potius, qui rectum consilium dare queunt, neque omnino audeat operari, nisi facta sibi venia Ecclesiæ auctoritate.

II. Quæ venia in Civitate petenda est a Vicario nostro generali, in Diœcesi, nisi ad ipsum pateat aditus, ab Vicariis foraneis, qui omnes, cognita vera necessitate, scriptam petentibus permissionem largientur, hosque hortabuntur, ut utilitatis, quæ ipsis ex laboribus indultis provenerit, *Ecclesiis circumpositis, et Dei pauperibus aliquam in alterius veluti cultus repensum faciant portionem* (2). Contra si deprehendant, qui petunt non vera urgeri necessitate, hosce irreligiosos, fictos, quandoque etiam importunos coarguant, jubeantque sentire pondus præcepti, cujus coram Deo violati rei existerent, etiamsi facultatem, de qua agitur, extorquerent, protegerentur licet in foro externo.

III. Quare si qui per diem Festum mechanicis artibus, vel aliis quibuscumque operibus vetitis vacare deprehensi fuerint, nisi scriptum expromant, quo constet id ipsis fuisse permissum, nulla necessitatis, quam causare quisque posset, habebitur ratio, sed pœnas debitas luent; nominatim vero qui jumenta vehunt onusta, nisi forte ad prosequendum iter die non Festo inchoatum, quique transvehunt segetes, ac similia pondera plaustris, vel subvectionibus, juliis quinque in usus Ecclesiarum, vel pauperum erogandis statim multentur (3).

IV. Mercatores autem, opifices, aliique numquam Festo ullo die officinas aperiant suas; et quamquam primo mane, atque post Vesperas semiapertæ tolerentur illæ, ubi pilos tonderi, atque mercari quis possit, seu quæ ad medicinam, seu quæ ad quotidianum victum fere sunt necessaria, tamen divinorum Officiorum horis omnino sint clausæ. Quod severius custodiendum diebus maxime in Ecclesia solemnibus, idest in Natali Domini, Epiphania, Paschate, et Pentecoste. Sed quæ opera diebus Festis exercere sit nefas, quæque permittenda, aut potius toleranda ex Ecclesiæ benignitate censeamus, distincte significavimus Edicto in Appendice edendo, cui Synodicæ

(1) *Conc. Rom. sub Bened. XIII. tit. 2. cap. 2. Ex plur. capit. de Feriis.*

(2) *Conc. Rom. ibid.*

(3) *Synod. Prænest. sub Emo Rufo an. 1729. hoc tit. cap. 5.*

Constitutionis vim, et robur adjicimus. Hoc porro statis in anno diebus frequenti populo erit a Parochis proponendum, atque explicandum (1).

V. Mercatus die Festo numquam habeantur (2); sed vel omittantur, vel dies alius his assignetur. Quia tamen quibusdam Festis diebus semel in anno, vel admodum raro solent haberi celebriores mercatus, quos nundinas dicimus; hasce ita permittimus, ut tempore divinorum Officiorum et apothecæ sint clausæ, et nemini liceat mercari (3).

VI. Debet quoque his diebus omnis judicialis strepitus conquiescere. Itaque ne reus ad quæstionem vocetur, ne jusjurandum exquiratur, ne instrumenta, aliaque acta publica a tabellionibus, causidicis, aliisque fori actoribus conficiantur, ne Judices, ab utroque licet litigante rogati, jus dicant, sacri Canones vetuere; atque inania hæc per se, nullaque esse jussere, nisi pietas, aut necessaria causa ad ea etiam præstanda compelleret (4).

VII. Vetamus præterea diebus Festis 1. clamorosas venationes; 2. ludos circulatorum, quos volumus et a suis venditionibus abstinere; 3. prope Templum exponi quidpiam venale, licet pietatem præ se ferens; 4. cantus, præsertim tempore divinorum Officiorum, ac Missæ Parochialis, itemque Missæ Conventualis, sive majoris, ubi etiam hæc celebratur. 5. Cauponas porro, atque tabernas, hisce præsertim horis, nemini patere volumus, nisi forte peregrinis; et neminem omnino in eas admitti ad ludendum, et compotandum, quamvis id secreto, et occlusis foribus fieret. 6. Præcipimus districte, et sub pœna carceris, et pecuniæ, ne umquam omnino, sed præcipue ne diebus Festis in cauponis, in tabernis, privatisque etiam in domibus fiant combibonum conventicula, et gravius etiam eos plectemus, si qui forte aliquam de bibendo conventionem iniverint, qua ipsorum alicui paretur ebrietas, ludo scilicet, vulgo nuncupato *le passatelle*, quoniam hisce de impietatibus hic sermo recidit. Sed ad has avertendas jam alias expresse, et toto anni tempore vetitas sub pœnis carceris, et aliis arbitrio declaravimus.

VIII. Cum vero Festorum potissimum tempore malignari conetur inimicus in sancto, ut eorum sanctificationem, Deique honorem impediat, quippe non raro protervi juvenes, petulantesque viri Ec-

(1) *Append. N. VIII. pag.* 19.

(2) *Bened.XIV. Encycl.* Ab eo tempore §. 22. *Bull. Tom.I. num.* 144.

(3) *Ibid.*

(4) *Can.* Omnes dies 1. *et can.* Conquestus *de Feriis*.

clesiarum in porticibus, scalis, et atriis consistentes mulieribus ad sacra confluentibus temere verbis, nutibus, aspectibusque procacibus laqueos parant, maximumque cæteris Fidelibus scandalum excitant; idcirco vetamus in posterum illic quolibet anni die, quo ad Ecclesiam frequentior populus accedat, non modo viros, verum etiam fœminas consistere sive divinorum Officiorum tempore, sive absolutis functionibus. Jubemus porro, Parochos, et Vicarios foraneos nostræ hujus sanctionis executionem urgere. Quod si qui ipsorum monitionibus parere noluerint, eos Vicario nostro generali denuntient, carcere, vel etiam pias in causas eroganda pecunia pro delicti ratione plectendos.

IX. Jam porro abstinere ab iis, quæ jam diximus, aliisque dierum Festorum honori adversantibus, est dies hosce minime profanare. At dies iidem non otiose, neque inaniter sunt transigendi, verum, ut sacræ loquuntur literæ, sunt sanctificandi (1). Nimirum sunt instituti, inquit Benedictus XIV. (2), *ut Fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, et assidui sint; ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animæ vulnerum curationem instituta adhibeant, seduloque se exerceant in iis operibus, quæ veram pietatem continent, et ut Sanctos cum Christo regnantes tamquam Patronos congruis officiis, et honore prosequantur*.

X. Itaque Parochi, et quicumque ad populum verba faciunt, de Festis diebus sæpe agant, eosque objurgent gravissime, qui quod eorum dierum, audita Missa, reliquum est, otiose traducunt vel in venatione, vel in platearum circulis. Agant etiam majori contentione cum aliis, qui illud absumunt in ludis, aleis, ebrietatibus, comessationibus in maximam animarum suarum perniciem. Efficiant, ut Fidelibus palam sit, si salutis animarum suarum negotium ea, qua par est, sedulitate agere velint, aliter ipsis esse transigendos eosdem dies; et ex re futurum, si quibus poterunt pluribus intersint Missis; si Sacramenta suscipiant; si sacras conciones audiant; si Christianam doctrinam sive tradant, sive discant; si actus fidei, spei, et caritatis, quod summæ utilitatis est, ante divinam Eucharistiam iterent; si Vesperis adsint; si sacrum B. Mariæ Virginis Rosarium alternis recitent; si ordinatas supplicationes, et functiones, Ecclesiasticosque alios secundum tempora ritus adeant, et pie contemplentur; si aliis orandi rationibus vacent, aliaque spiritualia, et sancta opera sive per tempus, sive per occasiones exerceant.

(1) *Exod.cap.20. v. 8.*

(2) *Bened. XIV. Const.* Nihil profecto *LX. §.1. Bull. Tom.I.*

XI. Jure quoque monemus patresfamilias, ut curent suos familiares non modo Festis diebus ea, qua par est, religione Missæ Sacrificio adesse, verum etiam ne quemquam ipsorum sive domi, sive foris sinant hos dies sine aliquibus aliis religionis officiis transigere. Et quoniam non pauci, ne dies, quibus licet servilibus vacare operibus, perdant, solent diebus Festis convenire heros, negotiorum socios, alios aliis de causis, et cum iis diu, multumque agere, quæ sibi sunt opus; hos omnes Parochi graviter moneant, ne terrenis in rebus tractandis ita occupentur, ut sibi invicem sacras conciones, vel Catechismos audiendi tempus eripiant.

XII. Verum ut populi intelligant quemadmodum unumquemque diem Festum celebrari conveniat, solemnitatum singularum, quæ in Ecclesia obtinent, origo, natura, causæ dilucide a Parochis sunt exponendæ; divina, quæ his diebus commemorantur beneficia, in illorum mentibus defigenda; Deiparæ, Apostolorum, aliorumque Sanctorum virtutes, et egregia facta magno in lumine collocanda. De his nimirum sermonem habens Parochus et audietur libenter, et certissime fructum capiet excitandi Fideles, ut iis saltem diebus Deo, sibique ipsis impensius vacent, utque illustres nostræ fidei Heroes cum Christo regnantes tamquam Patronos congrue colant, ac venerentur.

XIII. Atque hic temperare Nobis non possumus, quin iterum commendemus cultum, atque venerationem erga Martyrem invictissimum Agapítum, in cujus tutelam majores nostri Civitatem, totamque Diœcesim supplices commiserunt, quemque optimum semper apud clementissimum Deum Patronum fuisse sumus experti. Hunc igitur impensius diebus Festis coli quemadmodum justissimum est, ita et volumus, et commendamus. Ipse vero B. Agapíti principalis Patroni natalis dies in quavis Parochia tum Civitatis, tum Diœcesis aliquo pietatis officio, saltem privatim, Pastoris cujusque cura præveniatur; idemque dies non secus atque alii, quos Ecclesia solemnissimos habet, ab omnibus celebretur, neque bonum se quisquam esse civem existimet, quin communem hunc, ac benevolentissimum Patronum sibi, suisque demereri studeat.

CAPUT II.

DE CONFESSIONE, ET COMMUNIONE.

Divina præcepta, quibus sua Fideles peccata confiteri (1), et Eucharisticum panem tenentur manducare (2), cum quamplurium nequitia quasi ad contemptum traduceret; Ecclesia, quod sacris in literis factum non fuerat, pro sua auctoritate pluries explicavit (3), et finibus saltem aliquibus tempora definivit, quibus impleri illa omnino vellet. Confirmata autem definitione Tridentinæ Synodi fuit (4), vigetque etiam ætate nostra vis celeberrimi Canonis: *Omnis utriusque sexus* tertiodecimo Ecclesiæ sæculo editi in Concilio Lateranensi IV. Is porro canon ita se habet (5): *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata semel saltem in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens Ecclesiastica careat sepultura.* Nobis cum de Eucharistiæ, et Pœnitentiæ Sacramentis egerimus in parte præcedente, nihil nunc reliquum est, quam ut commemoratum de iis præceptum in tuto pro nostra virili parte collocetur.

I. Parochi modis omnibus perficiant, ut memoratum præceptum magni omnibus sit, et ab omnibus observetur. Revocent illud, nec frigida oratione, sed expositis pœnis Lateranensi canone indictis, ad omnium memoriam, præcipue Dominica quarta Quadragesimæ, et Dominica in Albis.

II. Neque prætermittant observare, quod de præcepto confitendi Sacramentaliter peccata Tridentina Synodus tradidit (6), nimirum cum magno fructu Fidelium observari morem illa confitendi sacro, et maxime acceptabili Quadragesimæ tempore.

(1) *Trid. Sess. XIV. cap. 5.*

(2) *Joan. cap. 6. v. 54. et Luc. cap. 22. v. 17. et seqq. I. Corinth. cap. 11. v. 24. Trid. Sess. XIV. cap. 5. et Sess. XXIII. cap. 2.*

(3) *In Conc. Agaten. relat. in cap.* Sæculares 19. *de cons. dist. 2. et cap.* Non frequentius 16. *ibid.*

(4) *Sess. XIII. can. 9. et Sess. XIV. cap. 5. et can. 8.*

(5) *Can.* Omnis utriusque sexus 12. *de Pænit. et remis.*

(6) *Sess. XIV. cap. 5.*

III. Atque ad dubitationes, anxietatesque tollendas publice doceant, satis quemque præcepto facere, cuicumque Sacerdoti confiteatur, quem loci, in quo Confessio peragitur, Episcopus probaverit (1). Verumtamen et moneant, nequaquam præceptum impleri Confessione voluntarie nulla (2).

IV. Ac ne quis omni se obligatione sua defungi existimet semel in anno confitendo, alia quoque tempora exponant, quibus divinum de Confessione præceptum sive *per se*, ut sacri Doctores loquuntur, sive *per accidens* urget. *Certe*, (verba sunt S. Caroli (3),) *salutariter ex doctrina Spiritus Sancti cautum est, Christifideles de peccatis confiteri debere, quotiescumque rem, actionemque aliquam aggrediuntur, in qua præsens mortis periculum pertimescendum sit. Quamobrem Parochus curet, atque efficiat, ut . . . . si quis Parochialis eo profecturus est, ubi sit aut pestis, aut hæresis, aut ubi nullam Confessarii copiam habere possit, aut ad bellum iturus sit, aut pugnam initurus, aut iter infestum, navigationemque periculosam facturus, antequam viæ, navigationive se committat, peccata confiteatur. Idem officium præstet de mulieribus proxime parituris.* Præterea cum ex Pauli præcepto probare se quisque debeat, cui ad sacram mensam accedendum est; *Ecclesiastica consuetudo declarat*, ut inquit Concilium Tridentinum (4), *eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat*. De aliis vero temporibus, cum ea sive tractare, sive suscipere aggredimur, quæ a peccatore attingi minime licet, ea moneantur, quæ in Rituali Romano sunt distincte explicata (5). Quæ omnia licet propius definiri nequeant, id tamen Ecclesia Fideles semper admonuit, eisque mandavit, ut expiarent se Sacramento Pœnitentiæ, cum infirma essent valetudine.

V. Medicos in primis latere hoc non debet; quibus ad memoriam revocamus gravissimam obligationem primum ab Innocentio III. (6), et postea distinctius a S. Pio V. (7) ipsis impositam, cu-

(1) *Ex extrav.* Vas electionis *de hæreticis inter commun. Joan. XXII. ex dec. Clem. VIII. 22. Decemb.* 1592. *Vid.prop.* 26. *inter proscript. ab Alex. VIII. et* 13. *inter proscript.ab Alex.VII.Vid.Lambert. Inst.XVI.n.7.*

(2) *Vid. prop.* 14. *inter proscript. ab Alex. VII.*

(3) *Conc. Med. VI.*

(4) *Sess.XIII. cap.7.*

(5) *Vid. Rit.Rom.de Sacram. administ. gen.* §. Quamobrem.

(6) *In Conc. Lateranen. relat. in cap.* Cum infirmitas 13. *de Pœnit. et remiss.*

(7) *Const.* Super dominicum *III.*

jusque accuratissimam executionem urgendi cura Episcopis severissime est demandata a Concilio Romano (1). Nimirum sub gravissimis pœnis jubentur Medici ægrotos, ad quos fuerint vocati, de Confessione peragenda admonere, atque tertium post diem a curandis iis abstinere, nisi per testificationem a Confessario relictam ipsis constiterit de Confessione ab infirmo aut jam peracta, aut Confessarii judicio in aliud tempus dilata, et nisi forte morbus adeo sit gravis, ut sine eorum ope ægroto periculum mortis immineat (2).

VI. Quod vero Concilium Lateranense diximus decrevisse Eucharistiam esse sumendam in Pascha, id tempus non uno Paschatis die est circumscriptum, sed continetur diebus quindecim integris, quorum primus est Dominica in Palmis, postremus Dominica in Albis. Ita plane declaratum est auctoritate Apostolica (3). Violabunt itaque Ecclesiæ præceptum, eruntque pœnis Canonicis digni, qui intra hoc tempus Eucharistiam non sumpserint, nisi aut legitimo detineantur impedimento, aut Confessarii judicio id facere in tempus aliud distulerint. Et in aliud tempus nonnumquam necesse est differre, ne se maximo quis, indigne Corpus Christi Domini manducando, sacrilegio contaminet; tum etiam ne non satisfaciat Ecclesiæ præcepto, cui certissime non fit satis per Communionem sacrilegam (4).

VII. De admittendis primo ad participandam Eucharistiam Fidelibus, Ecclesiasticis regulis (5), et communi praxi docemur, ad Eucharisticam mensam eos pueros admitti non debere, qui nondum hujus Sacramenti cognitionem, et gustum habent; contraque illos ad mensam hanc evocandos, qui satis divinam Eucharistiam a communi pane discernunt, quique ipsi satis intelligunt, quid sit apud Christianos sacra Communio, et quomodo peragi debeat (6). Certum vero est, non omnes pueros æquali tempore ad cognoscenda hæc pervenire. Idcirco Parochus, cujus unice sit ad sacra hæc mysteria primum pueros admittere, diligenter hoc totum exploret; et percontetur a parentibus, et Magistris, si et his utantur, quid ipsi de eorum pietate, et ingenio sentiant. Sacerdos etiam, cui pueri confitentur peccata, nosse facile potest, quamnam illi hujus admirabilis Sacramenti cognitionem acceperint, et gustum habeant (7). Cæterum cum hujusmo-

(1) *Tit. 32. cap. 1.*
(2) *Lambert. Inst. XXII. num. 17.*
(3) *Eugen. IV. Const.* Fide digna *XX.* Id probat *Bened. XIV. Encycl. ad Primat. Polon.* Magno *XLVIII. §. 22. Bull. Tom. III.*
(4) *Ex prop. 55. inter proscript. ab Innoc. XI.*
(5) *Rit. Rom. de Sacram. Euch. §.* Is etiam.
(6) *Catech. Rom. de Sacram. Euch. num. 62. et 63.*
(7) *Catech. ibid.*

di cognitio intra decimum, et decimum quartum ætatis annum communiter haberi soleat (1), hanc generatim, (sic tamen, ut in rarioribus aliquot casibus ejus fieri Parochorum prudentia possit exceptio,) servari volumus regulam, ut nemo ante decimum ætatis expletum annum divini hujus cibi particeps fiat, ab eodemque arceatur nemo, postquam attigerit annum decimum quartum (2).

VIII. Dare itaque Parochi perquam assidue, ac diligenter operam debent, ut quivis, quantumcumque sit hebes, saltem cum ad ætatem hanc venerit, probe teneat institutionem, quam diximus, ne pergravis apud Deum, et Nos criminis rei fiant, si qui eorum incuria ab mensa Domini sint ob ignorantiam diutius arcendi. Atque ipsis omnibus districte præcipimus, ut per Quadragesimam crebriorem pro more, diligenterque dent operam pueris, ac rudibus instituendis in iis præsertim, quæ de hoc Sacramento divina fide credenda sunt, itemque in aliis, quæ pertinent ad pietatem, ac religionem, qua ad hoc ipsum est accedendum. Tum ex libro, qui *animarum Status* inscribitur, vel si agere accuratius velint, ex libro ipso baptismali eorum ætatem, ex iis vero, quæ mox recensuimus, et pietatem, et scientiam recognoscentes, quos satis comparatos repererint, eligant. Qua in re eorum oneramus conscientiam, ne quem diutius, quam par sit, a sacra Synaxi retardent, tantoque pueros auxilio destitui sinant. Quos vero elegerint, eos ad certum diem in Parochialem Ecclesiam convenire jubeant, ubi et ipsi Sacramento Pœnitentiæ expiati, typicum Agnum, qui Christus est, manducantes, Paschalia solemnia cum gaudio celebrent. Et Parochi, quod in laudabili consuetudine positum est, quanto majori apparatu functionem hanc perficiendam curabunt, brevi sermone præhabito, piisque additis cantibus, et precibus; tanto et pueris ipsis hujusce diei memoriam infigent altius, et ferventiora in circumstantibus, qui non sine lacrymis spectare hæc solent, pietatis sensa excitabunt.

IX. Locus est etiam Ecclesiastica lege definitus, in quo quisque præceptum hoc impleat, nempe in propria Parochiali Ecclesia, et non alibi, ne in Cathedrali quidem (3), nisi ex nostra, aut proprii ejus, qui alibi implere voluerit, Parochi facultate. Parochi vero in hac concedenda nec nimium faciles sint, nec valde difficiles. Qui

(1) *Vid. Bened. XIV. de Synod. lib. 7. cap. 12. n. 2.*

(2) *Plur. Synod. hanc regulam statuunt, et S. Carol. Borrom. Act. II. n. 621.*

(3) *S. C. C. in* Liman. *in* Sutrin. *et in* Perus. *mens. Sept.* 1649. *et* 23. *Jan.* 1688. *Bened. XIV. in Encyclic. de qua sup. §. 21. Vid. eumd. Inst. ead. ibid.*

autem præcepti hujus causa Parochiam adeunt, iis Parochi per se ipsi Eucharistiam ministrent, nec facile alteri Paschali tempore hanc functionem committant. Ita enim oves semel saltem in anno proprium Pastorem se agnoscere publice significabunt; et præterea si quis esset ab divini mysterii participatione publice repellendus, ab nullo melius, quam ab suo Pastore internosci posset. Ab hac lege adeundæ propriæ Parochiæ certum est excipi vagos, peregrinos, advenas. Hi enim ubilibet Eucharistiam sumant, præceptum implent, nisi secus ferant alicubi aut consuetudines, aut Synodalia statuta (1). Deinde qui justis ex causis a propria absunt Parochia, redeuntes certum ferant Paschalis Communionis testimonium. Si quis tamen Paschali tempore a Parochia abesset, ut Pastoris sui vultum effugeret, obligatione se non liberaret. Tandem Sacerdotes ubicumque Paschali tempore Missam celebrent, nulla amplius præcepti obligatione tenentur. Quod etsi ita se habeat, Sacerdotes tamen, qui nulli Ecclesiæ addicti sunt, et Clericos similiter alios hortamur, ut, quod antiquissimo ritu custoditum est, omnes Eucharistiam e manibus nostris, vel ejus, qui, si quando absentes fuerimus, (curabimus autem, ne umquam absimus,) sacris loco nostro operabitur, Feria V. in Cœna Domini accipiant; atque in hoc ipsam, quæ tum recolitur, Cœnam Domini mutua pietate, et caritate imitabimur. Regularium denique veri familiares Paschali præcepto satisfacient in eorum, quibus famulantur, Ecclesiis.

X. Ad illos autem, qui vel auctoritate publica in carceribus, vel domi diutius afflicta valetudine detinentur, ut præcepto satisfaciant, est per id tempus Eucharistia solemniter deferenda (2).

XI. Sed ut possit Parochus denique illos reperire, si qui præcepto minime satisfecerint, tempestive sibi comparet schedas, et quidem quotannis diversas, de suscepta in Paschate Communione testantes. Volumus autem in tota Diœcesi morem servari, qui obtinet in Civitate; ut scilicet unicuique, qui in Paschate communicare debebit, adventante Paschali tempore, a Parocho tradatur scheda, in qua descriptum sit ejus nomen, atque cognomen, adjecto numero his respondente in libro, qui *Status animarum* vocatur. Unusquisque autem simul atque satisfecit Ecclesiæ præcepto, schedam suam reddat Ministro sequenti Sacerdotem, a quo dispensatur sacrosancta Eucharistia.

(1) *Vid. Rit. Rom. de Commun. Paschal.* §. Dabit.

(2) *Rit. ibid.* §. Ægrotis.

XII. Deinde Paschali exacto tempore, idest quindecim exactis diebus, intra quos præcepto esse satisfaciendum diximus, Parochus receptas jam schedas enumeret, conferatque ipsarum numerum cum numero communicare debentium descripto in Statu animarum; et statim resciet quot sint, qui eo anno minime paruerint præcepto. Unum reliquum erit, ut qui hi sint recognoscat. Hoc vero assequetur facillime, si receptas schedas disponat eo ipso numerorum ordine, quem in Statu animarum singulorum obtinent nomina. Nam nomina in Statu animarum respondentia deficientibus schedarum numeris erunt nomina eorum, qui Paschale præceptum non impleverunt. Diligenter quoque inquirat in eos, qui Paschali tempore fuerunt absentes, etiamsi reversi Parochiam mutaverint. Quo in casu eadem cura esse debet et Parochi, cujus in Parochiam migraverint; debebuntque Parochi ambo, si ad comperiendam rei veritatem necesse sit, inter se convenire. Eademque regula de iis est, qui addicti aliorum servitiis, per tempus Paschale de Parochia, intra cujus fines habitabant, et inserviebant, contulerunt se hæc ipsa facturi in aliam Parochiam.

XIII. Si quem vero, (utinam neminem!) compererit Parochus, præcepto constituto tempore minime paruisse, continuo cum tamquam bonus Pastor conveniat, moneat, hortetur, obsecret, seque ipsum ei, quomodocumque poterit, juvando peramanter exhibeat; neque ab hisce caritatis officiis cesset, donec errantem oviculam suis humeris impositam ad ovile reduxerit. Hæc privatis sermonibus; quæ nisi profuerint, jam ad Pastoralis baculi usum erit veniendum.

XIV. Sed antea, dum quæ diximus, omni caritate geruntur, Dominicis a Paschate secunda, tertia, et quarta elata voce, silentio tamen cujusque nomine prætermisso, generatim in Missa Parochiali indicat Pastor, si qui adhuc præcepto Paschalis Communionis non obtemperaverint, eos diutius non fore exspectandos, sed omnino illis pœnas ab Ecclesia irrogandas imminere. Et qui se saltem Confessario sistendo obsequi noluerint, eorum nomina, cognomina, ætatem, et Parochiam in indiculo descripta volumus, ante Festum Ascensionis Domini nostri diem transmitti ad Nos, aut ad Vicarium nostrum generalem. Nos vero, servatis, quæ servari jus postulat, declarabimus, incidisse illos in Canonicas pœnas, jubebimusque interdictorum nomina publice Templi januis affigi. Iis porro, qui interdicti nominatim fuerint, Parochi Eucharistiam nequaquam ministrent, nisi Confessionis peractæ ferant testimonium in Curia nostra recognitum.

XV. Quod si horum contumacia neque hac ratione vinci pote-

rit, eo tandem coacti, atque dolentes deveniemus, ut in ipsos nominatim excommunicationis majoris sententiam feramus, post quam tamquam ab Ecclesiæ corpore excisi, evitandi ab omnibus Christifidelibus erunt.

XVI. Nemo autem ignorat, etiam in mortis periculo teneri Fideles Eucharistiam accipere (1); communisque Doctorum vox est, obligationem hanc divini esse juris (2). Advigilare itaque Pastores oportet, ne suorum quisquam, ea minime sumpta, præsidiisque idcirco ejus destitutus e vivis excedat. Cum igitur primum cognoverint, eorum aliquem non leviter ægrotantem decumbere, ipsum conveniant, blandeque verbis, tum etiam, qua opportunum fuerit, ac poterunt, alia ope solantes, ejus in memoriam reducant, quæ tum maxime Christianum hominem cogitare par est; deinde, nisi apud alium Confessionem peregerit, de hac agant, tum de Eucharistia, quam ex caritate in Christum Jesum expetere homo iter in cælum jam jam facturus sponte sua deberet. Ne quid igitur curæ, operæque suæ desiderari hac in re Parochi sinant.

XVII. Neque semel tantum in eadem infirmitate, sed iterum, atque etiam tertio sacrosanctum Viaticum deferri potest, tumque præsertim etiam debet, cum ipsimet ægrotantes iterum cælestem hunc panem esuriunt (3). Si quis autem citra vitæ periculum satis incommoda valetudine ad longum tempus utatur; hunc hortetur Parochus, ut saltem in solemnioribus Festis Eucharistico se pane reficiat, neque hunc sponte petenti deneget: si enim denegaret, reus fieret culpæ non in parvo plectendæ. Et quoniam ad chronicos ægrotantes, qui Ecclesiam nequeunt adire, quater in singulos annos, et quidem solemniter sacrosanctam Eucharistiam deferri mandavit Eminentissimus Antecessor noster Antonellius, scilicet recurrentibus solemnitatibus Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., et Nativitatis D. N. J. C.; Nos saluberrimam hanc institutionem ut summopere commendamus, ita etiam gravissime præcipimus retineri, accurateque servari.

XVIII. Pati autem neque possumus, neque debemus, ut curas nostras hoc loco ii pueri desiderent, qui nondum ad sacram Communionem admissi corripiuntur morbis, quorum vi ad mortem videntur contendere. De quibus præcipimus, ut eos Parochi diligenti

(1) *Trid. Sess. XIII. cap.6.*

(2) *Vid. Bened. XIV. de Synod. lib. 7. sub fin. cap.11. num.2.*

(3) *Bened. XIV. ibid. cap. 12. num. 2.*

examine explorent, atque iis Viaticum præbeant, quos latentem sub speciebus Sacramentalibus Christum et firmiter credere, et reverenter adorare intellexerint (1). Facerent autem absurde, nec delinquerent leviter, si pueros etiam duodennes, et perspicacis ingenii sinerent ex hac vita migrare sine Viatico, ea moti inepta ratione, quia numquam antea fuerunt ad Eucharisticam mensam admissi. Oportet præterea ipsos considerare, tantam non desiderari ætatem, ut quis in mortis articulo sanctissimo Viatico et possit, et debeat muniri (2). Immo et iis pueris, qui nondum satis edocti sunt, si periculose decumbant, properentque ad exitum vitæ, præsto ipsi sint, suumque esse existiment, eos divini hujus mysterii notitia summatim informare; ac si perficiant, ut divinum panem satis a vulgari discernant, et aliquo erga illum pietatis sensu tangantur, eosdem divino cibo libenter reficiant, quippe tuto hoc facient.

XIX. Ex hisce omnibus plane constat, necessarium prorsus esse, ut Parochi infirmos frequenter invisant. Ipsi vero per se Sacramentum deferant, et quatenus vere nequeant, substituant Sacerdotem Confessionibus audiendis probatum, nisi hic ægrotanti jam adesset (3). Cum vero tempora ignorentur, quibus urgebit Viatici deferendi necessitas, possitque ea in tempus quodvis incidere, perficiant omnino Parochi, ut numquam consecratæ particulæ desint, quod et alibi jussimus. Nam si forte desint, non idcirco licebit Sacerdoti non jejuno Sacrum facere, ut ægroto jam decessuro Viaticum paretur (4). Ac si post oblationem illi præbeatur particula consecranda, eam mente oblatam consecrare quidem poterit, si nondum Canonem inceperit; eo vero incepto, illi potius licebit, quam ad Sacrificium consecravit, hostiam abrumpere, ejusque particulam ad infirmum deferre (5).

XX. Hæc porro omnia perficienda, quanta maxima pietate, ac religione poterunt. Esset enim plane indecorum, si tremendum mysterium ad infirmos deferretur nullo hujus rei edito signo, nulloque accedente comitatu. Caveant igitur Parochi, ne quid simile, citra periculum moræ impatiens, in nostra Diœcesi geratur, aut geri sinant; aliter enim nostrum illis, nec leve subeundum esset judicium.

XXI. Nisi igitur aut repentina, et urgens infirmi necessitas, aut

(1) *Idem ibidem n.3.*

(2) *Ibid. sub init. n.1. et 3.*

(3) *S.Carol. Conc. Prov. IV. par.2. tit.* Quæ ad Euchar. Sacram. pert. §. Ad ægrum.

(4) *Bened.XIV. de Sacrif. Mis. lib. 3. cap.1. n.3. et cap.16. n.8.*

(5) *Idem ibid. n.3.*

viarum in villis præsertim, et agro asperitas, atque longinquitas, aut hora noctis tardior impediant, hæc, ubicumque possint, servari mandamus. 1. Ut sanctissimam Eucharistiam proxime esse ad infirmos deferendam, significetur populo æs campanum pulsando. 2. Ut super illam toto itinere tendatur umbella utrimque obducta serico albo (*). 3. Ut præeat, qui tintinnabulum identidem pulset: post hunc sequantur ordinatim et de populo, et de Sodalitio Sñi Sacramenti, et Clerici quoque, qui, prout fieri poterit, deferant cereos ardentes, horumque cereorum saltem quatuor, iique Sacerdoti propiores, includantur, quo securius ardeant, obductis, et bene vitratis laternis: Sacerdotem sequantur cæteri, qui comites venerint, et proxime quidem post Sacerdotem incedat marium agmen, quocum fœminæ nullæ commisceantur; sed integrum agmen illarum incedat postremo loco. Ipse vero Sacerdos Eucharistiam deferens aperto incedat capite, neque contra aeris injurias uti omnino pileolo posset per urbes, et oppida, nisi venia ab Apostolica Sede impetrata, per villas ab Episcopo suo (1). Idem ipse gressum non properet; psalmos, hymnos, aliasve Ecclesiæ preces cum suo agmine recitet; oculos in id, quod manibus complectitur, defixos teneat; seque sic habeat, ut ipsum præ omnibus credere, ac venerari palam sit. Cum vero ad infirmi domum pervenerit, sacra pyxide in mensa deposita, quam antea ornandam curaverit, peragat cætera, de quibus Rituale Romanum.

XXII. Noctu, nisi necessitate aliter exigente, abstinendum ab sacro Viatico ministrando; cum tamen ea necessitas in primis inciderit noctis horis, publicum detur signum. At mulieres domi se contineant: satis enim suæ singulæ pietatis facient, si Christum in Sacramento latentem venerentur privatim, proque infirmo illo orent; quod cum perficient, et Indulgentias lucrari, et pari apud Deum cum aliis merito certare poterunt.

XXIII. Porro quovis die, ne Feria quidem VI. in Parasceve excepta, licet sacro Viatico Fideles decessuros munire. Sed per omne id tempus, quo ex Ecclesiæ ritu non pulsantur campanæ, hæc servanda: nimirum ut populus convocetur sine ullo æris sonitu: deinde ut preces recitentur omnes voce submissa, et psalmis, præter eorum dierum consuetudinem, addatur *Gloria*: postremo ut in reditu ad Ecclesiam nequaquam benedicatur populus cum pyxide (2).

(*) Hæc umbella pluvio tempore permittitur supertecta cerata tela; ac subtus sit obducta decenti tela coloris albi, sitque formæ congruentis.

(1) *S.R.C. in* Januen. *an.* 1695.

(2) *S.R.C.* 25. *Maii an.* 1745.

XXIV. Etenim communiter, cum Eucharistia ad infirmos defertur, is particularum assumendus est numerus, ex quo, illorum omnium Communione peracta, supersit particula ad Templum iisdem ritibus referenda. Parochus igitur priusquam hanc in Tabernaculum inferat, pauca, si forte opportunum intelligat, ad populum verba faciat sive de tanti mysterii dignitate, deque cultu illi præstando, sive de humanæ vitæ brevitate, sive de mortis horrore, et acerbitate maturius præcavendis. Numquam vero prætermittat adstantibus significare Indulgentias, quarum particeps est quicumque Sacramentum fuerit comitatus; eosque hortetur, ut quæ sibi tam necessario, ac difficili tempore exoptaturi essent a Deo Optimo Maximo, eadem pie precentur sacro Viatico donatis infirmis.

XXV. At si conferenda confestim sit extrema Unctio homini in extremis laboranti, si ægrotus habitet in parte ab Ecclesia remota, si via, per quam ad ipsum erit accedendum, sit quacumque de causa difficilis, si noctu sit conveniendus; quidvis horum inciderit, unam tantummodo satis erit sacrati panis particulam ad illum perferre. Hinc cum sacro Viatico infirmus fuerit munitus, populus dimittendus, et pyxidem inanem Parochus seponat, quam secum deinde referet.

XXVI. Jam si Fidelibus omnibus maxime commendatum volumus, ut frequentes, et quanta maxima poterunt pietate, religione, et cultu venerabile Sacramentum, dum ad infirmos deferri contigerit, comitentur; tum etiam non dissimulabimus, rem fore religiosam sane, ac piam, si patresfamilias, quibus congruæ suppetunt facultates, unam, aut plures cereas faces sepositas haberent, ut quoties Eucharistiæ ad infirmos deferendæ signum audirent, vel ipsi, vel eorum filii natu majores, vel famuli ad Templum accurrerent Viaticum accensis facibus comitaturi. Id si fecerint, non dubitamus, quin Christus Dominus hanc eorum liberalitatem præter modum sit repensurus. Et certe ipsis læto animo nuntiamus, sacras Indulgentias a Summis Pontificibus concessas etiam iis, qui legitime impediti cereas faces pro comitatu ad Ecclesiam mittunt.

XXVII. Hactenus, quæ de Confessione, deque Communione præcepta sunt, recensuimus. Nunc eo noster animus fertur, ut in illam dolendam sane Ecclesiæ vicem se convertat, qua ipsius filii perseverantes olim *in communicatione fractionis panis* (1), eaque morum integritate præditi, qua quotidie ad sacra Corporis Christi mysteria sumenda parati erant, sic deinceps suos deformarunt mores, atque

(1) *Act. cap.* 2. v. 42.

idcirco ab divina mensa adeo recesserunt, ut opus omnino fuerit, ipsos semel saltem in anno ad eluendas piaculari Confessione suas culpas, atque ad sumendum saltem in Paschate Christi Domini Corpus gravissimis præceptis adigere. Nos sane cum bonis omnibus vehementissime tantam, tamque luctuosam vicem dolemus; ac nemo, quem Christi caritas urgeat, non cupit, pristinum illum morem restitui, et non hoc ipsum ab divina bonitate flagrantissime implorat. Immo et universalis Ecclesia in Tridentina Synodo congregata optare se dixit (1), *ut in singulis Missis Fideles adstantes non solo spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Smi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret*. Meminimus sane Nos alibi commendasse, ut omnes ad hæc Sacramenta frequenter accedere satagant; et abstinere modo non possumus eadem ab re paterno caritatis affectu urgenda. Abeant hinc factiosorum aliquot doctrinæ per pietatis speciem Fideles a sacra mensa abalienantes. Sit una Parochorum, Concionatorum, Catechistarum omnium vox, qua Fidelium in animis penitissime defigantur, quæ ad utriusque hujus Sacramenti desiderium excitandum valent, ut non modo nemo deinceps ab observando de iis sumendis præcepto sese umquam subducat, sed in majoribus Ecclesiæ solemnitatibus, multoque etiam sæpius, omnes ad illa cupidissime, atque religiosissime accedant.

CAPUT III.

DE JEJUNIO.

Etsi quotannis, aut ferme quotannis quædam sub Quadragesimam de jejunio commemoraturi per Edictum sumus; tamen summatim hic quoque agere de eo visum est, ut grex noster sacratissimas jejuniorum ab Ecclesia sancitas leges, neque has falsis interpretationibus depravatas, sed ad amussim non modo sibi omni studio observandas proponat, verum etiam ut ne ullam quidem illis injuriam inferri ab aliis patiatur. Moysis sane, Patrumque veteris Testamenti complurium exempla morem jejunandi admodum commendant. Quod tamen Christus Dominus integros quadraginta dies jejunio traducens, hoc in se ipso veluti consecrarit; id vero omnem jejunii laudem cumulatissime complet. Ut tamen populus onera jejuniorum imposita sibi non gravia, et importabilia, sed satis levia esse intelligat; præstiterit sin-

(1) *Trid. Sess. XXII. de Sacrif. Missæ cap. 6.*

gula eorum commoda, ac laudes, quarum pleni sunt plures piorum hominum libri, quasque præ cæteris Ecclesiæ Patribus prosequuntur Leo, ac Basilius, palam commemorare, atque explicare.

I. Itaque Parochi haud dissimulantes aliquem hujus abstinentiæ fructum ad acuendam naturalem animi vim, tum vero ad reparandam, confirmandamque corporis valetudinem pertinere, (siquidem et his rationibus excitandi sunt homines,) illud præcipue in jejunio commendando spectent, ut omnes ex mente, et voluntate, quæ maxime Christianos decet, id suscipiant, et exsequantur; ut scilicet Filio Dei gravissima, et plurima pro nobis passo, aliquo modo conformes fiant; ut viam sibi parent ad cælum, quo quicumque ingredi velit, multa patiatur necesse est; ut aliquam divinæ justitiæ pœnam pro admissis sceleribus luant; ut Ecclesiæ, et idcirco Deo per ipsam imperanti sese subjiciant; ut aliis luceant exemplo, aliaque ejusmodi, quæ plurima suppetunt.

II. Ne autem populus umquam ignoret dies, quibus jejunii præceptum urget, jejunia, si quæ per hebdomadam sint peragenda, Parochus prima hujus, idest Dominica die, publice, et clara voce significet, edicatque nominatim diem, aut dies, quibus erunt agenda. Volumus præterea singulos, qui per annum incidunt jejunii dies, paulo post horam vigesimam quartam dierum proxime illos præcedentium ad Fidelium memoriam revocari edito cum in Cathedrali, tum in quavis Parochiali Ecclesia signo æris campani; immo et mandamus, hujusmodi signum edi etiam in Oratoriis, quæ a Parochiali distant mille, et amplius passuum.

III. Sed et Parochus aperte profiteatur, quosdam esse, quos pia Mater Ecclesia præcepto nequaquam vult adigi. Quare quos teneri, quos non teneri certum est, generatim saltem edoceat; efficiatque, ut labores, qui ab hoc onere eximunt, justo judicio discernantur ab aliis, qui nequaquam eximunt. Certum enim est, non eos omnes jejunii lege esse solutos, qui vel in Republica laborant, vel iter agunt equitantes (1). Si qui vero in Civitate, aut Diœcesi sunt, qui prandii horam nimis protrahunt; hos serio monemus, ut videant, ne ita agentes præbeant famulis, aut famulabus jejunii violandi occasionem. Certam itaque rationem ineant, qua jejunium servari ab illis, nec difficulter possit. Neque enim, si secus fecerint, coram Deo culpa vacabunt.

IV. Sanctæ rec. Pius VI. P. M. præceptum plurium per annum

(1) *Vid. prop. 30. et 31. inter proscript. ab Alex. VII.*

jejuniorum solvit, hisque alia substituit jejunia singulis sextis Feriis, et Sabbatis Adventus servanda, sed mitius, atque ea servabantur. Illud igitur declarandum nunc erit, scilicet quibuscumque jejuniorum diebus præceptum esse, ut quis abstineat carnibus animalium terrestrium, ac volatilium, et præterea diebus, quibus sunt addicta antiquiora minime sublata jejunia, abstineat etiam cibis, quæ, ut verbis utamur Canonis, *carnis trahunt originem sementinam*, *lacte videlicet*, *caseo*, *et ovis* (1); laudatum vero Pontificem, dum nova per Ferias Adventus, quas diximus, constituit jejunia, facultatem simul fecisse lacte, caseo, et ovis per has Ferias vescendi, exceptis tamen Feria sexta, et Sabbato quatuor temporum, itemque pervigilio Nativitatis Domini, in quemcumque inciderit diem. Hi enim dies transigendi sunt antiquioris jejunii disciplina omnino servata. Deinde edoceatur populus, unico prandendi actu quorumcumque jejuniorum diem esse transigendum, nec præterea licere, nisi pertenue jentaculum vespertinum, atque in hisce omnibus habendam esse horæ rationem. Parochus vero de his acturus probatiores præ oculis scriptores habeat, ac potissimum propositiones, quas hac de re Summi aliquot Pontifices confixerunt. Hæc generatim.

V. Declarandum quippe præterea est, iis, quibus ex legitima causa, et facultate fas est uti vetitis cibis, *dummodo nulla certa*, *et periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat*, *et aliter fieri necessario exigat* (2), quasdam esse conditiones impositas, scilicet ut semel tantum in die hujusmodi vescantur cibis, tum vero, qui carnibus uti possunt, posse quidem uti simul ovis, lacte, caseo, nequaquam tamen piscibus. Quod est servandum etiam in Dominicis per Quadragesimam, quibus unius comestionis lex minime urget. Præterea jentaculum debet esse ex iis prorsus cibis, quibus utuntur viri meticulosæ conscientiæ, dum jejunant. Hora etiam jejunantibus præscripta servanda est (3); neque licet extra unicum illud prandendi tempus potionem sumere lacte permixtam (4).

VI. Nemo autem unus, qui suspicetur, fore se minus idoneum ad jejunandum, audeat judicio suo jejunium violare. Hoc haud aliter fas est, atque legitima ex causa, et de Medici utriusque consilio (5).

(1) *Cap.* Denique Sacerdotes *fin. dist.* 4.
(2) *Bened. XIV. Const.* In suprema *XXVII.* §. 2. *Bull. Tom. I.*
(3) *Ex Lit. in forma Brev. Bened. XIV.* Si fraternitas, *Bull. Tom. I. n.* 99.
(4) *Clem. XIII. Encycl.* Appetente 20. *Decemb.* 1759.
(5) *Bened. XIV. Const.* Non ambigimus *XIX. Bull. Tom. I.*

R

Quatenus igitur Medicus scite, prudenterque testetur, aliquem non esse parem jejunio quoad hanc, aliamve partem, eatenus ille, præhabito Parochi testimonio, ab nostro Vicario generali in Civitate, in Diœcesi autem a Vicariis foraneis erit dispensationis beneficio juvandus. Quæ omnia scripto, et quidem gratis firmanda. Porro nec Medicorum est, non servandi præceptum copiam facere, nec Parochorum, de morbi genere judicare. At sicubi aliquando Medici copia non sit, solius Parochi testificatio sufficiat.

VII. Cum autem rogatur Medicus, ut suam hoc in genere sententiam dicat, meminerit de re sibi gravi, nec temere definienda esse agendum. Non sit igitur Medicus æquo facilior in testificationibus his relaxandis; sed animo affectibus minime præoccupato, et serio hæc perpendat. 1. Num morbus ille, qui indicatur, sit sibi satis exploratus, et certus. 2. Si vero non tam de morbo, quam de morbi periculo agatur, num hoc certum sit, vel ejusmodi, ut saltem prudenter possit de eo dubitari. 3. Expendat præterea, quonam remedio possit occurri proposito sibi sive morbo, sive morbi periculo. Nam ubi satis fuerit lacticiniorum esus, carnium concedi non potest; et ubi lacticiniorum, vel etiam carnium usus satis fuerit ad aliquot dies, ad plures protrahi plane nefas est. 4. Denique eas dumtaxat carnes permittat singulis, quas ad recuperandas, vel graviter non debilitandas corporis vires profuturas agnoscat (1).

VIII. Alloquimur nunc patresfamilias, eosque monemus, ne facultatem pro uno, aut etiam altero de familia obtentam, facile ad filios, domesticosque omnes extendant, ea moti ratione, quod domesticus census non patitur, gravari ipsos majori impendio, quod duplex epularum genus requirit. Cum enim sæpius avaritia his illudat, quam vera incumbat necessitas; declaramus, facultatem uni, aut etiam alteri concessam, ad cæteros de familia extendendam haud esse, nisi Parochus, cujus hac quoque in re conscientiam oneramus, rectumque judicium exigimus, testetur, duplicem expensam fieri nequaquam posse; tumque in ipsa scripta facultate totam familiam exprimi volumus.

IX. Si quando vero agatur de venia vescendi per Quadragesimam lacticiniis, vel etiam carnibus toti Civitati, aut etiam Diœcesi impetranda, nemo temere sæculares Magistratus primo, deinde etiam Ecclesiasticos Superiores accuset, quod illam non quærant. Parochi immo, et Concionatores efficiant, ut publice intelligatur, ne peti eam

(1) *Hæc omnia ex Lambert. Inst. XV. num. 17.*

quidem sine aperto crimine posse, nisi vera, eademque communis necessitas urgeat, scilicet nisi aut non suppetant ea, sine quibus Quadragesimæ præceptum observari nequit, aut communis, gravisque morbi alicujus pernicies cunctis impendere censeatur (1). At si facultas hæc impetretur, ea nequaquam eximit ab observatione regularum, quæ sunt paulo ante propositæ.

X. In publicis Hospitiis ne cui esurialibus diebus dapes vetitæ apponantur, interdicimus, nisi hospes quilibet facultatem, qua sibi illis vesci liceat, rite subscriptam protulerit. Si quid enim licentius in hoc deprehenderimus, id non abibit impune (2).

XI. Sed neque impunitum erit, sicubi choreæ, seu tripudia, seu publici ludi, seu scenicæ actiones, seu alia hujusmodi profanæ lætitiæ spectacula fuerint celebrata. Hæc enim manifesto opponuntur pio mœrori, ac luctui, quem certe præ se ferunt dies, quibus Ecclesia voluntaria carnis afflictatione se subjicit Deo, quosque præcipua quadam ratione satisfactioni justitiæ Dei pro peccatis exhibendæ, iracundiæ ipsius mitigandæ, asperioribus ab se ipsa avertendis flagellis per adjectas demississimas preces addixit.

XII. Et distincte notari volumus, quantopere inordinatum sit, in Christianó populo integras interdum reperiri familias, ne dum peculiares homines, qui celebriora convivia, ac solatia in ipsam conferant noctem, quæ Bacchanaliorum suprema cum sit, est etiam Quadragesimalis jejunii prima, eoque ipso injuriis, ac bene multis exponitur. Ut plura omittamus, si quis ne signum quidem, quod ære campano ante mediam noctem e Cathedrali datur in Civitate, e Parochialibus in Diœcesi, attendere voluerit, neque modum tandem, illo cessante, epulis, tripudiis, aliisque hujusmodi imposuerit, patientiæ nostræ vim inferet, quæque congruæ videbuntur, pœnas experietur.

XIII. Denique omnes hortamur, ut, dum quotannis recurrunt jejunia, præsertim vero Quadragesimale, neque causas prætendant, quibus ab jejunio se subducant, neque argutiis studeant Ecclesiasticam legem infringere; sed alacriter jejunium aggressi, illud et ad præscriptas a Catholica Ecclesia leges observent, et eleemosynis etiam, atque orationibus sanctificent. Hæc eadem ante Nos locutus, et hortatus fuit Summus Pontifex Clemens XIII. (3). Eos vero,

(1) *Ex Bened. XIV. Encycl.* Libentissime §.17. *et seq.*

(2) *Syn. Præn. sub Rufo tit. de jejun. et Quadrages. cap.*4.

(3) *In Encyclic. ead.*

quibus de communi pœnitentia, et disciplina relaxatio justis de causis conceditur, cum alio Pontifice salubriter admonemus (1), *ne per alia pietatis opera . . . . peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant . . . . ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleemosynæ munera redimant.*

XIV. Quamvis ex Ecclesiæ præcepto diebus dumtaxat præscriptis est jejunandum; quia tamen jejunium *virtutum*, ut inquit Hieronymus (2), *fundamentum, et sanctificatio est*, Diœcesanos nostros in Domino hortamur, ut quandoque, præter tempus ab Ecclesia præscriptum, jejunare ne graventur, ac præsertim in pervigilio inclyti Martyris Christi Agapíti Diœcesis nostræ Patroni; idemque in singulis Diœceseos locis servari cupimus in pervigilio peculiaris ipsorum Patroni.

XV. At jejunium quisque ita aggredi curet, ut non solum quæ manifesto præcepto urgentur, omnino impleat, sed illud etiam culparum fuga, et demississimis precibus Deo acceptissimum reddat. Quare Ecclesia dum jejunium præcipit, simul etiam omnibus quodammodo denuntiat (3): *Jejunium magnum, et generale est, abstinere ab iniquitatibus, et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium . . . . nihil enim prodest homini jejunare, nisi mens ab iniquitate revocetur.*

CAPUT IV.

DE DECIMIS, ET OBLATIONIBUS.

Morem, consuetudinem, sive etiam præceptum solvendi decimas locum habuisse in quocumque hominum statu, manifesto sacris ex literis constat. Eas enim ante scriptam legem Abraham persolvit Melchisedecho, ut Sacerdoti (4), et decimas Deo se oblaturum Jacob spopondit (5); atque in lege Mosaica, ut etiam ab Hebræis id fieret, imperatum nec semel fuit. Lex vero, et obligatio solvendi decimas etiam ad Christianos pertinet; eo tamen discrimine, quod decimæ in veteri Testamento solvendæ pars erant vere decima eorum, ex quibus dari debebant, apud nos vero illud nomen significat partem

(1) *Bened. XIV. ead. Const.* Non ambigimus §.5.

(2) *Ad Donat.*

(3) *Can.* Jejunium 25. *et* Nihil 23. *de consecr. dist.* 5.

(4) *Genes. cap.*14. *v.*20.

(5) *Genes. cap.*28. *v.*22.

quantamcumque fructuum, et acquisitorum, quæ per singulos annos est Ecclesiis, vel earum Ministris pendenda. De quibus hæc constituimus.

I. Nemo audeat Ecclesiæ nomine primitias, decimas, quintas, vel quartas partes, ac si quæ sunt alia hujusmodi, poscere, nisi legitime hujus juris tabulæ extent, vel antiqua consuetudo. Quibus autem hæc jura suppetunt, ea accurate, distincteque descripta, quatenus ad nostram Cancellariam nondum transmiserint, ut quantocius hoc faciant, præcipimus.

II. Vicissim vero quicumque sive jure, sive consuetudine legis vim obtinente debent tribuere Ecclesiis, aut hominibus ab Ecclesia designatis certorum annuorum proventuum decimam, vel partes alias quascumque, aut primitias, ut hæc prompte, et fideliter tribuant, mandamus sub pœnis, quas sacri Canones statuunt. Concilium porro Tridentinum Nos monet (1), eos omnes, qui decimas Ecclesiis obvenientes aut subtrahunt, aut impediunt, esse excommunicandos, neque vinculo excommunicationis solvendos, nisi plena restitutione secuta.

III. Si quæ fraudes in re tradenda vel deteriore, vel mensura haud justa, tum etiam si quæ in re petenda in majore, quam debita est, quantitate intercesserint; harum reus restitutione, aliisque prudenti arbitrio pœnis plectetur, etiamsi Ecclesiasticus fuerit.

IV. Si qui immunes se ab hujusmodi oneribus jactent, nequaquam audiantur, nisi immunitatem in Cancellaria nostra legitime comprobarint. Et controversias hujusmodi summatim, solaque inspecta veritate facti, finiri volumus.

V. De oblationibus, quæ voluntarie ad Ecclesias, ad Altaria, atque ad sacras Imagines afferri solent, quæque ad Ecclesiæ jus referuntur, monemus, non esse illas confuse, et sine delectu quoscumque in usus convertendas; sed explorandum esse, ac fidelissime perficiendum pium illud opus, ob quod a Fidelibus fuerint collatæ (2).

CAPUT V.

DE BENEDICTIONIBUS.

Benedictiones, quarum in Ecclesia usus est, aliæ antiquissima traditione, Summorumque Pontificum auctoritate institutæ, præceptæ-

(1) *Trid. Sess. XXV. cap. 12. de Ref.*

(2) *Plura apud Monacel. Tom. I. tit. 6. form. 20. n. 19. 20. et 21.*

quæ sunt, aliarum usus liberæ postulantium voluntati relictus, juxta ritum tamen ab Ecclesia probatum. Omnes tamen eo referuntur, ut pietatem in Deum vel excitent, vel foveant, utque cælestia, vel etiam terrestria impetrent munera, quorum causa fuerunt institutæ; earumque nonnullæ Sacramentalium vim, dignitatemque habent, aut rem, quam ipsæ veluti consecrant, Sacramentalem constituunt. Hæ vero benedictiones, et quidquid sanctificatum est ipsis, quamquam per se, et, ut loquuntur scholarum Theologi, *ex opere operato* divinam gratiam non pariant, (hanc siquidem hoc modo producere Sacramentorum novæ Legis proprium est;) quicumque tamen pie illis utuntur, plurimam inde utilitatem capiunt ad culpas leviores eluendas. Precum enim virtute, quas in benedicendo fundit Ecclesia, beneficentissimus Deus supernas cogitationes in illis excitat, ex quibus consequi solent deliberatæ adorationes, gratiarum actiones, odium, detestatioque culparum, unde venialia peccata deleantur. Hæc cum sint, visum est non prorsus prætermittere, quæ ad benedictiones pertinent, sed de iis pauca hæc edicere.

I. Quæ res, prius quam in usum deducantur, sunt benedicendæ, quæque consecrandæ, iis caveat quisquis, ne nondum benedictis, aut consecratis utatur. Tales *respective*, ut dicitur, sunt sacræ vestes, quarum usus in Sacrificio, tum Altarium mappæ, quibus pluviale addere Ecclesia Romana consuevit. Tales etiam sunt Aræ, sive in unoquoque Altari lapis medius; tales quæcumque res sacram Eucharistiam excipiunt; tales denique non solum Ecclesiæ, et Oratoria publica, atque privata, in quibus tamen fiat Sacrum, sed ipsa quoque Cœmeteria, immo et campanæ, quæ in Templorum turribus suspendi solent. Porro neque ab aliis, quam a quibus alibi docuimus, hæ benedictiones petendæ (1).

II. Et benedictiones quasdam impertiri possunt quilibet Sacerdotes, quasdam tantummodo Parochi, aut quos hi delegarint. Caveat igitur quisque, ne in Parochi jus temere invadat, quod Nos certe Parocho asserere, ac tueri parati sumus.

III. Quæ benedictiones ex Ecclesiæ ritu solemnius per annum fiunt, uti candelarum, cinerum, Palmarum, Paschalis ignis, ac cerei, numquam omittendæ, sed explendæ servatis omnino ritibus singularum. Earum significationem a Parochis docendus est populus, qui est etiam monendus, nullam ex rebus, quæ ex Ecclesiæ benedictione divino cultui fuerit addicta, posse profanum in usum conver-

(1) *Par. II. cap. V. n. 3.*

ti; atque gravissimum eorum crimen ostendant, qui rebus hujusmodi in peccati commodum non verentur abuti superstitiosis actibus. Nos in crimen istiusmodi animadvertimus lata excommunicatione Nobis reservata (1).

IV. Curæ præterea cuique Parocho esse debet, ut domos stato tempore benedicat. Usum præcipue aquæ lustralis commendet, atque ut in ædibus privatorum servetur, vehementer insinuet. Est autem in vasis apprime solidis, iisdemque mundis ad omnes Templi januas retinenda, ac renovanda diebus ex Rubricarum præscripto sancitis. Ne autem ritus vulgo inanes habeantur, doceat, quorsum fuerit lustralis aqua instituta, qui ea utendi modus, quique ex ejus usu exspectandi effectus (2).

V. Benedicunt Prælati, nec uno quidem modo, populum ipsum. Namque id sæpe faciunt erga obvios quosque sibi subjectos; atque hac benedictione rite suscepta, venialia remitti habemus ex Glossa (3). Item statis in anno diebus ex Apostolica, quam obtinent, concessione, solemnem populo elargiuntur benedictionem Summi Pontificis nomine, ad quam religiose suscipiendam omnes, quoad fieri potest, sunt a Parochis comparandi, et hortandi.

VI. Licet etiam aliis Sacerdotibus populo benedicere, adhibitis modo Sanctorum Reliquiis, modo Imaginibus, immo divina ipsa Eucharistia. Benedictionibus sanctissimæ Eucharistiæ monendus populus, ut adsit, utque adsit flexo utroque genu, capite aperto, eodemque admodum inclinato, atque testante animum maxime demissum, ac religiosum.

VII. Porro quæcumque benedictiones perficiendæ sunt forma, et ritibus in Romano Rituali, ac Missali descriptis, neque aliter ullo modo, ac parte. Ad memoriam vero revocamus, in Rituali Romano sanciri, ut *in omni benedictione extra Missam Sacerdos saltem stola, et superpelliceo pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur* (4). Si vocatus fuerit Sacerdos ad benedictionem contra injurias a bruchis, locustis, aliisque insectis illatas vel virgultis, vel animalibus utilibus, aut contra varios ipsorum morbos, cujusmodi in Rituali non extant, formulas habeat Ecclesiastica auctoritate probatas, quas damus in Appendice (5).

VIII. De quibusdam aliis benedictionibus egimus jam in parte

(1) *Part. I. cap.V. n.16.*

(2) *Hæc omnia ex cap.* Aquam 20. *de consec. dist.3.*

(3) *Gloss.in proœm. in sext. Decret.*

(4) *Rit. de benedict. reg. gen.*

(5) *Append. N. XVI. pag.45.*

præcedente; neque quidquam nunc superest, nisi ut eos, a quibus harum functiones sunt peragendæ, hortemur, (hortamur autem enixe,) ad has summa fide, ac religione exercendas. Sic enim etiam spectantes ad fidem, pietatemque excitabunt.

CAPUT VI.

DE PROCESSIONIBUS.

Publicæ, sacræque processiones, seu supplicationes, quibus ex antiquissimo sanctorum Patrum instituto Catholica Ecclesia vel ad excitandam Fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum uti consuevit, qua par est, religione celebrari debent: continent enim magna, ac divina mysteria, et salutares Christianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo consequuntur (1). Harum usum, ritus, frequentiam, tum vero pietatem animorum, qua sunt obeundæ, his, quæ sequuntur, decretis, ac regulis definimus.

I. Ad Nos tantum spectat publicas in nostra Diœcesi supplicationes indicere (2). Quare præter eas, quas seu Romanæ Ecclesiæ ritus imperant, seu peculiarium Ecclesiarum consuetudine aguntur, quas retineri omnino volumus, nullæ ob quascumque populi necessitates instituantur, nisi de nostra, aut Vicarii nostri generalis licentia.

II. Harum nullæ omnino peragantur noctu (3); sed quod pomeridianis horis agmen ordinatum fuerit, dissolvatur ad solis occasum.

III. Omnibus publicis, solemnibusque supplicationibus, quæ fieri solent, vel indictæ fuerint tum in Civitate, tum in Diœcesi, omnes ex Clero sæculari intersint, omnesque item ex regulari, nisi quos legitimum juvat privilegium. Intersint præterea piarum Sodalitatum Confratres sacci usum habentes; omnes denique illi, qui publicis supplicationibus aut generalibus, aut peculiaribus interesse jubentur, vel consueverunt. Et quoniam Nobis pœnarum de absentibus sumendarum attributa facultas (4); prudenti arbitrio, si opus sit, hac utemur. Confratres vero cujusvis Sodalitatis monemus, ut adsint, quo majore poterunt, numero, curentque, quoad et hoc facere poterunt, ne adsint minus, quam duodecim.

(1) *Rit. Rom. de proces.* §.1.

(2) *Bened. XIV. Const.* Quemadmodum *LXXXII. Bull. Tom.I. S. C. Immun. an.*1604. *et S.C.C. sæpe.*

(3) *Edict. Urb. Clem.XI.*

(4) *Trid. Sess. XXV. de Regul. et Monial.cap.*13.

IV. Ad Ecclesiam, unde agmen ducendum est, omnes mature conveniant: quosdam enim medio sese itinere sociis adjungere, non satis decere censemus. Sit ad Templi ostium, qui singulos cœtus ex ordine evocet, ut quisque præcedentibus addatur; atque universim post Crucem, seu Vexillum bini, atque bini incedant.

V. Fœminæ, quæ ad processionem veniunt, vel ordinatim binæ, atque binæ et ipsæ antecedant omnes, aliter omnes sequantur; semper tamen sint a maribus plane sejunctæ, sintque compositæ modestissime.

VI. Clerici sæculares, tum etiam Regulares, piarumque Sodalitatum Confratres incedant singuli quique ornati vestibus cœtuum suorum propriis; et cum hi, tum reliqui omnes, quibus multitudo supplicantium constat, summam præ se ferant gravitatem, ac religionem. Ut sacra pompa ordine progrediatur, sint, qui eam veluti dirigant, nempe qui impedimenta, si qua occurrant, removere studeant, quique eos ipsos in agmine progredientes prudenter commoneant, ut gressum sive concitent, sive contineant, ne agmen interruptum feratur.

VII. At vero inania colloquia, liberi oculorum jactus, gesticulationes sacrum ritum penitus dedecerent. Id igitur unum spectetur, ut quoties hymni dicendi sunt, sive psalmi, sive aliæ precationes, eas suis singuli cœtibus, uti fert consuetudo, elata voce edant, neque importuno umquam silentio intermittant. Si autem, quæ jam præscripsimus, omnes, et in primis Ecclesiæ Ministri diligenter, accurateque perficiant; tum profecto publicæ supplicationes spectacula erunt Deo, et hominibus jucundissima, atque ex iis ea consequentur, ob quæ sunt institutæ.

VIII. Viæ quoque, per quas transiturus est comitatus, mundentur, omnesque officinæ non modo sint clausæ, sed etiam nullus inde strepitus exaudiatur. Itemque severe mandamus, ut coram illo abstineat quisque a festivis ignibus, et mortariorum, et cujusquemodi ballistarum fragoribus (1). Qui secus facere audeant, sciant se fore plectendos, nisi forte id esset e satis dissito a processionibus loco; ac potius in turri Ecclesiæ, a qua supplicatio proficiscitur, et aliarum, prope quas ducitur, campana æra festive pulsentur.

IX. Haud vero possumus hoc loco dissimulare, quod interdum fœminæ, quæ sacro agmini conjungi deberent, ad fenestras, aut mæniana prodeunt non honorem aliquem, et cultum Deo, Sanctisque

(1) *S.C. Ep. et Regul. in* Ventimilien. 2. *Junii an.* 1613.

S

ejus præstaturæ, sed muliebri tantum curiositate ductæ, perinde ac si quid profani ageretur, nisi etiam ut spectentur, et varios interim misceant sermones. Hac enim agendi ratione pio, Christianoque spectaculo, quo aut solemnes Deo gratias agere, aut nova ab ipso beneficia impetrare contendimus, spectaculum, (instigante sine dubio Diabolo,) opponitur, quod cum pergrave parit scandalum Fidelibus ad pietatem compositis, tum vero prorsus injuriosum Deo est, ejusque iracundiam vehementius potest concitare. Arceatur ergo a Civitate, exuletque a tota Diœcesi, siquidem inoleverit, consuetudo hæc plane fœdissima. Ita vehementer cupimus, ita exhortamur, et severe præcipimus, ne asperiora tantæ indecentiæ remedia debeamus apponere.

X. Nihil porro est, quod moneamus, Episcopo cum suo Capitulo intranti aliquam Sæcularium, aut Regularium Ecclesiam, in ipso ejus limine instrumentum aquæ lustrali aspergendæ non ab alio esse porrigendum, atque ab illo, a quo majus obsequii argumentum Præsuli potest offerri, nimirum non ab alio, atque ab eo, qui supremam in Monasterio, vel Ecclesia obtinet dignitatem (1).

XI. In publicis supplicationibus diei S. Marci, et trium dierum Rogationum Missa canenda est in Ecclesia, ad quam processio dirigitur; neque est inchoanda, nisi totum Capitulum, et Clerus intersit.

XII. Omnium vero processionum illæ majori animorum pietate, tum etiam majori apparatu, atque pompa sunt celebrandæ, quas Ecclesia Catholica in solemnitate Corporis Christi celebrandas indixit. Itaque ad has frequentissimi ex grege nostro conveniant, et ii præsertim omnes, qui de jure, vel consuetudine tenentur interesse, mature adsint; tum quicumque sive Clerici, sive Laici nudo semper incedant capite.

XIII. Pertinet vero ad testificationem obsequii erga communem Dominum, quod viæ, quibus sacrum agmen facturum est iter, non solum mundentur, sed floribus etiam, atque odoratis herbis spargantur, quodque parietes nitida, quantum fieri potest, supellectili ornentur; atque par est, ut singuli, certantibus quodammodo studiis, quodvis pietatis, ac religionis officium tanto mysterio persolvant.

XIV. Et qui gloriæ Dominum, dum ita solemniter circumgestatur, comitari non possunt, ipsum saltem privatim adorent, agant ei gratias pro sua erga mortales caritate, deque triumphali, quo solemnitas ejus per Ecclesiam universam splendore agitur, ex animo

(1) *Syn. Ferrarien. sub Emo Crescentio.*

gratulentur. Quæ ipsa et Christum Dominum comitantibus erunt facienda. Ita facient in terris, quod fratres, qui ex luce hac in Christo migrarunt, assidue cum Angelis faciunt. Nemo autem sit, qui ad has pompas spectandas ducatur curiositate; nemo, qui spectans edat aliquod levis, sive impudentis, sive irreligiosi animi indicium. Hæc Nos ferre nullo modo possemus, et ad reparandas Christo Servatori irrogatas injurias zelo procederemus nihilo minori, quam res postularet.

XV. Porro adventante Solemnitate Corporis Christi, Parochi suum gregem moneant, diem hunc ex iis esse, quibus maxime expedit, ut Pœnitentiæ Sacramento suam quisque animam expiet, eamque divina, cujus institutæ agitur Festum, Eucharistia reficiat. Hortentur eumdem, ut per omnes Octavæ dies sacris functionibus in Ecclesia, ubi peraguntur, satagat interesse; Indulgentiasque exponant elargitas iis, qui divinum Christi Corpus speciatim coluerint, atque Ecclesiasticis Officiis in Templis adstiterint. Non sinant, ut ignorentur a Plebibus fines, ob quos pompa, de qua dictum est, in Ecclesia solemnius agitur; omninoque perficiant, ut extrinsecæ hæ pietatis actiones religioso semper animo et incantur, et perficiantur, ne uberrimi, qui possunt ex iis percipi, fructus dispereant.

XVI. Vetamus autem cum venerabili Eucharistia processiones institui ad incendia extinguenda, ad procellas, aut inundationes coercendas; quasque processiones, quæ fieri cum ea solent, retinendas ediximus, in iis volumus, ut præscripti de ipsis ritus accurate serventur.

XVII. Alicubi in nostra Diœcesi sanctissimum Sacramentum circumfertur per Templum tertio quoque Dominico die in singulos menses, et Clero sacram supplicationem obeunti adjungunt se comites Sodales Societatis Sm̃i Sacramenti nomine insignitæ; interest etiam populus admodum frequens. Optamus vehementer, hoc institutum servari, quod pertinet ad Christi honorem, cuique Summi etiam Pontifices Indulgentias sunt elargiti. Quin immo ut in quavis Diœcesis Parochia, in qua memorata Sm̃i Sacramenti Sodalitas est, vel retineatur, vel inducatur, vel, dimissa cum sit, revocetur consuetudo hujusmodi processionum, non hortamur solum, sed etiam præcipimus.

CAPUT VII.

DE FUNERIBUS, EXEQUIIS, ET SEPULTURIS.

Quamvis curatio funeris, conditio sepulturæ, et pompa exequiarum magis vivorum solatia sint, quam subsidia mortuorum (1); non ideo tamen *contemnenda, et abjicienda sunt corpora defunctorum, maxime justorum, et fidelium, quibus tamquam organis, et vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus* (2), sed, servato piæ Matris Ecclesiæ instituto, sacro sunt funere tumulanda. Scriptum est enim (3): *Mortuo non prohibeas gratiam, et non despicias sepulturam ejus.* Esse autem hoc cum humanitatis, tum etiam pietatis officium Deo acceptissimum ex sacra magni Tobiæ historia, ut reliqua prætereamus, plane intelligitur. Quia tamen facile, quæ ad funera, exequias, et sepulturas pertinent, non secundum ordinem fiunt, et quibusdam non raro abusibus patent; idcirco de his non pauca Nobis sunt proponenda, quæ sic ordinatim disponimus.

I. Ignorare non debet Parochus, quinam Ecclesiastica sepultura sint digni, quique hac privandi (4). Itaque simul atque aliquem e suis Ecclesiastico sepeliendum ritu vita functum esse intellexerit, sive in Civitate, sive in Diœcesi Parochialis ejus Ecclesia posita sit, admoneat ejus rei populum ære campano Parochialis ipsius, ut et oret pro anima nuper e corpore egressa, et suæ quoque mortalitatis meminerit (5). Expedit tamen campanas multo post primam noctis horam minime pulsari; idcirco si, ut statim admoneretur populus, pulsandæ aliquando essent multo post horam hanc, pulsatio hæc ad diluculum differatur.

II. Curandum interea est cadaver, componendum, vestiendum. Fiat id, ut fieri debet, quam honestissime. Vestes Clerico sint Clericales, et quidem propriæ illius Ordinis, in quo vivens fuerat constitutus (6); Laicis sint aptæ suo cujusque loco, seu conditioni, aut a pia aliqua Sodalitate concessæ. Hæ tales sint, quibus cada-

(1) *Can.* Anima *caus.* 13. *q.* 2.

(2) *S. Aug. de Civit. Dei lib.* 1. *cap.* 13.

(3) *Eccles. cap.* 7. *v.* 37. *et cap.* 38. *v.* 16.

(4) *Rit. Rom. de exequiis tit.* Quibus non licet §. Ignorare.

(5) *Synod. nostra Ferrarien.*

(6) *Rit. Rom. de exeq.* §. Sacerdos, *et seq.*

ver totum decenter ad pedes usque tegatur, ejusdemque generis vestibus, quibus ad Ecclesiam effertur, sepeliendum est (1).

III. Nemo tumuletur, nisi post viginti quatuor saltem a morte horas; et puerperæ, vulnerati, repentino morbo oppressi, ex aquis extracti numquam sepeliantur, nisi post horas penitus quadraginta (2). Quo tempore etsi cadaver numquam sine alicujus accensæ facis honore, et interdum neque sine custode est deserendum; gravissime tamen vetamus, custodiæ hujus nomine mares, et fœminas simul convenire, præsertim vero nocturnas agere excubias; plectemusque, nec leviter, si qui contra fecerint.

IV. Si quis violenta morte occubuerit, sitque ejus cadaver ab Laica potestate recognoscendum, hoc ad Ecclesiam non deferatur, nisi postquam recognitionem hanc extra sacrum, et immunem locum factam fuisse Parocho constiterit. Quod si admoniti Curiæ Ministri plus justo morentur, corpus illud efferri, et Ecclesiastico ritu condi Parochus jubeat. Tum vero, in quacumque Ecclesia conditum illud perpetuo sit, exhumari amplius non debet, nisi Nos ipsi veniam scripto firmatam demus; ac si de Ecclesiastici viri cadavere agatur, hujusmodi venia a sacra Immunitatis Congregatione est impetranda (3).

V. Haud vero Christianorum cadavera sine ulla pompa sunt deducenda. Igitur hæredes defuncti, sive illi, ad quos vivens pertinebat, ex ejusdem voluntate supremis tabulis declarata præscribant quot, et qui corpus sint comitaturi; vel si non sit illa cognita, sponte deligant (4). Hic tamen delectus habeatur servata loci cujusque consuetudine, nulloque modo officiat iis Ecclesiis, quibus, quoties mortuos tumulant, jus est Sacerdotes suos ad funus comitandum convocare.

VI. Spectandus in funeribus dies, et hora. Namque agmen funereum minime deducendum noctu (5); immo nisi gravi ex causa a Nobis, vel Vicario nostro generali probata, neque ante ortum solis, neque post occasum. Item neque dum in Templis divina celebrantur Officia, vel sacra Eucharistia publice prostat; et, quoad hujus rei fieri potest, non efferantur cadavera diebus Festis, præsertim vero solemnioribus.

(1) *Synod. nostra Ferrarien. Par. III. cap.VIII. num.2.*

(2) Tempus hoc aliis Ferrariensibus Synodis constitutum servandum censuit *S.R.C. 22. Jun. 1673. et iterum 13. Jul. ejusd.anni.*

(3) *Vid.Monacell. Tom.I.tit.6. form.7. per tot. Plura de hoc Baruffal. in Rit. tit. de exeq. n.128. et seq.*

(4) *S.C.Ep. et Regul. pluries.*

(5) *S.C.C. 15. Martii 1704.*

VII. Iis, qui ad funus fuerint invitati, indicat Parochus, vel alius, ad quem pertinet, horam, qua conveniant. Convenient vero in Ecclesiam, unde jus, aut legitima consuetudo fert, ut ineatur processio. Itaque cum invitatum fuerit Capitulum Cathedralis, vel alicujus per Diœcesim Ecclesiæ matris, conveniant omnes ad Cathedralem, vel ad Ecclesiam matrem. Capitula si desint, conveniant omnes ad Ecclesiam Parochialem defuncti, unde ad ipsius defuncti ædes est procedendum; atque hoc quidem ordine. Præeant Sodalitia, sequatur hæc proxime Clerus regularis, inde sæcularis. Sodalitiorum Fratres vestibus utantur cœtuum suorum propriis, Regulares iis, quibus solent in actionibus Chori, Ecclesiastici sæculares talari veste, ac superpelliceo; superpelliceo tamen, in Civitate præsertim, non superimponatur pallium, nisi vera urgeat necessitas. Si qui hæc minime servaverint, aut tempestive non adfuerint, largitione in hujusmodi comitatibus facienda digni nequaquam habeantur. Quod autem Fratrum loco a Præfectis Sodalitiorum, quæ diximus, subrogentur sæpe per Diœcesim pueri, vel adolescentuli, qui et confusionem inducunt, et ipso suo habitu non raro occasionem præbent gravissimæ functionis ludibrio vertendæ; id quidem ut umquam in posterum fiat, ferre non possumus. Edicimus ergo, Sodalitates, si quæ forte hoc fecerint, etiamsi pueri, aut adolescentuli, quos ad funus mittunt, saccis illarum propriis induti accedant, habendas esse veluti absentes, easque omni ceræ, alioque, si quod sit, emolumento, quod præsentibus obveniret, omnino privari volumus; ac præterea Præfectos, seu Priores illarum, qui id attentaverint, vel permiserint, pœnis arbitrio moderandis subjicimus.

VIII. Parochi quoque defuncti conjunctos opportune moneant, *ut non contristentur, sicut et cæteri, qui spem non habent* (1), utque abstineant ab ipsorum funere prosequendo lacrymosis clamoribus, quibus sacri Ministri, et divina Officia perturbantur; siquidem abusum hunc gentilium morem redolentem in aliqua Diœcesis parte inolevisse accepimus. Si vero noluerint acquiescere, sed velint sic prosequi funus, cadavera ad Ecclesiam non deferantur; ac si deinde ad Ecclesiam accedentes clamoribus, suspiriis, vocibusque, ac sermonibus incompositis divinum Officium exturbaverint, pœnæ nomine libris quinque ceræ albæ tumulantis in Ecclesiæ usum cessuris, absque ulla spe veniæ, multabuntur, aliisque etiam gravioribus, prout res feret, nostro arbitrio statuendis (2).

(1) *I. Thess. cap.4. v.2.*

(2) *Synod. Prænest. sub Rufo tit. de funeribus, et sepulturis cap.1.*

IX. Parochus item, vel is, ad quem de jure, aut legitima consuetudine pertinet, præcipiat, qua eundum sit via; quæ quidem et commodior semper sit, et brevior (1). Ex Visitatione autem comperimus, non semper præsto esse, qui cadaver deferant. Parochi satagant, ne id umquam contingat; ac si res nostram quoque providentiam desideret, significent Nobis. Neque vero frustra significabunt, qua singulis locis ratione providere possimus.

X. Est proprio defuncti Parocho jus, ut ejusdem funeri intersit, vel ipse per sese, vel per alium, cui id ipse committat (2). Est ergo Parochus semper invitandus, nec efferendum cadaver, prius quam ipse intersit; atque ipso jure transgressoribus indictæ sunt pœnæ, quas, aliasque nostro arbitrio subibunt.

XI. Sed et defuncto jus est, quod a Pastore suo plane repetit, ne suum corpus efferatur, quin adsit Sacerdos Ecclesiasticos in illud ritus persolvens. Non itaque Christiani cujusquam vel infantis cadaver domo efferatur, perque vias ducatur, quin Parochus, vel alius Sacerdos adsit ex Ecclesiastico ritu (3).

XII. Sunt qui moriuntur in agris Parochialibus ab Ecclesiis admodum dissitis. Mos est, ut horum cadavera, antequam Parochus, vel alius ab eo deputatus Sacerdos ritum erga illa Ecclesiasticum obeat, asportentur in Civitatem, vel oppida, deponanturque in domo sive familiari, sive alia, quatenus careant familiari, ut Ecclesiastico deinde ritu suprema his persolvantur. Si quid defunctus rei nummariæ, aliorumve bonorum habebat, sumptu id fiat eorum, ad quos hæc pervenere; sin vero nihil, fiat id sumptu piarum Sodalitatum, illarum tamen, quæ judicabuntur hoc onus non difficile sustinere posse; nisi forte alicubi in more sit, ut vel Communitates subeant hoc onus, vel sit ipsum alicujus ex Sodalitatibus, quas diximus, proprium. Dividatur autem in singulas pro ratione redditunm; quantumque sit iis solvendum, qui cadaver asportant, quandocumque casus inciderit, definiant Parochi, aut, ubi hoc est in more, Vicarii foranei, justa præhabita æstimatione laboris in qualibet asportatione subeundi.

XIII. Quod ex Ecclesiæ ritu, procedente funereo agmine, recitandum, seu canendum est; id ab Ecclesiasticis cum sæcularibus, tum regularibus, et a Confratribus quoque Sodalitatum piarum, quatenus

(1) *S. C. Ep. et Regul.* 11. *Dec.* 1615. *et* 14. *Jan.*1639.*Vid.Lambert.Inst.LXXX. num.*7. *Vide Lambert. Inst. XXXVI. sub fin.*

(2) *S.C. Ep. et Regul.* 28. *Sept.* 1646.

(3) *Vid. Rit. Rom. de exeq. ord.* §.Parochus vero.

hoc postremum fieri possit, canatur, vel recitetur; et præscripti psalmi devote, distincte, gravique voce recitentur, ut fieri debet, usque ad Ecclesiam. Cum vero ad hanc ventum fuerit, Ecclesiastici, qui cadaver sunt comitati, tum etiam Confratres in Templo consistant, ac Parocho præcinente, quæ canenda sunt prosequantur.

XIV. Quod alicubi in Diœcesi contendit populus, omnem Clerum teneri cadavera ad Ecclesiam absque emolumento ullo comitari; id contrarium omnino est consuetudini Ecclesiæ universali, ipsisque sacris Canonibus, juxta quos taxæ funerum editæ sunt. Quicumque ergo suorum funeri adesse Clerum voluerit, solvat omnino taxam consuetam (1), quæ si alicubi non sit constituta, aut consuetudine legitima definita, eam rogati constituemus æquitate servata. Districte tamen prohibemus, ne quis audeat quidquam præterea vel minimum postulare, neve quid plus ab exteris, quam ab incolis repetatur. Quod si præscripta stipendia differri contingat, caveant summopere Parochus, aliique Ministri, ne cadaver sepulturæ mandare morentur, neve fidejussionem, aut pignora pro iis exigant; sed post justa defuncto persoluta, postque æquam temporis prolationem, poterunt ipsi pro juribus Parochialibus, ac viaticis personalibus eleemosynas præscriptas exigere. Qua tota in re monemus, ut ab omni simoniæ specie se præbeant alienos, utque modeste illas, et sine strepitu exigant.

XV. Regulares, quorum in Ecclesiis cadavera humantur eorum, qui gentilitia sepulcra in illis habent, aut etiam eorum, qui ibi sepulturam sibi elegerunt, quartam funeralem Parochis dare tenentur (2), et quartam etiam partem cereorum, et candelarum, quæ eodem ipso peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus est, circa feretrum, atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiæ accensæ fuerint (3). Quod si in alia ab Parochiali Ecclesia condatur cadaver, propterea quod domestici, sive hæredes petierint, tunc omnia Parocho emolumenta debentur, perinde ac si in Parochiali sua Ecclesia tumulatum fuisset (4).

XVI. Sed præter eos, quorum de funeribus nunc actum est, eripiuntur e vivis inopes etiam, quibus honeste humandis nihil post mortem superest, aut ita parum, ut propriis impensis humari non pos-

(1) *Synod. Prænest. sub Rufo tit. eod. cap. 2.*

(2) *Conc. Rom. sub Bened. XIII. tit. 8. cap. 5. et Const. ejusd. in Append. ipsius Conc.*

(3) *Synod. Prænest. sub Rufo, et Synod. nostra Ferrarien.*

(4) *Statut. Cler. Rom. ac plur. Synod.*

sint. Ii gratis omnino a Parocho sepeliantur; efficiatque suis ipse sumptibus, si percipiat funerum *incerta*, quæ dicuntur *majora*, (nisi id facere teneatur pium aliquod Sodalitium,) ne sine luminibus efferatur, terræque mandetur (1). Cæteros etiam Ecclesiæ ritus saltem necessarios erga eos expleat; curetque præterea, ut aliquis Sacerdos, vel Clericus psalmos secum in comitatu recitet, atque exequiis intersit. Illud potissimum numquam patiatur, quemquam in sua Parochia sepulturæ tradi, quin illius anima oblato semel saltem Sacrificio expietur (2). Quare vel Missam ipse Parochus gratis celebret, vel eleemosynas a piis personis colligat, ut celebrari possit, vel denique ex eleemosynis, quæ per annum pro defunctis colligi solent, extrahatur ea, qua celebretur Missa pro unoquoque, qui vere pauper obiit, etiamsi exterus ille sit, sive advena, sive peregrinus, nisi huic rei alia fuerit ratione consultum. Sed de hoc ipso, ut integra justitiæ, atque fidelitatis ratio servetur, moneri quotannis universum populum volumus, atque jubemus.

XVII. Sacer omnino esse debet locus, in quo conduntur eorum corpora, qui sunt in Fidelium communione defuncti. Is locus, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, est Cœmeterium; quæ consuetudo, ubi viget, est conservanda, atque, ubi fieri potest, restituenda (3). Itaque nulla Parochialis Ecclesia carere Cœmeterio suo debet. Ubi vero hoc non exstat ædificium, sit saltem agellus non longe a Templo dissitus, ab Episcopo, vel a Sacerdote ex ejus licentia benedictus, excelsiorem in medio Crucem præferens, nullis occupatus arboribus, quæ, si forte exstent, continuo excidantur, immo ne humilioribus quidem virgultis, aut herbis, quas crebro inde exstirpare necesse fuerit. Est etiam parietibus, vel densissima saltem sepe undequaque vallandus, ne ullus in illum aditus relinquatur, nisi per januam sera instructam, cujus clavem Parochus, vel Sacrarius servet. Ita præterea hunc locum custodiri mandamus, ut, quoniam sacer est, numquam pateat nundinis, saltationibus, ludis circulatorum, ac ne aliis quidem communioribus, ut pilæ, trocho, aut similibus, quibus quodammodo pollui videretur. Neque etiam decet, eo inferri lapidum, lignorum, palearum acervos, aut ipsum cuipiam minus sacro usui haberi; quæ omnia proinde vetamus (4). Quoties autem aliquis in Cœmeterio est tumulandus, nisi Cœmeterium sit ædificium, in quo sepulturæ con-

(1) *Rit. Rom. de exequiis* §. Pauperes.
(2) *Rit. Rom. ibid.* §. Quod antiquissimi est.
(3) *Rit. Rom. de exequiis* §. Ubi viget.
(4) *Synod. nostra Ferrarien.*

structæ sint, fovea illi ad tres saltem pedes fodiatur, terraque injecta operiatur, ne cadaver pateat bestiarum morsibus, aut gravem, noxiumque emittat odorem; numquam vero duo in eadem fovea condantur corpora.

XVIII. Sed plerique hodie Christianorum post mortem quiescere malunt in Templis; neque hoc ex recentiore Ecclesiæ disciplina est abnuendum. Idcirco, præter Cœmeterium, quædam sint in omni Parochiali Ecclesia sepulcra. Atque unum quidem Ecclesiasticis unice destinatum, quod convenit esse in parte, quæ versus Aram maximam jacet; immo, ubi commodum fuerit, aliud pro Sacerdotibus, aliud pro inferioris Ordinis Ecclesiæ Ministris (1): alterum, quo inferantur parvuli Baptismate abluti: tertium omnium amplissimum cæteros excepturum, eritque laudabilius multo, si his addatur et quartum, in quo solæ deponantur fœminæ.

XIX. Nulla umquam sepulcra sub Altari, nullaque sub Altaris gradibus effodiantur, a quibus abesse debent ad passus saltem duos. Quod si sub Altari, seu ipsius gradibus sepultum cadaver fuerit, non licet ibi Sacrum facere, donec ossa illa translata alio non fuerint (2). Nulla item sepulcra in loco excelsiore construantur (3); sed omnia satis alte infra terræ superficiem descendant, et ad omne latus muris, ac superne opere fornicato muniantur, in quo os non angustum pateat. Hoc tamen quemadmodum est accurate marmore claudendum, et calce, vel aptiore cæmento, ne qua hiet rima, obliniendum; ita curandum, ne pavimentum idcirco exasperetur, neque quidpiam in ipso exstet, quod offendiculo esse incedentibus possit.

XX. In Ecclesiis, in quibus perpetuum sepulcrum permittere spectat ad Nos, nemo sibi, vel suorum alicui monumentum ad sepulturam constituat, nisi facultate a Nobis impetrata (4). Immo ne ulli quidem liceat vel semel pavimentum ad sepulturam perrumpere, nisi aut Nos ipsi, aut Vicarius noster generalis dato scripto id concesserimus. Item Nostrum, aut Vicarii nostri generalis est concedere, ut inscriptiones, stemmata, dignitatum insignia nostræ Cathedralis parietibus affigantur (5).

XXI. Cuique pubertatem adepto, neque usu rationis destituto

(1) *Rit. Rom. ibid.* §. Sepulcra.

(2) *S.C. Episc. apud Gavant. Part. I. in Rubr. Missal. tit. 20. lit.* O; *S. R. C. apud Merat. in indice decret. Tom. I. n.* 712. *et plures Synodi.*

(3) *S. Pius V. Const.* Cum primum *V.* §. 6.

(4) *S. C. C. in* Valven. 10. *Maii* 1727. *et alibi.*

(5) *Syn. nostra Ferrarien. et plur. aliæ.*

sepulturæ electionem sacri Canones liberam faciunt (1). Hæc tamen electio constet necesse est vel ex ultima defuncti voluntate legitime significata, vel saltem ex duobus testibus, qui fide digni habeantur (2). Neque ad id admittuntur personæ ejus loci, sive Ecclesiæ, ad quam sepultura electa dicitur. Immo hac in re solius Parochi testimonium admittitur, *modo non testetur ad proprium commodum* (3); atque hoc idem de Confessario solet haberi. Præterea hæc electio nequit alterius voluntati committi; ac demum qui eligitur locus, et sacer debet esse, et ex iis, quibus cadaveris habendi perpetuo jus est. Habeant vero præ oculis Ecclesiastici tum sæculares, tum regulares, se in excommunicationem latæ sententiæ Summo Pontifici reservatam incursuros, si quempiam impulerint, ut voveat, seu juret, seu promittat, se mandaturum, ut apud eorum Ecclesias sepeliatur, vel numquam mutaturum locum, quem sibi constituit; et præterea hujusmodi votum, sive juramentum irritum declarari (4). Hisce etiam aliæ sunt additæ pœnæ.

XXII. Qui nullam sibi vivens sepulturam elegit, in Parochia sua tumulabitur, vel, si sepulcrum habeat majoribus suis peculiare, his demortuus addetur (5); pariterque uxor apud illum jacebit, quem postremo habuit maritum (6). Quoad impuberes, qui carent eligendi jure, liceat patri, aut matri, si pater desit, pro ipsis nondum exstinctis eligere sepulturam, nisi forte huic parentum juri consuetudo adversetur (7).

XXIII. Infantes apud nutricem, similiter famuli, aut famulæ apud dominum obeuntes, sepeliantur a Parocho, in cujus finibus sita est sive nutricis, sive domini domus, quin jus ullum sibi retineat ipsorum domicilii Parochus. Item si qua familia domum habeat intra alicujus Parochiæ fines, et extra hanc ædes domui adjacentes, ubi aliquis obeat; hujus cadaver efferendum, ac tumulandum a Parocho, cui tota familia subest, eidemque emolumenta omnia supersunt. De his vero, quæ non satis perspicue sunt per Canones definita, Parochi omnes inter se convenere, et ratum habent in hac Synodo.

XXIV. Si quis moriatur Sodalitio alicui nostræ Diœcesis adscriptus, ejus cadaver vel ad sepulcrum suorum gentilium, vel certe ad

(1) *Cap.* Nos instituta 1. *et* Fraternitatem 3. *de sepulturis*.

(2) *Plur. Synod.*

(3) *S. C. C.* 13. *Feb.* 1666.

(4) *Vid. cap.* Animarum 1. *de sepult. in sext. et Clem.* Cupientes 3. *de pœnis*.

(5) *Cap.* 1. *de sepult. cap.* Is, qui 3. *eod. in sext.*

(6) *Eod. cap.* Is, qui.

(7) *Cap.* Licet 4. *de sepult. in sext.*

suum Parochum pertinet. Etenim nulla apud Nos Sodalitia sunt, tumulandi Confratres in Oratoriis suis privilegium habentia.

XXV. Si quis ibi decumbat, atque emoriatur, ubi neque domicilium, neque quasi domicilium habet; Parochus, in cujus Parochiæ finibus id contingit, omni in eum et ægrotantem, et morientem boni Pastoris fungatur officio. Hic tamen sepulturæ omnino tradendus est in Parochia, in qua vivens habitabat, nisi aliam sibi designaverit, vel ad aliam jus habeat. Si tamen ipsius Parochia ter mille, et amplius passuum distet a loco, ubi decessit, in ea, ubi decessit, est tumulandus (1). Si fuerit propinquior Parochus demortui proprius, tempore moneatur, ut ad asportandum cadaver vel accedat, vel mittat, et quæ sui juris sunt, possit ipse exercere. Quamquam, si tempus patitur, dum ingravescit morbus, eumdem domicilii Parochum certiorem fieri par est, ut ejus familiares ad ea, quæ sunt ipsi eo tempore necessaria, procuranda excitet.

XXVI. Jam vero non solum dum funus agitur, sed etiam cum exequiæ, officia, anniversaria persolvuntur, nemo adsit, sive Sacerdos ille sit, sive Clericus, qui non sit veste talari cum superpelliceo indutus. Quot fuerunt acciti, vel has functiones obeundi jus habent, tempestive conveniant, neque prius discedant, quam expleta omnia fuerint. Quæ si quis minus integre præstet, et nisi actu illis omnibus præscriptis intersit, eleemosynis, quæ functionibus hisce respondent, omnino privetur. Omnibus idcirco, ad quos pertinet hujusmodi eleemosynas distribuere, districte prohibemus, ne eas Officiorum, vel Missæ causa cuiquam mittant, aut tribuant, nisi in ipsa Officii Ecclesia Missam, et sacras alias functiones personaliter obiverit eo habitu, eaque ratione, quam hac ipsa Synodali sanctione, Sancti Caroli exemplum (2), et sacrorum Canonum præscripta secuti, decrevimus.

XXVII. Omnibus nunc, ad quos Synodalia hæc decreta direximus, adprecamur: *Faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis* (3); et facturum summa spes est, si quæcumque præscripsimus, piè, religioseque, ut par est, expleantur. Procul ab sacris hisce functionibus quæstus cujuscumque non solum aviditas, sed etiam suspicio. Ecclesiastici ritus plane, et cum dignitate, exclusa proinde celeritate, serventur; præcipue vero cantus sit clarus, justisque intervallis divisus, verbo, sit talis, qui pietatem excitet, non

(1) *Vid. Lambert. Inst. CV. n.42.*

(2) *S.Carol. Conc. Prov. IV. de funeribus, et exeq.* §. Qui in funere.

(3) *Ruth. cap. 1. v.8.*

qui concitet offensionem, vel risum moveat. Quod etsi curari debet a singulis; majori tamen studio curandum a Parochis, quorum in Ecclesiis hujusmodi celebrantur Officia. Qui potissimum animadvertere debent, si negligentes in hoc fuerint, inanes deinde fore suos apud populum conatus, cum illum ad proximorum, atque adeo propinquorum suorum animas piacularibus, iisdemque acerbissimis flammis addictas levandas, ac liberandas cohortabuntur. Quod caritatis officium non modo sæpe est illi inculcandum, sed etiam quotidie edito campanæ ad primam noctis horam signo commemorandum. Id autem omnino fieri in qualibet Parœcia ab ipsis exigimus.

PARS QUARTA.

DE PERSONIS ECCLESIÆ, ET FORI NOSTRI, AC DE LOCIS, ET REBUS CUM SACRIS, TUM PIIS.

Animarum Pastor æternus, ac princeps Christus Dominus, etsi ad dexteram Patris sedens Ecclesiam, quam sibi suo sanguine peperit, continuo gratiæ suæ præsidio tueatur, ac regat; voluit tamen, cum ex hoc mundo discessurus esset ad Patrem, eam ipsam hominibus exteriori, ac sensibus objecto regimine gubernandam committere. Atque ipse primum Apostolos, quorum Caput, et Principem S. Petrum constituerat, divino huic operi præfecit; deinde constituti sunt Episcopi, qui singulas Ecclesias regerent sub Romano Pontifice, ejus in terris, Petri loco, plenissima cum potestate Vicario. Sed, ut hi omnes suo munere, quemadmodum par est, fungi possint, multa opus habent inferioris Ordinis Ministrorum varietate, atque copia, quorum mores, ingenium, munera, officia, consuetudinem, vitamque omnem sic moderentur, ut singuli quam aptissime finibus respondeant, in quos ii divinitus instituti sunt gradus, quos ipsi obtinent Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Necessarium ergo omnino est, ut de Ecclesiasticis personis, earumque diversis ordinibus, ac ministeriis agamus; tum vero de Episcopalis Fori nostri Administris; qua occasione de Locis etiam, ac rebus cum sacris, tum piis ea præcipiemus, quæ maxime censebimus opportuna. Expediemus vero omnia hæc breviter; ita tamen, ut non minus, atque opus est, his omnibus providisse videamur.

CAPUT I.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

Quod omnium primum Clerici spectare debent, profecto est pietas, et sanctitas animi; quæ quidem sit non qualiscumque, sed quæ gradui singulorum, ac dignitati respondeat. Verum quia ipsi lucernæ etiam sunt supra candelabrum positæ, necesse quoque est, ut innocentiæ,

continentiæ, virtutumque omnium in cæteros lucem emittant. In eos enim, tamquam in totidem specula, suspiciunt Fideles, ex iisdemque sumunt, quod imitentur. Ut igitur bona, quæ coram Deo providere ipsos confidimus, provideant etiam coram hominibus, quodque sunt professione, actione potius, quam nomine demonstrent; ea omnia, quæ mox edicemus, desumpta ex Conciliorum Canonibus, et Summorum Pontificum Constitutionibus, ac Prædecessorum nostrorum decretis, studeant accurate observare.

I. Ac primo de vestibus Clericalibus. Vestis Clericorum, dum Sacra faciunt, aut divinis intersunt, sit omnino nigra, et talaris. Hac ipsa cum superimposito pallio ejusdem coloris, et longitudinis perpetuo, quandocumque in publicum prodeunt, juxta Canones uti deberent. Quod si locis quibusdam, aut temporibus brevior permissa est vestis, ea sit globulis clausa ante pectus, infra genua delabatur; forma deinde, colore, ornatu a talari non admodum differat (*). Verum ut per singulas partes distincte pateat, quid de habitu Clericorum velimus,

II. Edicimus 1. ut Sacerdos quicumque vel ad matutinas Horas in Choro persolvendas, vel ad Sacrum faciendum domo prodit, incedat veste indutus talari. 2. Edicimus, ut in veste breviore, quando ea uti sibi et liccbit, et velit, formæ simplicitas mox descripta perpetuo servetur. Caveant itaque, ne eas sibi formas adsciscant, quæ inter Laicos invehuntur in dies, quod ipsum quoad pileos volumus observari. 3. Inferiores quoque Clericos Civitatis, et Diœcesis volumus perpetuo uti vestibus nigri coloris; vestes tamen coloris subobscuri tolerabimus tantum rusticationis, vel itineris causa; uti et tolerabimus brevius pallium coloris item subobscuri, quo quis per brumalem, vel pluvialem tempestatem utatur. Qui contra hæc singula fecerit, multabitur tribus libris ceræ albæ elaboratæ. 4. Sub eadem pœna vetamus, vestes Clericorum quascumque, quarum nomine etiam pallium comprehendimus, ornari auro, parte vel minima (1); dignus præterea, qui id faceret, haberetur, a quo aurum illud statim diripi juberemus, ac vendi in usus pios. 5. Quotquot horis etiam pomeridianis Templum adeunt divina Officia celebraturi, omnes hortamur, ut et advenientes, et abscedentes veste incedant talari. 6. Clerici, et Sacerdotes omnes lineam vittam collo circumductam gerant semper quo-

(*) De habitu Clericorum, ejusque forma, tum de potestate, quam hac in re habet Episcopus, vide *Lamber. Inst. LXXI. et de Synod. lib. 11. cap. 8. n. 3.*

(1) *Vid. cap.* Clerici officia *de vit. et honest. Cleric.*

ties domo exeunt, etiamsi noctu; quam quidem in omnibus ejusdem coloris, scilicet subalbi, esse decet (1).

III. Præterea Clerici neque cæsariem ita detondeant, ut levitatem p æ se ferant, neque eamdem nutriant (2); et in occipitio, tamquam s iæ dignitatis insigne, coronam habeant capillis in orbem rasis (3), quæ sit ampla pro ratione Ordinis, quo quisque est insignitus (4). Qui hanc ferre neglexerit, eum Canones pœnis subjiciunt. Nulli Clerico f is est comam fictitiam gerere, sive integra ea sit, sive dimidiata, nisi obtenta a Nobis facultate (5); illam vero gestari ab Sacerdote in Ara, dum Sacrum facit, sine Apostolicæ Sedis venia nequaquam licet (6).

IV. His autem Canonibus arctius Clerici Beneficiarii obligantur, de quibus sancivit Benedictus XIII. (7), si habitum Clericalem dimittere, ac laicalem induere non erubescant, ab ipsis fructus Beneficiorum minime fieri suos, immo nec percipi posse; sed eos penitus, non exspectata sententia Judicis, esse sub pœna letalis culpæ convertendos in commodum fabricæ Ecclesiarum, in quibus erecta sunt Beneficia. Sancivit etiam, ab hujusmodi restitutionis onere absolvi reos non posse, nisi ab Romano Pontifice. Tandem locorum Ordinariis facultatem impertitur, ac imperat, ut in hujusmodi Clericos sententiam ferant, qua obtentis Beneficiis aliquando priventur (8).

V. Sed ne Clerici quidem minorum Ordinum, siquidem frui privilegiis Clericorum velint, præter reliqua, quæ requiruntur, Tonsuram, coronam, Clericale vestimenti genus numquam deserant: neque hunc habitum deserant Clerici conjugati, si privilegiis tum Canonis, tum Fori in causis civilibus, et criminalibus juvari velint, præter reliqua ab ipsis servanda (9). Aliter enim, servatis servandis, poterimus eos privilegiis iisdem spoliare.

VI. Jam vero gravissime jubentur Clerici, non modo ab impudicitia omni cavere, sed etiam abstinere ab omnibus, unde manare in eos posset impudicitiæ suspicio. Fugiant igitur omnem fœminarum familiaritatem, immo et præsentiam, solius præsertim cum sola, ne-

(1) *Plur. Synod.*

(2) *Cap.* Prohibete 21. *cap.* Clerici 22. *cap.* Non licet 32. *dist.* 23. *et alibi tit. eodem.*

(3) *Conc. Rom. tit.* 16. *cap.* 3.

(4) *Sic omnes Synodi.*

(5) *Conc. Rom. ibid. Bened. XIV. de Syn. lib.* 11. *cap.* 9. *n.* 5.

(6) *Vid. hujus Synod. P. II. cap. V. n.* 10.

(7) *Const.* Catholicæ Ecclesiæ regimini *relat. in Append. ad Conc. Rom. n.* 5.

(8) *Vid. Trid. Sess. XIV. cap.* 6. *de Ref.*

(9) *Trid. Sess. XXIII. cap.* 6. *de Ref. Conc. Rom. tit.* 6. *cap.* 2. *Bened. XIV. de Synod. lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 1. *et cap. unic. de Clericis conjugatis in sext.*

que colloquia cum iis habeant, nisi necessitas, aut caritas urgeat (1). Neque vero domum habeant cum fœminis communem, nisi forte cum conjunctis sanguine, aut affinitate ad proximiores tantum gradus (*). Fœmina extranea, neque rei familiaris curandæ causa, subintroducatur, nisi ea sit quadragenaria, ac de nostra, sive Vicarii nostri generalis licentia (2). Quæcumque autem sint, et utcumque conjunctæ, si mala fama cœperint laborare, cum iis nequaquam habitet Clericus (3).

VII. Clericus non audeat brachium mulieri inter deambulandum offerre, vel cum ea nocturno tempore incedere: id enim erubescat manus sacris mysteriis tractandis addicta. Item nec fœminam ullam doceat legere, scribere, musica instrumenta pulsare, aut similes artes: si quando autem id expedire videbitur, Nos ipsi, aut Vicarius noster generalis erimus veniam daturi (4).

VIII. Sed pudicitiæ æque, ac sanctitati omnis inimica est crapula, et ebrietas. Attendant igitur Clerici nostri, *ne forte graventur eorum corda in crapula, et ebrietate* (5). Ebriosum autem Sacerdotem, quem neminem futurum confidimus, nullo Ecclesiastico munere fungi diutius patiemur; Clericum ab altiori Ordine arcebimus (6). Neque vero Clerici pedem inferant in tabernas, et cauponas, nisi forte necessitatis causa in itinere constituti (7).

IX. Quod Clerici interdum conviventur inter se paulo lautius, non improbamus, modo rerum apparatus, et usus sit moderatus; facientque optime, si sermonibus, qui pietatem, doctrinamque sapiant, epulas condiant. At vero ea indignamur convivia, eaque impedire animus esset, si quæ haberentur, in quibus hic totum sese in dapes effunderet, ille vino largius indulgeret, unde mimici risus, tumultus, ac saltem infrænis in loquendo licentia. Ab hisce itaque prorsus abstineant Clerici; satiusque facient, si et ab nuptialibus

(1) *Cap.* Clericus 20. *cap.* Volumus 24. *cap.* Clerici 32. *dist.* 81.

(*) Sunt autem hi gradus ex communi sententia primus, et secundus.

(2) *Cap.* A nobis *de cohabit. Clericor. et mulier. cap.* Interdixit 16. *dist.* 32. *cap.* Oportet 23. *et seqq. dist.* 81. *Conc. Rom. tit.* 16. *cap.* 3. *Bened. XIV. de Synod. lib.* 11. *cap.* 4. *n.* 4. *et seqq. Idem Inst. LXXXII. et LXXXIII.*

(3) *Cap.* Inhibendum *de cohabitat. Clericor. et mulier.*

(4) *S. Carol. Conc. Prov. II. tit.* 2. *decret.* 32.

(5) *Luc. cap.* 21. *v.* 34.

(6) *Cap.* A crapula 14. *de vita, et honest. Clericor.*

(7) *Cap.* Non oportet 2. *cap.* Clerici 4. *dist.* 44. *cap.* Clerici officia 15. *de vita, et honest. Clericor.*

V.

abstineant comessationibus (1), quibus Ecclesiastico, utcumque gravi, adesse cum dignitate fere non licet.

X. Porro et de ludis Canones sunt Clericis constituti. Ipsis enim interdicuntur tali, iique omnes alearum ludi, in quibus sors potissimum dominatur; et ludi hujusmodi, quocumque appellentur nomine, interdicuntur ubicumque, atque etiamsi exerceantur per alios. Neque vero Clericis fas est, ejusmodi ludis ludentes spectare, uti neque pro ipsis spondere, aut ædes suas ad istiusmodi lusus commodare, vel quomodocumque concedere. Quidquid vero Clericus, sive in aliorum conspectu, sive clam in hisce deliquerit, severitatem tum Canonum, tum nostram non declinabit (2).

XI. Permitti itaque Clericis dumtaxat illi possunt ludi, qui ad honestam vel animi, vel etiam corporis relaxationem fiunt; quibusque idcirco neque animi, neque corporis vires valde intenduntur. Sed et in his modus servandus. Neque enim decet, Clericum quacumque ratione ludere in locis, ad quæ publicus pateat accessus; neque decet, si in mulierum cœtum ad privatum etiam, ac licitum ludum se inferat. Item quod pro ludentibus spondeat, ad justum non refertur finem levandi animi, et aliquid etiam molestiæ affert victo, præter victoriæ cessionem. In vitio quoque erit, quod abjiciatur vestis Clericalis, quod ea pecuniæ summa exponatur, quæ pro personæ, et rei familiaris qualitate non levis habeatur, quod ludus ad horas protrahatur. Si quis itaque in his peccaverit, opportuna coercitione punietur.

XII. Atqui alia sunt, quæ nullam honesti speciem, formamque præ se ferunt, quibus se abdicare professi sunt Clerici, ut Deo, ejusque servitio impensius vacarent. Ab his igitur prorsus abstineant; et idcirco choreas, saltationes, tripudia, ubi mulieres adsunt, numquam agant (3), neque vel publico, vel privato in loco mulieribus saltantibus pulsent, aut inflent instrumenta, neque umquam personati, aut larvati incedant (4). Sacerdotes, si secus fecerint, a Sacro cele-

(1) Plures Synodi has Clericis interdicunt.

(2) *Cap.* Episcopus 1. *dist.* 35. *cap.* Clerici officia *supra memorat. Concil. Rom. tit.* 16. *cap.* 3. *Bened. XIV. de Syn. lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 2. *et seqq. tum etiam Instit. XXXVII.*

(3) *Cap.* His igitur 3. *dist.* 23. *cap.* Non oportet 37. *dist.* 5. *de cons. Trid. Sess. XXII. cap.* 1. *de Ref.*

(4) *Cap.* Nullus Presbyterorum 35. *dist.* 5. *de cons. cap.* Clerici officia *supra memorat. Bened. XIV. de Syn. lib.* 11. *cap.* 10. *n.* 11. *et* 12, *et Inst. XXXVII. et LXXVI.*

brando prohibebuntur; Clericos vero pecunia multabimus, Ordinumque dilatione ad arbitrium nostrum.

XIII. Sed et illos, ut fuerit visum, puniemus, qui comœdias ab histrionibus publice actas spectatum iverint (1), quique deprehensi fuerint cantilenis, clamoribus, aut quovis instrumenti genere quocumque tempore per vias obstrepere.

XIV. A viis etiam, ac locis, ad quæ personatorum hominum solet multitudo confluere, ut studiose declinent Clerici, enixe optamus, immo et volumus. Si quem vero in illis subsistere, diuque morari non pudeat, eum puniemus arbitrio.

XV. Ad Canones nunc, per quos venatio interdicitur Clericis, Nos convertentes, summam iis reverentiam haberi volumus, etiamsi minime sanciamus, interdici ipsos omni penitus venatione. Quoniam tamen illi potissimum spectant venationes clamorosas, ac populi multitudine celebratas (2), has sibi plane vetitas Clerici sciant; venationum vero genera leviora, si quibus oblectari interdum Clerici volent, sic circumscribimus, ut Clericus numquam ad venandum prodeat sine Clericali insigni, numquam in loca, ad quæ confluit populus, numquam multis sibi sociis adscitis, numquam Festis diebus, aut jejunio sacratis (3). Magna enimvero hac in re moderatione opus est Clerico, ne cælestis Patris sortem cum Esau disperdat in silvis.

XVI. At arma tamen a venatione deponat: arma enim Clerico, præter exiles quosdam cultellos ad crebriores usus (4), permitti nequeunt (5). Quælibet, etiamsi intra baculum inclusa, a Clerico, qui ea gestaret, eripi mandabimus, eumque multabimus scutatis decem. Hortamur vero ipsos, ut arma militiæ Clericorum propria exerceant assidue. Sunt autem arma hæc lacrymæ, fusæ ad Deum preces, sunt jejunia, sunt bona studia, sunt caritatis erga omne hominum genus exercita officia. His animarum hostes frangendi; his hominum mala avertenda; his Ecclesia munienda; his ipsis propriæ utilitatis, aut etiam necessitatis rationibus cuique providendum.

XVII. *Avaritia, quæ est idolorum servitus, nec nominetur in illis, sicut decet sanctos* (6); et quoniam Deo militare instituerunt,

(1) *Cap.* Non oportet, *et cap.*Clerici officia *supra memorat.*

(2) *Cap.* Episcopus *de Clerico venat. cap.* Omnibus *eod. tit. Conc. Lateran. IV. cap.*15.

(3) Plures Synodi his legibus venationem tolerant.

(4) *S. Carol. Conc. Prov. I. part. 1. de armis etc.* §.Idcirco.

(5) *Cap.*2. *de vit. et honest. Cleric.*

(6) *Eph. cap.*5. *v.* 3.

nequaquam se implicent negotiis sæcularibus (1). Quod vero Clericus profanis officiis, et quæstuosis sese immisceat, et in primis quod negotiationem exerceat, est id turpissimum, planeque indignissimum, tum etiam vel maxime urgentibus, iisdemque vetustissimis Ecclesiæ sanctionibus adversissimum (2). Jam porro omnia, quæ contra Clericos negotiatores ab Conciliis, et ab Pontificibus Maximis olim fuerant decreta, innovarunt fel.rec. Benedictus XIV., et Clemens XIII. (3), quorum ea de re scita visum est hic perstringere.

XVIII. Prohibentur itaque Clerici negotiationem omnem exercere non modo per se, verum etiam per interpositas Laicorum personas. Utrovis autem modo exerceant, iisdem subjiciuntur pœnis.

XIX. Mandatur præterea, ut Laicorum negotia ad Clericos, sive hæreditatis jure, sive alia ratione delata, statim ab his dimittantur. Quod si causa necessaria urgente sint continuanda, hujus rei venia erit impetranda ab sacra Congregatione Concilii, ad quam pertinebit tempus continuationi illi præfinire; quin tamen Clerico facultas fiat ea exercendi aliter, atque per Laicos. Neque enim conceditur, ut exerceat ipse per se.

XX. Sancitum pariter est, ne Ecclesiastici consanguineorum bona, quæ sint negotiationibus implicata, procuranda suscipiant, utcumque procuratio hæc caritatis, aut necessitatis esse videatur. Sed si necessitas urgeat, procurandi facultas erit ab Apostolica Sede impetranda; quæ quidem cessabit, simul ac cesset ea consanguineorum necessitas, vel alia idonea iisdem prospiciendi ratio subeat.

XXI. *Activum* quod dicitur *cambium*, esse ejus negotiationis partem, quæ est Ecclesiasticis vetita, indubium plane est.

XXII. Quæ specialiter quibusdam Clericis, justis exigentibus causis, hoc in genere fortasse concessa fuerint, exempli gratia, ut Ecclesiasticos fundos certa annua pacta pensione colendos, exercendosque conducerent; hæc eadem nequaquam ab Ecclesiasticis reliquis, tamquam generaliter omnibus concessa absque justa causa, et speciali indulto, fiant.

XXIII. Oportet vero propositum esse Clericis omnibus, ut quivis intelligat, quandocumque emendo, aut vendendo cum ipsis agi-

(1) *II. Timot. cap.2. v.4.*

(2) *Cap.* Decrevit 1. *cap.* Consequens 2. *cap.* Negotiatorem 9. *cap.* Fornicari 10. *et seqq. dist.* 88. *cap. fin. de vita, et honest. Cleric. cap.* Multa, *ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant. Trid. Sess. et cap. eod.*

(3) *Bened.XIV. Const.* Apostolicæ servitutis *XIII. Bull. Tom.I. Clem.XIII. Encycl.* Cum primum 17. *Septemb.* 1759.

tur, agi non cum avaris, sed cum moderatissimis viris, immo et cum contemptoribus divitiarum; penitusque est nefas, si quis Clericus in ipsa bonorum suorum administratione, eorumque cultura, si in distractione fructuum, animalium, aliarumque rerum omnium, quæ in fundis propriis, Ecclesiæve nascuntur, seu aluntur, si vel in comparandis rebus sive instruendis fundis, sive propriis usibus necessariis sollicitudinem præ se ferat nimiam, et eum mercatibus adesse omnibus populus videat, eumdemque vel observet, vel experiatur in contractibus percupidum, subtilem, callidum, litigiosum, atque in rebus humanis ita defixum, ut non pluris, fortasse etiam minoris ab eo fieri existimet exercitationem virtutum, functionumque divinarum. Personam gerere tam indignam exhorreat Clericus, quæque sunt hactenus edicta, adamussim ab omnibus serventur: si qui enim ea non servent, noverint, se pœnas a sacris Canonibus, et a memoratis Constitutionibus indictas non fore evasuros. Quod si dubitatio aliqua inciderit de contractu aliquo, an licitus Ecclesiastico sit, responsum, ut Summus Pontifex monet, ab sacra Congregatione Concilii petemus. Interim quæ ab ipsa hisce de rebus prodiere decreta, accurate serventur (1).

XXIV. Jam vero et illud improbatur in Clericis, quod sæcularibus servitiis in domibus locupletum, aut nobilium virorum, et fœminarum se dedant (2); quem quidem morem, ut ab Christianis provinciis evellatur, Clemens XIII. vehementer commendat (3). Clericis ergo omnibus sub pœna decem scutatorum, et pro nostro arbitrio suspensionis a divinis præcipimus, ne ipsi in sæcularium, et maxime mulierum famulatu sint; ne Laicorum procurationes in laicis negotiis suscipiant; ne munus suscipiant *Factorum*, ut vocant, eorum villarum, et agrorum; ne apud ipsos ineant officia sæcularia, quocumque tandem vocentur nomine, *Oeconomi*, *Agentis*, *Magistri domus*, et *Administratoris*.

XXV. Si quis vero in domibus sæcularium suscipi velit ad pium aliquod munus, videlicet ut Sacrum ibidem faciat, aut pueros ad pietatem, et literas informet, moneri volumus, et assensum scripto firmatum dabimus. Sed Laici dignos se præbeant, quibus hæc privatim officia præstentur a Clericis, totaque domus iis moribus prædicetur, ut Ecclesiasticus in ea degere non erubescat. Tandem Clerici sacris

(1) *Vid. Bened. XIV. de Synod. lib. 10. cap. 6. n. 3.*

(2) *Cap.* Sacerdotibus 2. *ne Clerici, vel Monachi*.

(3) *Ead. Const.*

Ordinibus insigniti alienam curam, aut tutelam nequaquam suscipiant Nobis inconsultis (1).

XXVI. Debet etiam a Clericali Ordine longissime abesse, quidquid sæcularis fori est, ac veluti tumultum sonat. Quare etsi permittit jus, et Nos ipsi permittere possumus, ut interdum causæ alicujus patrocinium in foro etiam laico suscipiatur a Clerico in sacris constituto; generatim tamen fieret apud Ecclesiam gravissimarum pœnarum reus, qui sponte sua id præstaret; uti etiam qui tabellionem ageret, aut jus diceret partibus in laicali foro litigantibus; multoque gravius peccaret, si sententiam proferret, vel scriberet, vel solum dictaret capitalem (2).

XXVII. Vetantur itidem Clerici testimonium ferre apud Judicem laicum absque permissione Ecclesiasticæ potestatis. Cum vero jubeatur testis ante examen jurare, se testificaturum veritatem rei, in quam inquiritur, hoc Clerici juramentum fas numquam erit a quovis alio excipi, præterquam a Nobis, aut a Vicario nostro generali (3).

XXVIII. Est quoque graviter, et sub gravibus pœnis vetitum, Clerico medicam, vel chirurgicam artem profiteri, aut exercere (4). Neque vero ei hujusmodi artium profitendarum, exercendarumve facultatem alius, præterquam Summus Pontifex facere potest.

XXIX. Ut autem Clerici constanter agant ad normam Canonum, quos proposuimus, itemque legum, quas cum Fidelium reliquo habent communes, non tam comminatione suppliciorum ducendi sunt, quam caritate, ac religione. Dent igitur cum Domino operam, ut sacer ille ignis in eorum cordibus perpetuo ardeat, eaque vocent in usum, quibus hoc consequi liceat; ad quod conducet in primis certum temporis spatium subducere ab occupationibus reliquis, perque id orationi, quæ dicitur *mentalis*, vacare. Hinc enim discent, recta humanis, divinisque de rebus ferre judicia, animi motus moderari, actus sapienter regere, verbo, totam vitam laudabiliter, sancteque componere (5).

XXX. Pertinet eodem lectio accurata librorum piorum. Horum

(1) *Cap.*Cyprianus 4.*caus.*21.*quæst.*3. *cap. fin. dist.* 88. *S. C. Episc. in* Verulan. 15. *Feb.* 1647.

(2) *Vid. cap.* Clerici 1. *de postulando tit. ne Clerici, vel Monachi etc.*

(3) *Vide cap.* Testimonium 9. *ibiq. Gloss. caus.* 11. *q.*1. *S.C. apud Nicolis v.* Clericus *n.* 35. *cap.* Clericum 17. *caus. et q. ead. Monaccll. Tom.I. tit. 6. for.*3.

(4) *Cap.* Ad aures 7. *de ætat. etc. præficien. et ibi Gloss. Vid. Monac. tit.*1. *in Append. ad form. ubi extat Encycl. S.C. Ep. et Regul. De iis, quæ Ecclesiast. decent Bened. XIV. de Syn. lib.*3. *cap.*10. *n.* 5. *et seqq.*

(5) *S. Bernard. de Consid. lib.* 1. *cap.*6.

aliquem ex probatioribus apud se habeant singuli Clerici, hujusque rei rationem ab ipsis in examinibus ad Ordines petemus (1). Itaque ut meditationi, sic quoque piæ lectioni Clericus, si sapiat, habeat tempus quotidianum apud se præstitutum. Sacerdotibus vero, præter hæc, vehementer commendamus, ut Sacrum quotidie faciant ea, qua decet, animi reverentia, corporisque modestia (2). Atque ut ad tremenda mysteria paratiores accedant, tractentque ea sanctius, optimum factu erit, si semel, aut etiam bis in hebdomada Sacramento Pœnitentiæ expientur. Hic autem de Sacerdotibus loquimur nullius sibi letalis criminis consciis.

XXXI. Ab Diaconis, et Subdiaconis nihil præterea reposcimus, nisi illud, ad quod Christianos omnes hortabatur Augustinus (3), ut scilicet singulis quibusque Dominicis, ac solemnioribus diebus divinam Eucharistiam, quanta maxima poterunt, pietate sumant; ab iis vero, qui sunt minori aliquo Ordine insigniti, ut similiter communicent quovis decimo quinto die.

XXXII. Decet autem quam maxime, ut Clericorum quisque divinam in Templo Eucharistiam quotidie horis etiam pomeridianis adoret; atque admodum pium, perindeque utile erit, si ante publicam aliquam Deiparæ Imaginem preces suas in ipsam augustam Virginem pietatis testes fundat. Sic facile Clerici et alia impetrabunt, et illud in primis, quod vehementissime debent petere, ut digni sacris Altaribus fiant Ministri.

XXXIII. Sed quia diuturna experientia compertum est, ad retinendam, conservandamque Clericorum dignitatem, et sanctimoniam maxime conducere, ut spiritualibus Exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte, sancteque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur; Nos interdum in Civitate omnes invitabimus, ut publico, et mutuo exemplo audiant, qui ordine, ac ratione res Ecclesiasticis quam aptissimas tradat. Verum quia commune hoc omnibus esse nequit, Nosque annum vel unum tanto vacuum bono Clericis nostris præterire nollemus; hortamur ipsos, quam maxime possumus, ut curent, aliquos in anno dies ad horum Exercitiorum normam, et regulam, legendo, et orando

(1) *S. Carol. Conc. I. par.2. tit.* Libri a Clericis legen.

(2) *Bened. XIV. de Sacrif. Miss. lib.3. cap.2. §.10. in fin.*

(3) *Aug. relat. in cap.* Quotidie *de cons. dist.2.*

transigere. Cumque hæc in secessu aliquo pio fieri maxime sit opportunum; quotannis nonnullos ex Parochis hujus rei causa evocabimus in nostrum Seminarium, omninoque faciemus, ne umquam triennium prætereat, quin singuli quique sub idoneo moderatore Exercitia hæc ibi peregerint; quæ tamen Alumnis, et Convictoribus Seminarii ipsius erunt annua. Quibus vero annis Parochus quisque non erit exercendus in Seminario, ei, ut in religiosa aliqua domo per decem dies se contineat, hosque in Exercitiis ipsis transigat, sumus auctores; et ab reliquis etiam Sacerdotibus, Confessariis, ac Beneficiatis etiam Chori servitio addictis vehementer optamus, hoc ipsum fieri quotannis, et, quantum interesse perspicimus, commendamus. Felicis autem recordationis Clemens XI. P. M. animarum Rectoribus, Confessariis, Canonicis, Beneficiatis, aliisque Sacerdotibus, et Clericis, qui per decem dies singulis annis eadem Exercitia peregerint in aliqua pia, seu Regulari domo ab Ordinario ad id designanda, et approbanda, ibique diu, noctuque permanserint, atque per hoc tempus vere pœnitentes, et confessi sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, ac remissionem fuit elargitus. Parochos vero per idem tempus semel tantum in anno hujusmodi Exercitiis vacantes a residentia per eos dies absolvit; et iis, qui Chori servitio sunt addicti, voluit nihil quotidianarum distributionum detrahi. Tria tamen commemoratus Pontifex cavit: primum, ut ne secedant absque Episcopali permissione; alterum, ne hæc permissio concedatur Adventus, et Quadragesimæ tempore, et in solemnioribus Festivitatibus; tertium, ut ne omnibus, aut pluribus uno tempore ad Exercitia hæc subductis, Chori servitium vel intermittatur, vel minus decore perficiatur. Et quoad Parochos voluit, ipsis non aliter fieri secedendi facultatem, atque subrogatis prius idoneis Œconomis ab Ordinario approbandis (1).

XXXIV. Superest nunc, ut ea decernamus, quæ ad studia pertinent Clericorum, quorum vitæ pars non exigua in liberalibus artibus, tum vero in humanis, sed præcipue in divinis doctrinis est traducenda. Et ad Clericos quidem quod attinet, quarum doctrinarum peritiam requiremus ab iis, qui volent ad Ordines promoveri, jam ediximus, cum de Sacramento Ordinis egimus. Volumus autem, ut stu-

(1) *S.C.C. in Encycl.* Inter gravissimas 1. *Feb.* 1710. Hæc Exercitia Parochis, et Confessariis commendat quoque Benedictus XIV. *Const.* Ubi primum *II.* §. 3. *Bull. Tom.I.*

dia sua Clerici eo percurrant ordine, qui servari jam vulgo consuevit, nec ad altiorem scholam festinent, quam de justo in inferioribus progressu testimonium ferre possint. Nos vero non aliorum testimonium ad Ordinationem probabimus, quam Magistrorum nostri Seminarii, aut Præceptoris, cujus audiendi facultatem Clerico Nos ipsi fecerimus.

XXXV. Nunc ad Sacerdotum memoriam revocamus, eorum esse divinam et credendi, et agendi legem, tum vero Ecclesiæ præcepta annuntiare Fidelibus; idcirco oportere ipsos commode, et ex veritatis regula posse de illis dicere. Sint igitur literarum Sacrarum, sint Ecclesiasticarum disciplinarum studiosi; habeantque apud se libros, non tamen quoscumque, sed probatissimos, quibus Catholica dogmata, Canonicum jus, Theologia moralis, Ecclesiastica historia, Liturgicæ res exponuntur. Ac ne hi sint totidem testes inscitiæ ejus, a quo possidentur, ipsos assidue, atque attente pervolvant. His vero in libris nominatim Concilium Tridentinum, et Catechismum Romanum jussu S. Pii V. editum, et a Clemente XIII. præcipue inculcatum comprehendimus. Quibus addenda et hæc nostra Synodus, cujus ex studio facile intelligent, quæ sibi ipsis usui futura sint, quæque sint aliis pro eorum munere traditURI.

XXXVI. Omnes vero, sed præcipue Confessarii excolant quovis tempore disciplinas morales, assidueque intersint Congregationibus casuum conscientiæ habendis bis per singulos menses, Octobri excepto, pro consuetudine, et Constitutione Synodi præcedentis, ac juxta nostrum hac de re Edictum, quod exstat in Appendice (1). Hæc Congregatio habeatur Feria IV.; quod si quidpiam impediat, habeatur omnino die aut præcedente, aut consequente. Ad hanc vero, nisi justa causa Nobis aperienda excuset, cum in Civitate, tum in Diœcesi convenire tenentur Parochi omnes sæculares, et regulares, omnesque Confessarii sæculares (2), immo omnes de Clero (3), sub pœna julii unius, quam pœnam commemorato Edicto nostro, cujus singula capita adamussim servari volumus, gradatim ad julios tres pias in causas erogandos extendimus. Qui erunt Congregationibus hisce a Secretis notent quoscumque, qui ab ipsis quandocumque abfuerint. Sacerdotibus præterea, qui obeundis olim Ecclesiasticis muneribus proludunt, edicimus, eosdem pro studio, ac diligentia, qua hisce

(1) *Append. N.X.pag.26.*

(2) *Plura decreta S.C.C.apud Lambert. Inst. CIII.*

(3) *Synod. Prænest. sub Rufo tit. de sac. Cærem. et casuum collat. cap.2.*

collationibus interfuerint, in iisque sese gesserint, experturos, se rem et Nobis gratam, et sibi apud Nos non inutilem fecisse.

XXXVII. His collationibus præsidebunt in Civitate Vicarius noster generalis, in Diœcesi Vicarii foranei, quibus et locum, et diem, prout tamen supra constituimus, eligendum relinquimus. Quem vero diem elegerint, publice tabella in Sacrario apposita significabunt.

XXXVIII. Sacerdotes omnes ita convenient, ut quivis, cujus nomen ex urna educatur, de casu nostra jussione proposito ad discutiendum eo die, quo collatio erit habenda, possit sententiam ferre. Immo vero quid unusquisque censuerit, ad Congregationem afferat scriptum; atque is, cujus nomen fuerit sorte ductum, ut propositas in casu quæstiones dissolvat, scriptum illud, adjecto suo nomine, postmodum ei tradat, qui Congregationi est a Secretis. Hæc enim scripta, una cum nominibus eorum, qui desiderati sunt, ad Nos mittentur, qui curabimus, ut expendantur illa a Theologo viro, qui suum de propositis quæstionibus judicium ferat quotannis publicandum.

XXXIX. Mox adsit Clericus, qui aliquam Concilii Tridentini, aut Catechismi partem italice reddat, ad quod ne imparatus veniat, erit a Præside, antequam dissolvatur conventus, in conventum alterum designandus. Deinde unum, aut alterum etiam hujusce nostræ Synodi caput erit legendum, ex iis præsertim, quæ ad Sacramentorum administrationem, atque usum spectant; et statis per annum diebus horum capitum loco legenda erunt monita, quæ legi præscripsimus, cum de Pœnitentiæ Sacramento egimus.

XL. Præter publicas hasce, quas jussimus Congregationes, alias privatim, constanterque haberi optamus, in quibus praxis Sacramenti Pœnitentiæ exhibeatur, et juniores Ecclesiastici in concionibus, in Catechesibus, in expositione sacræ Scripturæ, et in primis sacrosancti Evangelii exerceantur. Parochos sane, ac doctiores, ferventioresque Presbyteros ultro occursuros confidimus convenire volentibus ad exercitationem tanto usui futuram, et ex qua ipsa fructus uberrimi, iidemque maxime salutares jure exspectantur; speramusque, eosdem eorum, qui convenient, colloquia, mutuasque de re præsertim morali disceptationes excepturos, ac moderaturos, nihilque prætermissuros eorum, quibus tam sancta, tamque fructuosa exercitatio alatur, atque foveatur. Ut igitur hujusmodi exercitationes habeantur, serventurque, iterum, atque iterum commendamus.

XLI. Et omnia quidem, quæ capite hoc sive præcepimus, sive proposuimus, eo pertinent, ut Ecclesia idoneos semper habeat Ministros, quibus ad Dei gloriam, filiorumque suorum salutem uti pos-

sit. Si qui autem erunt, quibus hæc et multa, et magna, et difficilia videantur, secum ipsi persæpe, sed præsertim in annuo Exercitiorum spiritualium curriculo cogitent, quid dignitas, quid munera postulent Clericorum, quorum imaginem sic describit Chrysologus (1): *Clericus est, qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter Altaria semper, neque a Dei oculis recedit umquam; qui peccatorum causas, dolores populi suscipit, fert, offert, ingerit preces, accipit, refert, restituit impetrata, ex homine totus in Angelum substitutus*.

CAPUT II.

DE USURIS, AC DE VETITIS QUIBUSDAM CONTRACTIBUS NON CLERICORUM MODO, SED ET LAICORUM HONESTATI CONTRARIIS.

Quia *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas* (2); muneris ratio a Nobis postulat, ut de iis agamus, quæ pertinent ad justitiam erga alios servandam, simulque ad honestatem non Clericorum tantum, sed etiam Laicorum, qui neque apud Deum insontes erunt, nec apud homines non laborabunt infamia, si alios lædendo, aut jus cuique suum non tribuendo, idest duo maxima juris præcepta transgrediendo, justitiam ipsam violaverint. Exponemus vero de his haud omnia quidem, quod infiniti prope esset operis, nec ea, quæ sunt omnibus manifesta; sed præcipuos dumtaxat, magisque usitatos indicabimus modos, quibus injustitia solet obvolvi justitiæ pallio, ut ab his quisque caveat. Atque utinam major spes esset, eos, qui se avaritiæ dediderunt, ex gurgite iniquorum quæstuum, qui vera sunt detrimenta, fore emersuros! Cadit enim in spinas, per quas suffocatur, Evangelicum semen, cum talibus verbum Dei annuntiatur (3). Itaque edicenda visa sunt, quæ sequuntur.

I. Omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, usurarium, et illicitum est. Neque ad usuræ labem purgandam ullum arcessiri potest subsidium ex eo, quod hoc lucrum non excessivum, et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat,

(1) *Serm. XXVI. num.* 1.
(2) *I. Tim. cap.* 6. *v.* 9. *et* 10.
(3) *Matth. cap.* 13. *v.* 22.

nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agendis negotiis utilissime sit impensurus (1).

II. Usurarius ergo est contractus, quo cavetur, ut frumentum, vel quid simile, mensura contracta, vulgo *alla rasa*, demensum, conferta mensura, vulgo *a colmo*, restituatur; vel quandocumque aliquid ultra sortem sive in pecunia, sive in qualibet alia re exigatur, aut pro exactione intercesserit conventio (2): *usura enim est*, *ubi amplius requiritur*, *quam datur* (3). Et usuræ crimine sese contaminant mutuantes, qui aliquid ultra sortem paciscuntur, vel exigunt, etiamsi se obligent ad non repetendam sortem ad certum tempus (4). Est etiam usura, cum aliquid ultra sortem exigitur, etiamsi non exigatur tamquam debitum ex justitia, sed tantummodo tamquam debitum ex benevolentia, et gratitudine (5). Multo vero minus ad usuræ maculam eluendam ratio valet ex eo petita, quod numerata pecunia pretiosior sit numeranda (6).

III. Possunt sane cum mutui contractu quandoque concurrere tituli alii mutuo ipsi extrinseci, nimirum lucri cessantis, aut damni emergentis, ex quibus justa oriatur causa exigendi aliquid ultra sortem ex mutuo debitam. Sed falso, et temere affirmaretur, ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, ut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, aut quid aliud hujusmodi alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium recipere moderatum, ultra sortem integram, salvamque (7).

IV. Neque vero fas est mutuum, ad lucrum inde captandum, dare sub ementitis aliorum contractuum, et nominatim societatis, aut cambii, minime realium speciebus.

V. In contractibus quoque censuum larvata usura quandoque sese insinuat. Cum autem in Diœcesi nostra vigeat Constitutio S. Pii V.: *Cum onus*, præceptum cognoscimus, ne aliter, atque juxta formam in illa præscriptam census in Diœcesi nostra creentur; sumusque parati Constitutionis ejusdem omni, quo poterimus, modo executionem urgere. Præsertim vero sedulo curabimus, ne personales census

(1) *Bened. XIV. Encycl.* Vix pervenit *ad Italiæ Episc. CXLV. Bull. Tom.I.*

(2) *Cap.* Consuluit, *cap.* In Civit. *de usur. can.* Si fœneraveris, *can.* Putant, *can.* Plerique, *et can.* Usura *c.14. q. 3.*

(3) *Eod. can.* Usura.

(4) *Ex prop. 42. inter damnat. ab Alex.VII.*

(5) *Ex prop. 42. inter damnat. ab Innoc.XI.*

(6) *Ex prop. 41. inter damnat. ab eod.*

(7) *Bened. XIV. ibid.*

in eam clanculum inducantur, qui sane in laudata S. Pii Constitutione proscripti sunt, ubi ad census honestatem, inter cæteras conditiones, hæc quoque requiritur, scilicet ut census constituatur in re fructifera, non qualicumque, sed immobili, et nominatim designata.

VI. Edicamus et pauca de venditionis, atque emptionis contractu, in quo hæc præcipue servanda. 1. Ne pretium rerum, quæ venduntur, si legale sit, augeatur parte ulla ob solutionem dilatam; si sit commune, et vulgare, ne ullo modo ob causam eamdem excedatur ex limitibus pretii vulgaris summi. Quidquid nimirum aliter exigeretur, esset lucrum ex implicito mutuo, essetque usura. Ita etiam ne quid ob anticipatam solutionem detrahatur de pretio legali, neve quid pecuniæ minus, legali pretio deficiente, numeretur, atque ferat infimum pretium vulgare. Usura enim est, non solum ubi ultra sortem ex mutuo aliquid exigitur, sed quotiescumque *ex quolibet negotio turpe lucrum exquiritur, aut per diversas species vini, vel frugis, vel cujuslibet rei emendo, vel vendendo aliqua incrementa suscipiuntur* (1). Non solum igitur nequeunt mutuo dantes *quidpiam inde sperare* (2); *sed nec superabundantiam, quidquid illud sit* (3), vendentes possunt exigere. Cæterum nec intelligere possumus, vulgaria illa pretia rerum, præsertim primæ necessitatis, esse justa, quæ maxime calamitosis temporibus definiuntur ab summa avaritia vendentium, qui summa ementium necessitate abutuntur; et quæ paucis post mensibus, tempore videlicet messis, aut vindemiæ, ab ementium summa avaritia taxantur, pari venditorum necessitate abutentium. 2. Emptor, et venditor debent omnem omnino fraudem, ac dolum abjicere, et bona fide contrahere: peccat quippe venditor, et restituere tenetur, si decipiat vel in *substantia* rei venalis, vel in *qualitate*, vel in *pondere*, vel in *mensura*; uti etiam peccat emptor, et ad restitutionem tenetur, si venditorem decipiat vel in *substantia*, vel in *pondere*, vel in *quantitate* monetæ, quam pro pretio rei sibi venditæ tradit, itemque si monetam tradat adulterinam. 3. Peccant emptor, et venditor, cum subornant, interponuntque personas, quæ sub conditionibus fictis, et dolosis efficiant, ut res veneant vel infra, vel ultra justum pretium. 4. Peccant etiam monopolium exercentes, totiesque ad restitutionem tenentur, quoties inferunt damnum. Ut vero ab venditionibus, et emptionibus rerum, quarum justum pretium ignoratur, et in primis a distractionibus immobilium bonorum fraus omnis, et dolus, atque idcirco læsio-

(1) *Can.* Si quis oblitus *caus.* 14. *quest.* 4.
(2) *Luc. cap.* 6. *v.* 35.
(3) *Can.* Putant *caus.* 14. *quest.* 3.

nes arceantur, monemus gravissime, ne hæc aliter vendantur, atque æstimata a peritis. Quod intelligi volumus etiam de bonis, quæ distrahuntur cum pacto de retrovendendo ad solius vendentis favorem. Nam tale pactum adjicere ad favorem ementis, vel ad favorem utriusque, esset contractum inire certissime injustum, et usurarium. Neque vero contractus venditionis cum pacto redimendi carebit injustitiæ labe ex parte emptoris, si alterutra ei adjiceretur conditio, vel de re majori pretio redimenda, quam empta sit, vel quod venditor non possit fundum redimere, nisi post certum tempus.

VII. Hæc autem pauca monere de contractibus visum est. In cæteros enim contractus, qui per singula Diœcesis loca ineuntur, volumus, ut Parochi inquirant, palamque edicant Fidelibus, injustos contractus esse, qui manifesto sunt tales; dehortentur vero eosdem a contractibus, quos periculosos noverint, et de quorum justitia non constet, ac præcipue a contractu, quem *trinum* vocant.

VIII. Nostri autem Diœcesani numquam obliviscantur, Christi Domini, ut mox dictum, esse præceptum, cum mutuum datur, ne quid inde speretur. Cogitent etiam a Deo per Prophetam fuisse edictum *ad usuram dantem, et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet. . . . . morte morietur, sanguis ejus in ipso erit* (1). Quidvis vero negotii sint acturi, ob oculos habeant legem illam gravissimam (2): *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura; statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius: Ego Dominus*: item verba illa Apostoli (3): *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus*; ac tandem, nihil homini prodesse, si vel *mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (4).

CAPUT III.

DE CANONICIS CATHEDRALIS, ET COLLEGIATARUM ECCLESIARUM.

Neminem Canonicorum nostræ Cathedralis, tum etiam Ecclesiarum Collegiatarum Diœceseos ignorare arbitramur, quæ de Clericorum vita, et honestate generatim præcepimus, eam præcipue Cleri partem obstringere, quæ honoris gradu, atque ut plurimum etiam sa-

(1) *Ezech. cap. 18. v. 13.*
(2) *Levit. cap. 19. v. 35.*
(3) *I. Thess. cap. 4. v. 6.*
(4) *Matth. cap. 16. v. 26.*

cro stipendio supra cæteras eminet, scilicet Canonicos, qui hac ipsa appellatione sua profitentur, eam se vitæ secuturos rationem, quæ Plebibus, apud quas degunt, et inferioribus Clericis, quibuscum vivunt, norma esse possit, ac regula. Satis tamen non est, si Canonici illa exsequantur. Tenentur enim ipsi obligationibus aliis sibi cum Clericis Beneficiariis communibus, aliis etiam peculiaribus, ac propriis Canonicorum. De his agere jam aggredimur, non dubitantes, quæ decernenda in Domino judicabimus, eadem ita ipsos accepturos, et servaturos, ut cæteri, si qui sint inter minores Clericos ad desidiam, vel negligentiam propensi, ipsorum pietatem, tum vero Ecclesiasticæ disciplinæ studium, atque in divinis Officiis assiduitatem, constantiamque suspicientes, tam illustri exemplo ad divina diligentius, et religiosius tractanda excitentur, atque inflammentur.

I. Præter Regulares professos Choro ex eorum Ordinum institutione addictos, de quibus non est, quod Nos dicamus, tenentur quotidie, privatim saltem, Canonicarum Horarum pensum persolvere omnes, et singuli Clerici, qui aut majore aliquo Ordine initiati sunt, aut Ecclesiasticum possident Beneficium. Nam qui Beneficium habent a Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis, tenentur eas recitare publice, et conjunctim in Choro, prout in Beneficii institutione præscriptum (1). Qui vero legitime non impeditus ex Canonicis Horis sive nullas recitat, sive notabilem partem omittit, eo die letalis culpæ fit reus (2); et præterea, si Beneficiatus sit, *Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii, et temporis suos non facit; sed eos tamquam injuste perceptos in fabricas ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur* (3). Hæc tamen fructus restituendi obligatio sic adimplenda est, *ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserint, omnes Beneficii, vel Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero Matutinum tantum dimidiam, qui cæteras Horas omnes, aliam dimidiam, qui harum singulas sextam partem fructuum ejusdem diei amittant* (4).

II. Sic etiam qui pensionem ex Ecclesiastico Beneficio, aut Ecclesiasticos fructus ut Clericus percipit, tenetur recitare quotidie Officium parvum B. Mariæ Virginis in totidem Horas tributum; qui-

(1) *Conc. Later. IV. can. 17. S. Pius V. Const.* Ex proximo *CXXXV.*

(2) *Innoc. III. cap.* Dolentes *19. de celeb. Miss.*

(3) *S. Pius V. Const. ead.*

(4) *Idem ibidem.*

que hujusmodi Officium aut totum, aut ex parte sine legitimo impedimento omittat, similiter peccat, atque amissioni fructuum est obnoxius (1).

III. Hanc vero noxam si qui contraxerint, etiamsi contraxerint non alio teste, præterquam propria conscientia, fructus eo, quo dictum est, modo amittunt, atque in Beneficiorum fabricas, vel in pauperes erogare tenentur, nisi rei velint fieri etiam injustæ illorum occupationis, aut detentionis (2). Nos certe, si quid forte de hujusmodi crimine comperiemus, reparationem vi urgebimus, et contumaces Beneficio, vel pensione, iis servatis, quæ sacri Canones statunnt, spoliabimus. Verum non immerito cum iis Nos agere existimamus, qui vocationem suam inter Insigniora Dei beneficia recensent, quique hoc ipsum sibi injunctum orandi munus magni semper facient, semperque gratum habebunt, quo fiunt Deo propiores, ejusque numini, ac majestati, Angelorum more, fratrum suorum offerunt vota.

IV. Pronunciandum est autem totum Officium distincte, et clare. Uti enim qui legendo hæret, claudicat, errat, turpe audit, nec fortasse quid ipse pronunciet, assequitur; ita nec facile assequitur is, qui lingua fertur præcipiti; immo si ob immodicam celeritatem verba ipsa non profert, ne obligationi quidem satisfacit.

V. Est etiam divinum Officium attente, ac devote recitandum; atque idcirco opportunus debet locus deligi. Optime sane, magnaque cum laude coram Deo faceret, qui ejus recitationem in Ecclesia, vel Sacello aliquo expleret. At is saltem sit locus, qui orantem haud dedeceat, quique sit ab strepitu remotior, ne huc, illuc peregrinandi mens habeat ex loco occasionem.

VI. Tempus præterea, quoad fieri potest, servandum. Quare ii præsertim, qui illud quasi ex consuetudine negligunt, et culpam vereantur, et pœnas, quibus divinum Officium præter præscriptum tempus persolventes a Deo plectuntur, quas ne ipsi quidem sanctissimi viri ob leviusculam negligentiam evadere interdum potuerunt (3).

VII. De ritu quoque præceptum est, ut in Canonicis Horis legendis utamur solo Breviario Romano, quod jussu S. Pii V. ex Concilii Tridentini auctoritate editum est. Ut igitur omnes uno ore honorificemus Deum, Kalendarium quotannis Romano Kalendario confor-

(1) *Idem ibidem.*

(2) *Ex prop. 20. et 23. inter damnat. ab Alex. VII.*

(3) *Petrus Damian. Opusc. XXXIV. Vid. Lambert. tot. Inst. XXIV.*

me edemus ; quo utantur omnes, qui Officium recitare tenentur; quamvis non excludimus peculiaria quorumdam locorum Officia, prout Rubricæ, et Romanarum Congregationum decreta ferunt.

VIII. Canonicos vero, ac Beneficiatos Choro addictos vehementissime hortamur, ut ad divinas laudes conjunctim in sua quique Ecclesia recitandas, aut decantandas omni religione, atque cultu sedulo incumbant, præscriptamque omnes ore, habitu, corpore, ritibus disciplinam, ac legem servent, nihilque agant, aut etiam cogitent, quod et loci, et habitus, et muneris sanctitate, atque decere minus dignum videatur. Interea quædam generatim edicimus omnino servanda.

IX. Ac primo, ut hora Chori non significetur solum editis æris campani signis, sed in loco ipso accurate teneatur.

X. Omnes interim meminerint, teneri se Choro interesse congruo, et consueto ornatos indumento pro temporis, ac sui muneris ratione: quod nisi fecerint, tamquam absentes habendi.

XI. Deinde meminerint, teneri se, cæteris sive cantantibus, sive psallentibus, ea, qua decet, pietate, attentione, ac vigilantia omnino cantare, vel psallere. Decretum est enim, atque statutum: *Canonicos Choro quidem interessentes, assistentesque, minime vero canentes, psallentesque, nullo pacto ex præbendis, et distributionibus facere fructus suos; atque adeo restitutioni obnoxios esse, et fore* (1).

XII. Omnes Horæ integre singulis diebus recitentur in Choro Cathedralis, neque harum ulla, quæcumque inciderit causa, omittatur. Item quibus diebus recitari solet, ac debet in Choro Officium B. Mariæ Virginis, defunctorum, seu psalmi pœnitentiales, aut graduales, ne quid horum non recitetur. Canonici vero Collegiatarum, quæ plures sunt in nostra Diœcesi, neque omnes onere æquali gravatæ, de his servent ad mensuram oneris earum singulis superinducti (2).

XIII. Omnes, et singuli, qui Choro intersunt, Præfecto Chori, et cæremoniarum Magistro in iis, quæ ad Chori servitium spectant, alacres pareant; neque ullus umquam operam suam in iis, quæ ad sacrarum functionum perfectionem, et decus sunt necessaria, desiderari patiatur.

XIV. Si qui servitio Chori addicti, præter tempora jure concessa, aut præter casus itidem jure probatos, e Chori servitio aut toto

(1) *Bened. XIV. Lit. in form. Brev.* Præclara decora §. 8. *Bull. Tom. III. in supplem. n. 4.*

(2) *Synod. Prænest. sub Rufo hoc tit. in principio.*

die, aut aliqua illius parte se subducant, vel non ita impleant, uti præscriptum, ii sciant, præter culpam, quam pro negligentiæ qualitate contrahere possunt, defectionibus hisce propositam esse pœnam, ut pro earum singulis rata distributionum portio absenti, sive delinquenti subtrahatur in reliquos æque distribuenda, qui actu Choro rite intersunt. Hæc pœna sumenda omnino de illis est, quin locum ullum habeant collusiones, remissiones, vel cujusquemodi pacta (1); immo neque Capitulum, neque Episcopus ipse potest amissas de jure distributiones cuiquam remittere (2).

XV. Quare eligatur quotannis a Capitulo Cathedralis, eligaturque item a singulis Capitulis Collegiatarum Canonicus, olim *Obedientiarius* dictus, nunc vero *Punctator* (3). Faciet autem rectius quodcumque Capitulum, si elegerit duos, ut, uno impedito, alter non desit, tum vero, ut alicujus a Choro, vel ab aliis functionibus, quibus interesse teneatur, absentiam ambo uniformiter testantes, omnem ab se suspicionem fraudis removeant. Hi simul atque electi fuerint, jurent coram Capitulo, summa se fide servaturos quidquid et statuta Capituli, et Synodales super punctationibus Constitutiones edicunt. Si quid porro Punctator ipse socorditer permitteret, ut ad alios, quam quibus debebatur, distributio perveniret, ultro se ipse in obligationem illis hanc restituendi conjiceret. Magna quidem habet opus vigilantia, constantissimaque erectione animi, ne quid umquam humanis affectibus tribuat; Nosque pro muneris nostri ratione vehementer eidem hæc commendamus.

XVI. Punctandi autem ratio hæc servetur. Integro unius diei servitio octo punctationes respondeant; una scilicet Matutino, ac Laudibus, una item Missæ cantatæ, et una singulis ex reliquis Horis. Si, ut plures uno die canantur Missæ, præceptum sit, singulis hisce punctatio sua respondebit. Qui Choro in Matutino non aderunt, antequam absolvatur psalmus *Venite*, in reliquis Horis, antequam absolvatur primus psalmus earum, in Missa, antequam sit decantatum ultimum *Kyrie*; hi omnes tamquam absentes punctatione plectendi. Item qui a Choro abscedit, antequam explcatur ultima oratio Missæ, aut alicujus Horæ, punctandus, perinde ac si neque Missæ, neque Horæ illi interfuisset (*). Similiter si qui ex iis, qui adsunt in Choro, pro-

(1) *Trid. Sess. XXIV. cap. 12. de Ref.*

(2) *S. C. C. apud Lambert. Inst. CVII. §. 7. n.* 42.

(3) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 2.

(*) Hæc punctandi ratio desumpta est ex S. Carolo *Conc. Prov. I. par.* 2. *tit.* Quando . . . . . . ad divina Officia conven. §. Si quis venerit; tum etiam ex Lambertinio *Inst. CVII. §. 4. n. 23. et §. 14. n. 89.*

pterea quod Missam solemnem canere, aut eidem inservire debeant, Horas privatim recitando præveniant, notentur et hi punctatione, quæ Horis respondeat, quas secum ipsi privatim legunt. Sunt et punctationes pro absentia ab aliis functionibus, quibus, qui Chori servitio sunt addicti, interesse tenentur. Quod ad has pertinet, serventur Ecclesiæ cujusque consuetudo, et statuta.

XVII. Verum ex Ecclesiæ pietate quædam sunt causæ, quibus si quis a Choro absit, non idcirco distributione privandus. Sunt hæ ex decreto Bonifacii VIII. (1), in usum revocatæ a Tridentino Concilio (2), *infirmitas, seu justa, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas*. At in hisce causis observanda sacræ Concilii Congregationis decreta, ne distributiones iis decernantur, quibus minime debentur.

XVIII. Nihilominus placet commemorare, non esse levissimi cujusvis morbi rationem habendam, ut quis valetudinis causa a punctatione eximatur. Eximit ab hac certe infirmitas, qua domo exire quis impediatur; nec tamen cuicumque domo exire concessum est, illi semper onus incumbit, ut Choro intersit. Itaque hac in re boni viri arbitrium, et Medici judicium attendi volumus (3).

XIX. Porro ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, quotiescumque in nostra Cathedrali Fidelium Confessiones actu excipit Canonicus Pœnitentiarius, ita præsens censetur, ut nihil distributionum, aliorumque etiam emolumentorum eidem decedat (4). Canonicus Theologus absens, quo die lectionem habet, ut se ad hanc præparet, distributiones lucratur. Item lucrantur, qui in Cathedrali, et Collegiatis curam habent animarum, dum aut Fidelium Confessiones audiunt, aut aliud opus pertinens ad curam animarum exercent (5); qui Episcopo Episcopalia exercenti in Civitate assistunt (6); qui spiritualibus, quod in capite præcedente observatum est, Exercitiis vacant in domo aliqua Pia; (Constitutioni enim nostræ Cathedralis, quæ domum hanc limitat intra Diœcesim, in hac parte derogamus;) qui pro negotiis Capituli absunt (7). Singulos tamen hoc loco monemus, ne de Ecclesiæ necessitate pro libito judicent, neve censeant, se posse divinorum Officiorum tempore aut Confessiones audire, aut Missam privatim celebrare distributionibus integris. Nostrum est de hoc judicare. Ac si non pri-

(1) *Cap.* Consuetudinem *unic. de Cleric. non residen.*
(2) *Sess. XIV. cap.12. de Ref.*
(3) *Lambert. ibid. §. ult. n. 100. Plur. Syn.*
(4) *Trid. Sess. XXIV. cap.8. de Ref.*
(5) *Lambert. ibid. n.56.*
(6) *Ibid. §.9. n. 60. et 61.*
(7) *Ibid. n.54.*

vata Sacerdotis commoditas, sed Ecclesiæ necessitas postulet; permittimus, ut de Præfecti Chori licentia liceat uni, aut etiam alteri Canonico, ad summum vero tertio in sola Cathedrali, et quidem solis diebus servitii communis (1), prodire ad Sacrum faciendum, modo in Choro non remaneant minus, quam octo in Cathedrali, quinque vero in Collegiatis. Beneficiatorum vero uno tempore non pluribus, quam uni licentia hæc concedatur in Cathedrali, et quidem solis diebus servitii communis. Similiter non alii, præter Canonicum Pœnitentiarium, eosque, quibus in Cathedrali, vel Collegiatis animarum cura concredita est, ob Confessiones auditas frui distributionibus possunt, quam quos ex legitima causa Nos ipsi speciatim designabimus (2). Cum vero Capituli negotiis alio avocatur Canonicus, ad Episcopum pertinet *examinare, an causa negotiorum vere subsit, et quascumque collusiones, et illicitas remissiones inter Canonicos prohibere* (3). Denique monemus, eos tantum justa causa impeditos posse distributiones quotidianas percipere, qui antea non impediti Choro interesse consueverunt (4).

XX. Optamus autem maxime, hortamurque ex animo, ut quoties in Choro, præter Canonicas Horas, ac debitas Missas, recitantur Officium B.Mariæ Virginis, aut defunctorum, psalmi graduales, aut pœnitentiales, Canonici, et Beneficiati his non desint; nec deerunt certe, si quanti faciendæ sunt, tanti faciant Indulgentias, et quidquid spiritualis lucri ex illorum recitatione capere possunt, et nisi velint ostendere, se minus lucro hujusmodi, quam temporali stipendio allici ad Chori frequentiam.

XXI. Sunt tamen tempora, quibus Canonici, ac Beneficiati nostræ Cathedralis, tum etiam Collegiatarum Paliani, et Cavarum, non omnes simul, sed certo inter se ordine vacationibus fruuntur sibi Apostolica auctoritate concessis. Quibus autem diebus concessa, ut diximus, quisque fruitur vacatione, fit distributionum particeps, perinde ac si ipse interesset. Observandum est autem, vacationes hujusmodi numquam sumendas esse in Adventu, numquam in Quadragesima, numquam in solemnioribus Festivitatibus, neque umquam sumendas ita, ut Chorus nimis infrequens fiat, ac divinus cultus minuatur. Et quamquam præcipere possit Episcopus, quota pars debeat semper in Choro interesse, Nos ab hoc præcipiendo abstinemus, de-

(1) *Synod. Fran. sub Rufo de disciplin. Chori.*
(2) *S.C.C. in* Lucana 1. *Martii* 1635.
(3) *Lambert.ibid.n.*54.
(4) *S.C.C.apud eund.ibid.*§.8.*n.*46.47.

Canonicorum nostrorum pietate cogitantes, numquam passuram, ut Chori servitium non satis decore impleatur.

XXII. Quod si vacationis tempore Canonicus velit a Diœcesi abesse, petere a Nobis, aut ab Vicario nostro generali debebit discedendi licentiam, quæ ei non denegabitur, si nullum inde detrimentum Ecclesiæ servitio futurum sit (1).

XXIII. Traditur in Rubricis, tum vero in Cæremoniali, et a Nobis inde collecta in Appendice exhibebitur disciplina Chori universa (2). Hanc cognoscant Ecclesiastici omnes, ediscant probe, et cum dignitate exequantur. Interim cogitent et rei, quam agunt, et loci, in quem conveniunt, sanctitatem, et Angelorum, quibus psallendo junguntur, consortium, et majestatem Dei, apud quem pro Ecclesia legatione funguntur. Hinc enim facile enascentur, enutrienturque affectus, ad quos Scripturarum, et Ecclesiæ verbis, ritibusque sacris excitantur; atque hinc etiam fiet, ut maledictione non involvantur illa, cui obnoxii evadunt, qui faciunt opus Dei negligenter.

XXIV. Hæc quidem de iis, quæ pertinent per sese ad Dei cultum. Sed quia Ecclesiæ redditus, qui Ministrorum congruæ sustentationi supersunt, in sustentationem pauperum, aliosque pios usus sunt erogandi; hinc est, quod Canonicis, (idem prorsus de Beneficiariis omnibus judicium esto,) curæ esse debet, ut omni, qua possunt, diligentia præbendas suas tueantur, et augeant, quin tamen ea de causa jus ullius violent, ullive sint injuriosi.

XXV. Jam porro ad utrumque finem, servandi, amplificandique cultus Dei, et rerum administrationis tuendæ, ac moderandæ, cogendi sunt, neque hoc raro, Capitulares conventus. De quibus communiter statutum, ut habeantur semel in mense (3), non tamen die Festo (4); citius vero, si qua urgeat causa, sed numquam tempore, quo divina persolvuntur Officia.

XXVI. Si qua difficilis deliberatio expediri capitulariter debeat, opportunum erit, ut is, qui Capitulum indicendi jus obtinet, dum Capitularibus tempus significat, ad quod indicitur, significet etiam, quæ conveniendi sit ratio, et causa.

XXVII. Capitularium quivis, simul atque habendi Capitulum tempus aut constitutionibus eorum definitum, aut legitima convo-

(1) *Ex Lambert. ibid. §. 16. n. 92.*
(2) *Append. N. XIV. pag. 33.*
(3) *Plur. Synod.*
(4) *S. C. C. in* Meliten. 1602. *in* Andrianen. 1622.

catione indictum adventat, vocari se a Deo existimet, ut iis, quæ Dei sunt, viriliter, prudenterque prospiciat. Nemo itaque prætexat, ne intersit, causas alienas, aut inanes. Poterit tamen non interesse, si valetudo ita postulet. Quivis etiam in ipsa actione privatæ utilitatis, ac partium studia deponat, jura Ecclesiæ, quibus tuendis sacramento se obstrinxit, sola veritatis, ac justitiæ ratione habita, discernat. Satis habebit, si in disceptandis rebus graviter, et utiliter dicat. Hoc totum ita agat, ut a facilitate, comitate, modestia nihil aberret.

XXVIII. In omnibus Capituli deliberationibus, ac nominatim in electionibus servandum, ut Capitularium quisque libertatem retineat. Nemo igitur seu publice, seu privatim officiis, promissis, recordatione consanguinitatis, vel beneficiorum, vel amicitiæ, sive alia quavis hujus generis ratione trahere aliquem in suam sententiam studeat: sola quippe justitiæ, ac veritatis regula res conficienda.

XXIX. Ea de causa, si quando hoc loco sit disceptandum de re, quæ speciatim pertineat ad Canonicum aliquem, vel ad alium illi consanguinitate, aut affinitate ad secundum usque gradum conjunctum, sponte ipse sua e concilio discedat, neque ad illud antea revertatur, quam ea tractatio fuerit absoluta (1).

XXX. Suffragia ad rem aliquam definiendam non aliter umquam, atque secreto ferantur (2); et quidquid major Canonicorum eo die congregatorum pars constituerit, firmum erit, atque decretum (3). Quidquid vero non fuerit in isto consessu hoc modo statutum, irritum sit (4). Quidquid una consultatione, pro rerum, ac temporum varietate, non potuerit perfici, subjiciatur alteri Capituli iterum convocati consultationi.

XXXI. Literæ ad Capitulum scriptæ non alibi, quam in Capitulo legitime coacto aperiantur, ac legantur; similiterque legantur, et obsignentur, quas ipsum scribi jusserit. Qui Capitulo sunt a Secretis, tum hæc, tum responsiones, testificationes, atque alia nomine, ac prascripto ipsius Capituli agant. Iidem ipsi acta Capituli diligenter excipiant, actuumque Capitularium libro committant (5). Esset vero pœna falsi damnandus, quisquis eorum vel minimum quidpiam addidisse, mutasse, detorsisse, prætermisisse deprehenderetur.

(1) *Plur. Synodi*; quod statutum laudabile esse, atque approbandum declaravit *S. C. C. in* Paterbonen. *9. Aug.* 1704.

(2) *S. Carol. Conc. IV. part. 2. tit.* Quæ pertinent ad Capit. §. Cum de rebus.

(3) *Cap.* Cum in cunctis *de iis, quæ fiunt a majori parte Capituli.*

(4) De potestate, quam hac in re habet Episcopus, plura apud Crisp. *de Visit. part. 2.* §. 30.

(5) *Vide Monacel. Tom. I. tit. 5. form. 2. num. 34.*

XXXII. Est autem tum in Ecclesia Cathedrali, tum etiam ut plurimum in aliis Ecclesiis, Collegiatis Tabularium, seu locus, quem vulgo *Archivium* dicunt, in quo et monumenta quævis vetera locata sunt, et nova reponuntur in dies, atque apto disponuntur ordine, quæ iisdem Ecclesiis aut alicui ex peculiaribus ipsarum cœtibus, sive personis usui vel fuerint, vel olim futura sint, quorum monumentorum genera non numeramus, cum sint notissima. Sed cum intelligamus, detrimentum, nec raro grave, accipere Ecclesiæ jura, et res, si quod ex hujusmodi monumentis periret, aut etiam vitiaretur; decernimus, ut alias in Synodo Ferrariensi decrevimus (1), excommunicationem latæ sententiæ tum in eum, qui sine facultate sibi a Nobis, aut a Vicario nostro generali facta, scriptum quodvis, aut librum quemvis in usum privatum e capitulari Tabulario transferat extra capitulares ædes, tum etiam in eum, qui ex aliquo eorum quidpiam detrahat, immutet, abradat, seu alia ratione corrumpat.

XXXIII. Custodes vero Tabulariorum cujusque, qui saltem duo sint, habeant ejus claves, curentque, ut omnia, quæ ibi asservantur monumenta, sint quam apte ordinata, et præcipue advigilent, ne commisso sibi deposito ulla ex memoratis injuriis afferatur.

XXXIV. Rem hanc totam concludimus gregi nostro significantes, Clericis Canonicali dignitate insignibus quovis loco, ac tempore non vulgarem esse honorem habendum. Præsertim vero omnes Sacrariorum Custodes, quotiescumque Canonicus ad faciendam in eorum Templis, vel Oratoriis rem divinam accesserit, hunc honorem ita significent, ut eum reverenter excipiant, atque ipsi, prout ferunt decreta, primas in sacris indumentis, in eorumdem sumendorum loco, denique in Altari ornato deferant (2).

CAPUT IV.

DE VICARIIS FORANEIS.

Ad Episcopalis muneris curas in pagis, et oppidis ex parte exercendas auctoritate, et nomine Episcoporum, ex reliquo vero adjuvandas, Chorepiscopi olim constituebantur, quorum in locum suffecti nunc sunt Vicarii, qui dicuntur *foranei*. Ad hos spectat, extra Civitatem in pagis, et oppidis in causis quibusdam levioris momenti jus dicere, ac jurisdictionem exercere ad certos dumtaxat actus limi-

(1) *Part.IV. cap.II. n.17.*

(2) *S.R.C. 29. Martii in* Reciaetensi.

tatam; a quorum tamen sententia liberum est ad Episcopum appellare (1); et præterea ad munus eorum hæc volumus pertinere.

I. Inspiciant 1., an Parochi apud greges suos commorentur; an in Christianam rudium institutionem satis incumbant; an Sacramenta suis populis facile administrent; quemadmodum se erga infirmos gerant, quibusque caritatis officiis hos prosequantur. 2. Qua diligentia annua funebria, et reliquæ obligationes ex variis testatorum præscriptionibus persolvantur. 3. Num Piorum locorum res, et fundi diligenter habeantur. 4. Num pareatur decretis in sacra Visitatione, et in hac nostra Synodo editis. 5. Tandem Parochiales libros quotannis visitent, exquirantque, utrum ea ratione sint comparati, quam Rituale Romanum præscribit, eaque asserventur ratione, qua opus est. Hæc perscrutari Vicarios jubemus; ac si quid in his a Parochis, vel ab aliis, ad quos pertinent, peccari cognoverint, prudenter quidem, ac perhumaniter, sed prompte tamen, ac libere, nostra interposita auctoritate, peccantes admoneant, jubeantque, quidquid peccatum sit, emendari. Quod si gravior esset res, graviusque remedium videretur exigere, eam Nobis, aut Vicario nostro generali significent.

II. Jam et ab singulis Ecclesiasticis reposcant, quidquid fuit de Clericorum vita, et honestate decretum; præsertim vero ab Clericis nondum ad Sacerdotium promotis, ut doctrinam Christianam tradant, inserviant Ecclesiæ, crebro Sacramenta suscipiant, ut impense studiis operam navent, ut nihil agant, quod eorum Ordini dedecori esse videatur; et si quid peccari Vicarii deprehenderint, cum eorum Rectoribus de remedio deliberent.

III. Eorum præterea sollicitudo complecti et Laicos debet, maxime sicubi periculum Catholicæ fidei timeatur. Quare curent diligentissime, ne pravi umquam libri in gregem irrepant; ne sint qui vagis se hominibus addant; ne Hebræi diutius morentur, quam concessum ipsis sit; ne quis scholas aperiat, nisi et facultate a Nobis accepta, et fidei professione edita. Quæ omnia, etsi ad Parochorum quoque munus ita pertineant, ut ab his eorum ratio exigi debeat; volumus tamen, Vicarios etiam in hæc advigilare, volumusque ab iisdem curari, ut qui testamenta scribunt, aut recipiunt ex jure, id penitus impleant, quod ipsis impositum fuit (2).

IV. Perficiant autem omnino Vicarii foranei, ut Parochi, Con-

(1) *Gloss. in Clem. 2. verb.* Foraneo. (2) *Part. II. cap. VI. n. XIV. Casuum reservat.*

fessarii, Sacerdotes, Clerici eorum Vicariatus bis in mense conveniant ad collationes casuum conscientiæ, quibus collationibus ipsi quoque intersint, præsideantque, harumque collationum rationem, peculiari a Nobis Edicto in Appendice hujus Synodi referendo traditam, curæ, ac sollicitudini suæ creditam habeant (1). Ipsi vero et habitæ Congregationis testimonium, et fasciculum eorum, quæ scripta fuerint, et quoties, quibusque de causis hujusmodi congressibus quis non interfuerit, per se, aut per Congregationis Secretarios ad Nos mittant.

V. Quocumque tempore alicujus momenti negotium inciderit, idque maxime urgeat, nec moram patiatur, Vicarius consilium in arena, ut ajunt, capiat, et pro re nata continuo decernat, aut provideat; simul tamen nihil exspectet, quo illud sive coram, sive per literas Nobis, aut Vicario nostro generali significet. Cæterum crebra intercedat necesse est Vicariorum cum nostra Curia rerum, consiliorumque communicatio; idcirco præter quam quod literas ad nostrum Vicarium generalem, aut etiam ad Nos identidem dabunt, quoties in Civitatem venerint, non ipsis discedere hinc liceat, quin a Vicario nostro generali, et a Nobis, quo tempore in Civitate morabimur, si quæ dicenda ipsis sint, exquisierint.

VI. Cum Parochus aliquis in morbum incidit, eum officii causa conveniat Vicarius. Parocho autem defuncto, Tabularii Parochialis clavem accipiat sibi Vicarius ipse, et quæcumque scripta deprehendet, vel libros, qui ad Parochiam spectant, sigillo obsignet suo. Tum hæc omnia depositi nomine custodienda committat idoneæ personæ, quæ pœnam violati depositi dabit, si quid ex illis resignari, aut alio transferri sinat, nisi ab eo, cui Nos mandaverimus. Moneat etiam hæredes Parochi de gravi culpa, de excommunicatione, de crimine repetundarum, si rem quampiam Ecclesiæ occupent, sive subducant.

VII. Hæc quidem a Vicariis singulis exspectamus; sed magnos, et uberrimos fructus jure, eoque magis Ecclesiæ Ferrariensis experimento pollicemur Nobis ex ipsorum annuo apud Nos conventu, ut agamus simul de omnibus, quibus provideri sit Diœcesi necessarium, vel opportunum. Hæc Congregatio, ad quam omnino convenire ipsos mandamus, annuæ Synodi speciem habebit, cujus et diem, et formam designabimus in Appendice (2), et nostris literis quotannis habendam monebimus.

(1) *Append. N. X. pag. 26.*

(2) *Append. N. XXXI. pag. 79.*

CAPUT V.

DE PAROCHIS.

Ad vos nunc sermonem convertimus, Venerabiles Fratres, qui mysteriorum Dei dispensatores, Nostrique in ministerio nostro adjutores estis assumpti, quique Pastorum in Ecclesiis dignitate decorati onera etiam sustinetis. Vos sane similitudinem refertis non Apostolorum modo, quos posuit Deus in lucem gentium, non modo Angelorum, qui in ministerium missi sunt propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, sed ipsius æterni Dei Filii, qui, ut homines in cælum eveheret, factus est homo, vitamque, ac mortem huic operi, caritate plane divina, totus impendit. Gravissimum tamen, et ipsis Angelicis humeris formidandum impositum est Pastoribus onus. Nam si cuique difficile futurum est, suæ tantummodo animæ rationem æquissimo Judici reddere; quanto erit difficilius illis, qui præsunt, quibus indictum, durissimum de ipsis faciendum judicium? Nos certe cum cogitatione hac maxime urgeamur, præter alia, quæ, Domino adjuvante, conati jam sumus, semperque efficere conabimur, hanc quoque Synodum et habendam duximus, et magno animo suscepimus, in eam erecti spem fore, ut gregi nostro, Nobisque ipsis tremenda illa die sit non leviter profutura. Ipsi vero Parochi, ut dignitati muneris, in quo sunt positi, respondeant, et onus, quod diximus, pari virtute, Domino auxiliante, sustineant, instent pro viribus, ut ea serventur, quæcumque ad pravos populorum mores corrigendos, eosdemque ad virtutem, atque pietatem formandos decrevimus. Etsi autem eos tota hac Synodo alloquamur, et in partem sollicitudinis nostræ vocemus; nihilominus ex re esse putamus, quædam potiora in unum collecta iisdem hoc loco proponere, et vehementissime, ut facimus, in Domino commendare.

I. Ac primo cum de Parochi officio suscipiendo quis cogitat, serio perpendat, num ad illud, tamquam Aaron, vocetur a Deo. Si enim ne Christus quidem semet ipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed omnino id accepit a Patre; quanta erit indignitas, si quis a Deo haud vocatus ad animarum regimen capessendum contendat? Expendat ergo is, de quo agimus, lance sanctuarii, nulloque modo dolosa, quid sit, quod in munere spectet, utrum scilicet ut vitam omnem accuratissimæ muneris procurationi devoveat, ipsamque, si opus erit, pro ovium salute, Christi exemplo, profundat, an ut honoris, vel terreni

commodi, aut lucri cupiditati indulgeat. Qui enim ambitione, vel alia temporali ratione ducitur, non a Deo certe, sed a Diabolo vocatur. Væ autem et illi, et gregi! Cum enim non vocatus a Deo ad honorem obrepat, veniet ad oves non tam Pastor, quam lupus, ut rapiat, et mactet, et perdat, denique ut sanguis omnium, qui ejus culpa perierint, de manu ipsius judicio quam severissimo requiratur.

II. Cujus autem recta fuerit mens, rectus animus, quique ipse nec temere opinetur, cætera sibi suppetere, quæ ad Parochi munus rite obeundum sunt necessaria; is si Parochiam sibi optet, non modo arcebit penitus, quidquid simoniam ad Beneficia captanda poterit olere, sed ne admovebit quidem electori commendationes magnatum, aut præstantium virorum, infixumque animo illud Evangelicum dictum semper habebit, quod et patroni, erga quos hoc officiorum genus adhibetur, perpendere pariter debent: *Qui non intrat in ovile per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro* (1). Is vero ipse feret æquissime dilationem, repulsam, electionem aliorum; ac si eo honore dignatus fuerit, ita lætabitur in Domino, ut simul suscepti oneris magnitudinem, et gravitatem serio recogitet.

III. Quicumque autem fuerit Parochus renuntiatus, optimum erit si omnium primum in aliquam Regularium domum spiritualibus vacaturus Exercitiis ad decem saltem dies secedat, ac serio singillatim expendat, quid valeant, quasque obligationes denuntient Tridentini illa verba (2): *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, easque verbi Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia Parochialia incumbere* etc.. Nimirum hæc expendens plane intelliget, in eo se positum esse, ut forma gregis factus ex animo, hunc in judicio, et veritate pascat, ac regat. Implorabit autem sibi per eosdem dies virtutem ex alto, qua suæ, aliorumque saluti se totum impendat, et qua subinde vitæ suæ rationem omnem sic moderetur, ut aptissime respondeat his finibus. Hæc vero, juxta proposita ex Tridentino verba, sibi fideliter servanda proponet.

IV. Cum primum Parochiæ regimen cœperit, adeat singulorum, qui de Parochia sunt, domos, singulasque oves de facie, ac nomine cognoscendas curet, ædium habitudinem notet, familiæ numerum, variasque ætates, et vitæ conditiones intelligat. Hoc enim aliquando,

(1) *Joan. cap.10. v.1.*

(2) *Sess. XXIII. cap.1. de Ref.*

ac fortasse non raro, utile esse poterit, ut varia peccata arceantur.

V. Qui novi in Parochiam incolæ aliquando venerint, hos curet quam primum cognoscere, aut eos ad se venire jubeat, neque id ultra dies quindecim admodum differat. Si qui autem horum non sint in vicinitatibus noti, investiget, quænam vitæ eorum sit ratio; tum si fœminas uxorum instar habeant, quibuscum vivant, exigendum Matrimonii testimonium ab Parocho, qui eos conjunxit, vel saltem ab Parocho, e cujus Parœcia profecti proxime sunt.

VI. Inquirat idem assidue in singularum ovium vitam, et mores; num odia, rixæ, inimicitiæ inter ipsas exardescant; num in contractibus admittantur usuræ, aut iniquitates aliæ; num sacris hominibus, rebus, locis reverentia habeatur; num audiantur blasphemiæ; num sponsi commune habeant tectum, et sicubi conjuges habeant sine nostra auctoritate diversum; num in alicujus domo obscœnæ exstent picturæ. Qua in re eo præsertim tempore diligentissime vigilare Parochum volumus, quo domos, atque cubicula lustrali aqua aspergit. Hujusmodi vero picturas, si quas offenderit, moneat dominum domus, ut eas inde penitus tollat. Sic autem, veluti fodiens parietem, abominationes reperiet nimis fortasse multas; quibus tamen de medio tollendis oportebit, cum alacri semper animo instare, ac cogitare, Deum, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat, sæpe diligentiæ Pastorum rependere, quod oves errantes in viam salutis reducat.

VII. Ea autem vitia primo evellenda suscipiat, quæ horridiora sunt, quæque grassantur latius. Pestem igitur profligabit prohibitorum librorum, tum etiam irreligiositatem in Templis, et fœminarum luxum, inque corporis cultu immodestiam; illam præcipue, qua pene nudatis omnino brachiis, nudatisque pectore, et collo ad scapulas usque, prodire in publicum earum aliquot non verentur. Et quidem, si quæ fuerint in Civitate, aut Diœcesi ea ratione actu incedentes, hasce ingressu in Ecclesias omnino prohibemus, volumusque in easdem, tamquam in personas, quæ publico sunt scandalo, animadverti. Quæ perversa in mulieribus vestiendi consuetudo, etsi in nostra Diœcesi, Deo favente, nondum inoleverit, ut ea tamen semper absit, hæc præsertim Parochis præscribenda putavimus. Cœtus quoque, in quibus masculi, ac fœminæ promiscue conveniunt, sunt periculi pleni, sive nocturni sint, sive diurni, ac præsertim in areis. Istiusmodi igitur cœtus Parochi satagant, ne cogantur. Et quia in areis non modo virorum, sed etiam fœminarum opera eodem tempore necessaria esse potest; agant Parochi serio cum patribusfamilias,

ut fœminarum cœtibus alius omnino, atque cœtibus marium sit locus, aut ubi fœminæ admittuntur, ne alii tolerentur mares, quam ex ipsa familia, quos in officio parentes contineant. Neque enim hi debent existimare, se satis conscientiæ suæ facere, si tantummodo ad Parochum deferant liberorum, aliorumve peccata, quæ admitti permiserunt, cum deberent, possentque impedire. Et illud præterea ferre non possumus, quod ex Civitate, ac Diœcesi turbæ adolescentium, atque adolescentularum promiscue, et absque necessaria sejunctione in agros, ac vineas Urbis, finitimorumque locorum ad varias in illis, easdemque notissimas operas exercendas se conferant. Ut autem removeatur tam periculosa, et perniciosa confusio, Parochorum quidem curæ committimus, sed et præcipimus per quam districte, ut aliæ personæ præficiantur turbis adolescentium, aliæ turbis adolescentularum, quæ singulas turbas in officio contineant, quin alias cum aliis, noctu præsertim, versari sinant. Atque ut de horum Præfectorum probitate, ac fide certi simus, sub pœna scutatorum decem in pias causas erogandorum, aliisque moderandis arbitrio vetamus, id munus ab aliis assumi, atque ab iis, quos Vicarius noster generalis ad id muneris scripto gratis concedendo approbaverit. Parochos etiam advigilare oportet cauponis, atque tabernis; oportet eos prospicere, ut omnia, quæ inde nasci solent malorum genera, (sunt autem hæc plura, et gravia,) plane cognoscant, et, quoad cum Domino poterunt, ex his etiam locis eadem eliminent.

VIII. Porro his, aliisque malis auferendis, aut prohibendis, principio patienter, omnique caritatis officio allaborent. Plures enim flectuntur his, quam vi, atque terroribus. Quæ tamen peccata sunt publica, eademque saniorem gregis partem valent inficere, quæque tolerare non consuevit Ecclesia, ea publicis quoque increpationibus, minis adjectis, retundant. Quibus, si ad meliorem frugem rei non adducantur, de hoc volumus admoneant Nos, qui ad extremum aggrediemur contumaciam perfringere. Quæ vero Nobis deferre quotannis singuli Parochi debent, teneant, quodque hac super re in Appendice traditum est, observent diligentissime (1).

IX. Atque ut satis distincte Parochi quique suas oves agnoscant, præcipimus, ut singularum censum minute quotannis describant, unde tum ipsarum numerus, tum cujusque sexus, et ætas legenti pateat; item qui nati, qui baptizati, qui confirmati, qui Matrimonio conjuncti, qui defuncti eo anno fuerint. Inscribatur autem hic codex:

(1) *Append. N. XXXI. pag. 79.*

Status animarum, sitque a reliquis quatuor, de quibus supra egimus, Parochialibus libris diversus. Erit vero peropportunum, si censum hunc sub Quadragesimæ initium perscribant. Cujus quidem census duo exemplaria esse volumus: unum, quod apud se Parochus cum reliquis Parochialibus libris asservet; alterum, quod a se subscriptum, et Parochiali sigillo obsignatum ad Curiam nostram mittat, cum olea sacra e Cathedrali petet, aut petitum aliquem mittet.

X. Præter quinque Parochiales libros, quos volumus esse firmiter compactos, accurateque ex regulis Ritualis Romani conscriptos, alia sunt scripta, quæ diversis nominibus ad Parochiam pertinent, testamenta, codicilli, instrumenta, inventaria, reddituum rationes, apochæ, literæ, quibus Reliquiæ, vel Indulgentiæ conceduntur, et quibus etiam revocantur, utrarumque indices, Acta Pastoralium visitationum, Synodus nostra, Edicta, atque alia. Habeant quoque Parochi sigillum Parochiale insculptum, referens cum Parochiæ nomine effigiem Titularis ejusdem Ecclesiæ. Hoc utantur in actis Parochialibus, ac in literis ad Curiam datis, prætcrea minime. Quæ omnia cum Parochialibus libris diligenter ordinanda, et custodienda in Tabulario sera, clavique firmiter occluso, quod extrinsecus inscribatur: *Archivium Ecclesiæ Parochialis*. Sit vero cuique interdictum gravissime, quidpiam de tabulis in hoc Archivio exstantibus vel leviter corrigere, detrahere, alio asportare. Qui vero in suo Tabulario custodiendo oscitans fuerit, reus apud Deum fiet cum hujus negligentiæ, tum etiam damnorum, quæcumque ex hac consequantur.

XI. Tenentur quoque omnes animarum Curatores pro ovibus suis Sacrificium offerre, Est enim aperte declaratum peculiari Constitutione fel. rec. Benedicti XIV. (1), qui curam animarum actu exercent, seu perpetua ea sit, seu temporaria, quocumque distinguantur nomine, sive Parochi, sive Vicarii, sive etiam Œconomi, sive sæculares sint, sive regulares, teneri Dominicis singulis, aliisque per annum Festis ex præcepto, Sacrum facere, fructumque hujus medium applicare pro populo, cujus cura est ipsis commissa, neque illum pro aliis applicare, aut eleemosynam aliunde oblatam iis diebus percipere. Immo ne morbo quidem obligatione hac vel ad tempus liberantur; sed tenentur id munus alteri Sacerdoti committere (2). Quare inter Missarum onera Missa hæc Parochialis distincte recensea-

(1) *Ex Const. Bened. XIV.* Cum semper oblatas §. 1. *et seq. Bull. Tom. I.*

(2) *S. C. C. in resp. ad dub. ab Emo Crescentio proposit. in relat. Stat. Ecclesiæ Ferrarien. 7. Martii 1763.*

tur, Missarumque Revisores hujus quoque oneris expleti rationem exigant. Facient porro Parochi rem Nobis pergratam, ac Revisoribus commodam, si cum hasce Missas describunt, diem etiam distinguant, quo celebratæ fuerint. Quod vero in hac ipsa Constitutione de animarum Curatoribus longe pauperrimis laudatus Pontifex statuit (1), locum in Diœcesi nostra, Dei gratia, adhuc non habet; neque idcirco Nobis causa suppetit utendi facultate legem illam moderandi. Curatores autem ipsos, quocumque distinguantur nomine, hortamur, ut assiduas pro eorum grege preces Deo fundant, hisque corporis aliquot afflictationes adjungant, quo sibi, et ovibus misericordiam, et gratiam inveniant. Quidquid enim ipsi faciant pro gregis salute, id totum erit inane, nisi ipsorum labores per Dei gratiam fiant fructuosi. *Nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus* (2).

XII. Nos autem ægre ferremus, quod dies vel unus elaberetur absque ulla Sacri in Parochiali qualibet Ecclesia celebratione; quodque si vel unus e Parochialibus audire Missam quotidie vellet, tanto fraudaretur bono. Constanter ergo Parochus quisque perficiat, ne Ecclesia sua vel uno die Missa careat.

XIII. Neque possemus, nisi vitio vertere, si quis ex Parochis piissimas, sanctissimasque functiones postremo Hebdomadæ majoris triduo, quæ ab universa Ecclesia peragi solent, prætermitteret. Nam si inopiam, et imperitiam Ministrorum causatur, huic incommodo facile occurritur. Cum enim a Benedicto XIII. peculiaris editus fuerit hujus temporis ritus, in quo neque magna Ministrorum præscribitur copia, neque magnus in illis erudiendis, exercendisque labor sit impendendus, nihil est, cur eodem non utatur. Ac ne quinam hic rituum ordo sit, quærere quis debeat, ipsum integrum in Appendice exhibebimus (3).

XIV. Haud vero hoc loco debita laude fraudabimus Parochos, quorum studio quædam pridem instituta, ac subinde usu firmata deprehendimus Deo plane acceptissima. Hujusmodi sunt cantus Vesperarum diebus Festis, recitatio Rosarii B. Mariæ Virginis, piissima institutio, quæ *via-Crucis* vocatur, aliaque id genus usu, et auctoritate Ecclesiæ probata. Volumus, hæc sedulo retineri, ut populus sancte Festos dies transigat. Qui populus etiam ubi, et per quos Festos dies

(1) *Const. ead.* §.8.
(2) *I. Corinth. cap.3. v.7.*
(3) *Append. N. XV. pag. 39.*

usus invaluit, benedicatur Eucharistia solemniter. Posset saltem quovis die Festo cum pyxide benedici; utque fiat, optamus.

XV. Considerandum præterea Parochis est, sui esse muneris prædicationem verbi Dei, et traditionem Christianæ doctrinæ. De quibus etsi alibi plura diximus, nunc tamen Parochis, ut serio hæc attendant, proponimus 1. Urgeri eos præcepto plane divino pascendi oves suas verbi Dei prædicatione. 2. Teneri, Plebes sibi commissas docere ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. 3. Hoc pabulum a Pastore præbendum populis pro suo, et eorum captu, et cum facilitate (1), et brevitate sermonis statis diebus inter Missarum solemnia, annuntiando vitia, quæ eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadant, et cælestem salutem consequi valeant. 4. In explicanda doctrina Christiana diligentes eos esse oportere, neque omittere diebus Festis hoc tam utile, et necessarium exercitium, parvulis frangendo panem, idest per utiles interrogationes eos docendo. 5. Denique esse Episcopis auctoritatem plectendi per Ecclesiasticas censuras, si opus sit, Parochorum negligentiam, si tam necessario eorum muneri defuerint (2). Monemus item, ut die Dominico cum populus adest frequentissimus, ei Indulgentias annuntient, si quæ proxime occurrent, tum dies Festos, atque jejunia, si quæ erunt proxima hebdomada celebranda; itemque certis, quæ præscribemus, temporibus legant, ac explicent, quas indicabimus Constitutiones, tum Episcopalia quædam decreta (*), postremo publicent, quæcumque ex rerum, ac temporum necessitate mandabimus. Cum vero iisdem occasio se dederit loquendi adversus aliquod crimen, quod sit reservatum, volumus, ut reservationis hujus populum prudenter, et caute moneant. Volumus etiam, ut instante messis tempore exponant, quæ de spicilegio sancivit s. m. Benedictus XIV. Horum vero epitomen dabimus in Appendice (3).

XVI. Atqui Parochus præclare admodum Magistri suæ Plebis munere fungeretur, si hanc excitaret ad studium orationis, quam dicunt *mentalem*, eamdemque Plebi ipsi familiarem efficeret. Hoc scilicet s. m. Pontifex Benedictus XIV. vehementer commendat (4). Neque difficile cuiquam erit, hujus exercitationis utilitatem, ne dicamus necessitatem, e divinis Scripturis, Sanctorumque exemplis eruere; tum etiam materiem ejus lectissimam, eamdemque uberrimam, ac

(1) *Trid. Sess.V. cap.11. de Ref.*
(2) *Ibidem.*
(*) Vide indicem post Appen. *pag.* 113.
(3) *Append.* N.*XXII. pag.*60.
(4) *Const.* Quemadmodum *XXIII. Bul. Tom.II.*

modos simul varios cuique hominum generi ad meditandum accommodatos proponere. Libros huic rei opportunos, (exstant autem plurimi,) conquirat diligens Pastor, ex iisque decerpat, quod suis ovibus ministret, et quomodo ea fieri debeat, populum edoceat.

XVII. Conferet autem mirifice ad morem hunc sive inducendum, sive retinendum, si curet itidem Parochus, quod a Nobis impetrabit facillime, ut Concionator per aliquot Quadragesimæ dies, vel alius alio tempore populum detineat, et pascat spiritualibus Exercitiis, quæ viam ad legem Dei perscrutandam satis commodam sternunt.

XVIII. Sequitur, ut Parochi gregem suum pascant Sacramentorum administratione. De quo officio hæc ante jam tractata ad eorum memoriam revocamus. 1. Quoad poterunt, Sacramenta administrent ipsi per se. 2. Sint alacri semper voluntate, eaque in Deum, et proximum caritate ferveant, per quam quasi nihil despiciant, ac se despicere ostendant incommoda omnia, quæ, ut suo fungantur munere, haud admodum raro eos devorare oportebit. Potissimum vero diebus Festis tempestive ad meridiem usque, præter functiones in Altari, sedeant audiendis pœnitentium Confessionibus prompti. Quo in munere oportet, eos esse vel maxime assiduos adventantibus solemniis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, a Dominica Palmarum ad aliam in Albis, in Dominica Pentecostes, et Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ac Sancti Agapiti, aut ejus, qui Parochialis Ecclesiæ sit Titularis: idcirco hisce temporibus ampliorem absolvendi eis concessimus facultatem. 3. Semper præsto sint ægrotantibus sincero caritatis studio succensi. Si quis vero Parochi culpa Sacramentorum præsidio destitutus moriatur, crimen hoc quantum sit, palam omnibus fiet gravitate pœnarum, quas de ipso sumemus.

XIX. Sacramentalia, benedictiones, et preces ab Ecclesia institutas Parochi haud negligant, sed expleant omnino; eorumque utilitatem, et usum commendent. Servent itaque ad Templi aditus lustralem aquam in vasis mundissimis, ideoque crebro purgandis, renoventque eam fere octavo quoque die. Sacros cineres die primo Quadragesimæ rite dispensent. Benedictiones candelarum die Purificationis, et ramorum olivarum, sive palmarum in Dominica majoris Hebdomadæ minime omittant. Parochus quisque singulas Parochiæ suæ domos per consueta tempora, pro usu in tota Ecclesia recepto, lustralis aquæ aspersione purget. Præterea vineis, fructibus, cibis, aliisque rebus benedictiones in Rituali Romano præscriptas impertiantur summa cum religione, tum etiam facilitate; ac cætera faciant, quæ juxta idem Rituale sunt ab ipsis per occasiones explenda.

XX. Quoniam tamen, ut Sanctus Leo Magnus inquit (1), *validiora sunt exempla, quam verba*; caveat, aut potius, (agimus enim cum viris spectatæ pietatis,) pergat Parochus quisque cavere, ne quod ædificare verbi Dei prædicatione conatur, in suam, suarumque ovium perditionem evertat pravitate exemplorum. Sit igitur forma gregis ex animo, unde cum Paulo dicere possit (2): *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*. *Sit*, ut inquit Gregorius (3), *Rector operatione præcipuus, et vitæ viam subditis vivendo denuntiet. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare*.

XXI. Absit vero ab Parocho non solum avaritia, sed vel ipsa avaritiæ species, quæ ipsius labores sæpe inanes prorsus redderet. Quid enim magis inhumanum, ut hoc unum commemoremus, quam ante ora lacrymantium ob carorum interitum quæritare funerum lucra, atque hæc ab iis, qui vetere inopia, recentique dolore confecti, novam offendunt rei familiaris jacturam, et in magna rerum perturbatione versantur? Quis vero id agat? Ille videlicet, qui sibi jam sumpserat, et quem omnes exspectabant, ut et inopiam, et animi ægritudines levaret.

XXII. Non sane ignoramus, qui pascit gregem, de gregis lacte manducare; novimusque, sua Ecclesiæ esse jura, quæ tueri fas Parocho est, et negligere interdum iniquum. Ecclesiasticos enim fundos diligenter habere, efficere, ut agrorum cultus industrie geratur, quæ aliunde exigenda sunt, quæ ad Ecclesiam spectant, neque donare, neque divendere, et alia ejusmodi ita non vituperantur, ut negligentia in his punienda censeatur, atque etiam emendanda, si quæ ex ea consequantur damna. Debentur hæc, Ecclesia ipsa vindice, Parochi vitæ, moderate quidem, sed honeste prorsus sustentandæ; debentur pauperibus ex Ecclesiæ facultatibus alendis; debentur Templi, aliarumque ædium reparationi; debentur denique sacræ supellectili aut comparandæ, aut reparandæ. Verumtamen si quæ controversiæ de aliquo Ecclesiastico, vel Parochiali jure excitentur, volumus, ut omnium primum earum in caritate compositio tentetur; hortamurque Parochos, ne se ad hanc præbeant difficiles, si quod inde facile tolerabile detrimentum res eorum privata sit acceptura. Hoc enim vere lucrum erit opibus omnibus ex Christi doctrina præstantius.

XXIII. Si res aut prorsus nequeat componi, aut componi non

(1) *Serm. de jejun.*
(2) *I. Corinth. cap.* 11. *v.* 1.
(3) *Past. part.* 2. *cap.* 3.

possit facile, eam ad Nos deferri mandamus. Nam cognita causa, quod rectum fuerit constituemus; et, ne ullam ipsi subeant invidiam, curabimus.

XXIV. Pauperum præterea, ac miserabilium personarum curam paternam oportet Parochos gerere. Sunt vero permulti, qui his nominibus designantur. Hujus siquidem generis sunt orphani, pupilli, viduæ derelictæ, puellæ obnoxiæ periculis, invalidi senes, ii denique, qui pro sua conditione mendicare erubescunt. Hos omnes, quibuscumque poterit, subsidiis Parochus juvet; et quidquid sibi ab sui ipsius honesta sustentatione, et ab usibus Ecclesiæ reliquum fuerit, in hos impendat. Non poterit fortasse unicuique esse satis. Sed si magno misericordiæ exemplo crebras ad populum adhortationes adjunxerit, et interdum singulares casus, providentiam, quam præstare ipse nequit, requirentes, ditioribus ea, qua opus est, prudentia exposuerit; sine dubio experietur, hanc agendi rationem personis, de quibus agimus, fore magnopere profuturam.

XXV. Haud tamen permittant Parochi, se cujusquam tutores, aut curatores institui (1). In quo succurrant egentibus, jam satis habent aliunde; essetque perquam laudabile, si etiam temporalia sua alteri curanda ex parte, aut etiam ex toto concederent.

XXVI. Parochi testamentis conficiendis sæpe intererunt, interdum etiam scribere ipsimet rogabuntur; nec recusare prorsus licebit. Faciant; sed apprime caveant, ne verbum ullum injiciant, quo testatorem ad rem aliquam sibi ipsis, vel suorum alicui, vel eorum Ecclesiæ legandam adducere videantur. Jam porro in Appendice reperient, et quæ hac super re docuit Summus Pontifex Benedictus XIV., et formulam, qua ejusmodi testamenta exaranda sunt (2).

XXVII. Ubi excipiendis Fidelium piis oblationibus proponitur capsula, duabus hæc munita sit seris, et clavibus, quarum alteram ipse Parochus habeat, alteram Deputatus, sive hoc ipso, sive quocumque alio appelletur nomine. Perficiat autem Parochus, ut plane constet, quantum quoquo anno pecuniæ collectum sit, ac quantum, quasque in causas expensum. Sic et de summa administrantium bona fide constabit, et Nobis ipsis poterunt, quando velimus, rationem reddere.

XXVIII. Alibi excitavimus Ecclesiasticos omnes, ut Parochis in procuranda animarum salute sponte, et liberaliter sint adjumento. Sed cum Parochiale servitium prorsus tutum, certumque esse opor-

(1) *Vide cap. I. hujus Part. n. 25.*

(2) *Append. N. XXIII. pag. 61. et N. XXIV. pag. 62.*

teat; Parochi habeant apud se unum, aut, ubi copiosa sit multitudo populi, plures adjutores ordinarios, iisque officia, aut functiones, prout res, tempusque postulaverit, sapienter distribuant. Sint hi ad ministeria per ipsos obeunda satis apti, atque in primis, quod alibi etiam ediximus, ad Confessiones audiendas a Nobis probati, eosque vel annuo redditu instruant, vel temporariis munerentur donis, quæ labori respondeant. Etenim *qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt* (1). Caveant tamen, quod sæpe commendavimus, ne omnem in hosce adjutores laborem rejiciant. Tenetur enim Parochus per sese, quoad fieri potest, quæ muneris sunt Pastoralis obire.

XXIX. Quia vero Pastor gregi suo tenetur advigilare, et præsto esse; rem maxime absurdam faceret quisque Parochus, qui eum, mercenariorum more, desereret. Hæc igitur singuli servent, quæ juxta Concilii Tridentini doctrinam, sacræ Congregationis, et Prædecessorum nostrorum decreta statuimus. 1. Ut Parochus habitet in Parochia, sitque Parochiali, si Ecclesia hanc habeat, domo contentus, neque aliam, etiamsi in Parochiæ finibus positam incolat, quin causa a Nobis probetur (2). 2. Ne quis per diem in Parochia adsit, per noctem vero absit, ac vicissim, etsi alius Sacerdos præsens sit (3). 3. Ne quis, e suæ Curæ finibus ultra biduum abfuturus, discedat, quin et consilii hujus causas, et Sacerdotem, quem sibi substituere cogitat, Nobis, aut Vicario nostro generali proponat, quæque rescribere placuerit, accipiat, et servet (4). 4. Si gravis incidat causa, qua Parochus discedere statim cogatur, quin possit Nos præmonere; Vicario foraneo de discessu, ac discedendi causa, de futura extra Parochiam longinquitate moræ, deque substituto significet. Hujus autem erit Nos, aut Vicarium nostrum generalem de tota re commonere, ut quid tum sit agendum, in Domino possimus decernere. 5. Si quis absque nostra licentia, vel etiam ipsa ad aliquod tempus impetrata, ultra bimestre sive continuum, sive interruptum abfuerit, gravissimum violat præceptum, ac Beneficii fructus toti, quo abest, tempori respondentes non potest in alios, quam in pauperum, vel in Ecclesiæ usus convertere; Nobis denique pœnas dare cogetur. 6. Caveat quisque, ne causas, nisi veras, exponat Nobis, ut discedendi veniam obtineat; meminerintque omnes, Pastoris absentiam, quamvis bre-

(1) *I. Corinth. cap.9. v.13.*

(2) *Vid. Append. Synod. Fulginaten. et ibi allegata cap.7. §.2.*

(3) *Ex. dec. S. C. C. 10. Maii 1687. et Syn. ead. ibid.*

(4) *Conc. Rom. tit.17. cap.6. et plur. Synod.*

vem; nisi rationabili aliqua honestetur causa, improbari. Neque vero diebus Festis, neque tempore Adventus, aut Quadragesimæ, eoque minus solemnioribus Festivitatibus fas est cuiquam e sua Parochia vel brevissimo tempore abesse, nisi gravis urgeat causa, qualis certe non suberit, si absit, ut sibi tantum, aut amicis indulgeat.

XXX. Si quis Parochus morbo tentari incipiat, eum in Civitate Canonicus Pœnitentiarius, in Diœcesi vero Vicarius loci foraneus statim conveniat, eumdemque, ingravescente morbo, Ecclesiæ Sacramentis, aliisque humanitatis, atque Christianæ pietatis officiis reficiat. Quod si Parochi mors consequatur, protinus moneri Nos de eo volumus a Vicario nostro generali, quem ipsum statim certiorem ejus casus, siquidem in Diœcesi contigerit, faciant Vicarii foranei. Interea viduatam Parochiam, donec per Nos constitutum aliter fuerit, si plures in loco sint Parochi, administret vicinior; si vero unus tantummodo, administret Sacerdos approbatus ad Confessiones, cui hoc a Vicario foraneo fuerit commissum.

XXXI. Quidquid vero Parochis a piis precibus, a Parochialibus curis, atque etiam a moderatis vitæ solatiis supererit temporis, id totum divinis scientiis recolendis ipsi impendant; quæque studia commendavimus jam Clericis omnibus, eadem sibi ipsis, quorum muneris est Sacramenta administrare, suasque oves viam salutis docere, multo flagrantius commendata habeant.

XXXII. Parochis omnibus in mandatis damus, ut serio vigilent, cum nostri Seminarii adolescentes paternam adeunt domum, an hi Sacramenta frequententur; an Ecclesiis rite inserviant; an aliquid ludis, habitu, conversatione agant, quod hujusmodi adolescentes minus deceat. Qua super re Parochorum conscientiam oneramus, ne quid Nos celent ex his, quæ ab iisdem requirimus; et observent adamussim literas, quas ad eos mittemus in egressu adolescentium e Seminario.

XXXIII. Præcipimus denique, ut Parochi omnes clara voce, saltem semel in anno mense Januario, aut Julio, una, vel pluribus diebus Dominicis legant populo Synopsim, quam dabimus in Appendice lingua vernacula exaratam, decretorum Synodalium, quæ Laicos tangunt (1).

(1) *Append. N. XXXIII. pag. 90.*

CAPUT VI.

DE MODERATORIBUS, MAGISTRIS, ET CLERICIS SEMINARII.

Quoniam vero in Seminarii, cujus vel præcipua Nos cura semper circumstat, mentionem incidimus, præstiterit et de hoc pietatis, ac litterarum domicilio nonnulla monere. Quod generatim, ac per summa capita agemus. Nihil enim attinet de eo plura Nos dicere, cum jam satis opportunæ, atque minutæ, quibus ipsum regitur, exstent regulæ ab cl. me. Antecessore nostro Cardinali Stupanio publicatæ, quas confirmamus, et inviolabiliter servari mandamus. Quæ autem nunc monenda videntur, hæc sunt.

I. Seminarii Rector, et Sacerdotes quicumque, per quos hi Nobis carissimi adolescentes sunt erudiendi, serio considerent, eos se instituendos, informandosque suscipere, quorum plerisque et Ecclesiarum regimen, et populorum salus aliquando incumbet. Hinc non quorumdam tantum privatorum rem se gerere existiment, sed totius sane Diœcesis, et latius etiam, longiusque, si Deus bene juverit, pertinentem, eamdemque gravissimam. Idcirco tantum negotium ingenti animo aggressi, non labori, non industriæ parcant, ut adolescentes tum pietate, tum doctrinis abunde imbuantur.

II. Primum vero, atque principem locum in omni hominum gradu suo sibi jure vindicant pietas, atque Religio. Volumus idcirco, ut adolescentes nostri quotannis, antequam studia ineant, per dies octo spiritualibus Exercitiis serio vacent. Sic futurum speramus, ut studia sua alacriter, utiliterque in Domino aggrediantur, et prosequantur. Volumus etiam, ut semel in mense per diem unum a Rectore assignandum piis meditationibus, et Exercitiis spiritualibus speciatim addicantur, quibus etiam Clericos Civitatis interesse præcipimus.

III. Qui nostro huic cœtui Exercitia hæc proponet, non ea tantum prosequatur virtutum officia, quæ sunt Christianorum omnium communia; sed et de iis agat, quæ Clericorum, ac Sacerdotum sunt propria. Ita mature adolescentes intelligent, qua eos et sapientia, et morum sanctitate præstare par sit. Et quoniam Exercitiis iisdem vacat quotannis pars etiam Parochorum nostræ Diœcesis; haud omittat agere de iis, quæ Parochorum sunt, quandoque palam, et audientibus omnibus, interdum seorsim cum ipsis Parochis, ut prudentia suggesserit.

IV. Quæ orandi, meditandi, pios libros legendi, Sacrum audiendi, Sacramenta suscipiendi religiosæ exercitationes Seminarii regulis sunt constitutæ, eæ numquam omnino prætermittantur.

V. Similiter quæ horæ per singulos dies sunt designatæ aut exercitationi studiorum, aut audiendis Magistris, eæ in his ipsis occupationibus perquam diligenter terantur.

VI. Suas porro sive facultates, sive artes ita tradere Doctores enitantur, ut quamquam haud mediocriter in adolescentibus cujusvis, sed primæ præsertim ætatis imbuendis sit ipsis laborandum, tamen quidquid possunt, perficiant; meminerintque, quos ipsi nunc habent auditores, tales fieri hoc loco debere, ut ad eadem cum laude tradenda eximii, aut saltem usu adhibenda efficiantur quam maxime idonei.

VII. Magistri ergo crebras apud suos exercitationes instituant, repetitiones nimirum, collationes, disputationes, et alia hujusmodi; eritque eorum industriæ providere, ne frequentes stimuli desint, quibus animi incitentur, ac ferveant. His sane stimulis obtineri nec difficiliter potest, ut adolescentes nervos industriæ omnes intendant in rebus ætati suæ arduis, et alias etiam invisis addiscendis.

VIII. Præsertim sint quotannis, qui studiorum suorum coram multis, interdum vero publicum specimen dent. Erit vero Præceptorum summa cura perficere, ne quid tum proferatur non satis dignum exspectatione, atque silentio, neque satis congruens cum eorum ipsorum existimatione.

IX. Cum vero ministerium Ecclesiæ decentissimis, iisdemque religiosissimis ritibus perfici oporteat; adolescentes Religioni sacrandos ita subsecivis horis iis addiscendis vacare volumus, ut et ipsi in sacris officiis obeundis illos recte exerceant, et alios facile possint ad eos exercendos instituere.

X. Qua de re et Ecclesiasticum cantum, quem *firmum* vocant, plane addiscant, ejusque sibi comparent peritiam nec levem, nec facile desituram. Est enim jam pridem a pluribus Pontificibus constitutum, ut scienter, et *ex artis Ecclesiasticæ ratione ab omnibus caneretur* (1). Et hujus artis peritia non postremæ esse debet curæ, cum de Beneficio conferendo deliberabitur.

XI. Qui igitur in Seminarium nostrum seu ad cantum, seu ad ritus tradendos vocantur, rem hanc tantæ Nobis curæ esse sciant, quantam poscit rituum, et cantus in Ecclesiæ servitio necessitas. Neque vero

(1) *Ex Act. plur. Pontif.*

facile accipiant excusationem quorumdam, qui naturali se ad cantandum habilitate destitutos ajunt. Non poterunt fortasse hi cantu excellere; verumtamen vix quisquam invenietur adeo rudis, et asper, quem Doctoris patientia non possit ita mollire, atque edolare, ut vocem, quantum satis est, legibus modulari assuescat.

XII. Ut autem, quas recensuimus exercitationes rite, constanterque habeantur, eæ rite, constanterque servandæ sunt regulæ, quibus sua cuique horæ est occupatio per diem, noctemque attributa. Harum porro regularum omnium custos, ac vindex est Rector, qui, ut accurate juxta eas agant, a singulis exigat; atque in peccantes qua voce, qua pœnis salutariter animadvertat. Quod si his omnibus rebus advigilare ipse solus nequeat, alter Sacerdos ejus loco sufficiatur, cujus opera utetur. Ac ne ullus causare harum regularum ignorationem queat, ipsarum exemplum unicuique Seminarium primo ad vivendum intranti legendum, ac perpendendum tradat, ipsasque ineunte quolibet mense, omnibus ad mensam sedentibus, perlegi jubeat.

XIII. Atqui tota, quam urgemus, institutio ex Præfectorum, qui distinctis adolescentium cœtibus continenter adsunt, vigilantia, atque studio ita pendet, ut nisi hi muneris sui partes omnes expleant perfecte, cumulateque, cæterorum conatus longe minus, atque oportet, sint profuturi. Quare ipsi in primis probe calleant Seminarii regulas; ne quid contra ipsas peccetur, enitantur; ac si quid peccatum noverint, quod ipsis non est concessum plectere, ad Rectorem sedulo deferant, ut in Domino, quid sit agendum, deliberet. Atque universim quicumque aliqua in re aliis de Seminario præficiuntur, proprias hujusce conventus regulas legant, distincteque sciant, quantumque ad se attinet, perficiant, ut ab omnibus, quorum in suo munere cura ad ipsos spectat, diligenter serventur, neque transgressionem impune admitti sinant.

XIV. Anno scholastico exeunte, aut si quando alias Nobis visum fuerit, reddetur coram Nobis, aut Vicario nostro generali totius administrationis ratio, præsentibus Deputatis, quos plane confidimus tum hanc, tum reliquas sui muneris partes consueta, Nobisque explorata vigilantia, ac religione expleturos.

XV. Qui inter Seminarii Alumnos cooptari cupit, supplicem Nobis libellum offerat, habeatque testimonia a suis Parocho, et Ludimagistro subscripta, ex quibus constet, bene de eo posse sperari, nihilque esse, quod, quominus in Seminarium recipiatur, impediat. Certe non omnes indiscriminatim in ipsum volumus recipi. Ditioribus anteponendi semper pauperum filii, interque hos illi, qui profi-

tentur, velle se militiam Ecclesiasticam sequi, quique ipsi indolem præ se ferunt bonam, ac studiis aptam, ut prudens spes sit, divinis suo tempore muneribus obeundis idoneos futuros.

XVI. Vellemus autem, hos omnes ali ex toto Seminarii ipsius expensis. Sed neque Seminarii facultates tantæ sunt, quæ id ferant; neque res ipsius in præsentiarum patiuntur, ut quæ dicebantur Alumnorum loca, quæque exolevisse reperimus, in pristinum omnia simul revocemus. Duo dumtaxat licuit hoc anno ad modicissimum ab Alumnis sustinendum scutatorum annuorum duodecim sumptum redigere. Sed certe, quoad Seminarii res ferent, advigilabimus, ut horum locorum numerus, qui institutione prima constiterat, omnino restituatur. Cum vero loca hæc erunt conferenda, indicetur concursus. Cæteris tamen omnibus paribus, anteferemus eos, qui aliquandiu sumptibus omnino suis in Seminario degerunt, dum et hos pauperes esse constiterit; neque enim aberrare aut fas est, aut volumus ab regula per Concilium Tridentinum præscripta (1).

XVII. Locupletes tamen hinc minime excludimus. Sed hi vivant ære penitus suo; deinde etiam in horum delectu spectare oportebit, quæ mox de aliorum delectu præcepimus.

XVIII. Ut vero ipsi adolescentes pietati, ac studiis nihil minus vacent, atque debent, serio semper, sed præsertim per Exercitiorum spiritualium dies animo versent, quorsum in hanc pietatis, ac literarum disciplinam fuerint cooptati. His vero Exercitiis peragendis nisi tempestive adfuerint, vix causas afferre poterunt, quare eo saltem anno aditum sibi ad Seminarium non intercludi mereantur.

XIX. Cætera deinde omnia, quæ ab ipsis reposcentur, prorsus impleant: quæcumque pietatis officia sunt ex regularum, et consuetudinum Seminarii præscripto persolvenda, iis summa perfungantur diligentia; nec quispiam, si sapere sibimet ipsi velit, ut ad ea compellatur, exspectet.

XX. Opus vero habent singuli, quanta maxima poterunt, contentione in studia literarum, ac doctrinarum incumbere. Et certe ab omnibus, qui initiari Ordinibus optant, exigimus, ne imparati doctrina ad Nos veniant; idque etiam severius ab Alumnis Seminarii requirimus, et quidem potiori jure. In hoc enim ab impedimentis omnibus erepti sunt, ut studiis se penitus, totosque tradant. Si quis vero hac in re illudere se hominibus posse confidat, haud putet, se illusurum Deo, apud quem sacrorum proventuum sine ea, quæ exspe-

(1) *Sess. XXIII. cap. 18. de Refor.*

etanda erat, utilitate consumptorum reus erit, cuique tamquam alienæ, immo sacræ rei raptor, pœnas erit daturus.

XXI. At vero qui selectiore hac institutione, quantum par fuerat, profecerint, quique egregia aliqua animi dote Ecclesiæ commodo, sive splendori futuri esse videantur; eos ante oculos perpetuo habebimus, eosdemque, quibuscumque poterimus, paternæ benevolentiæ, ac beneficentiæ officiis prosequemur.

XXII. Cæterum dum in Seminario degunt, erga omnes, a quibus aliquam in se conferri operam vident, obsequentes, et grati sint; Rectorem vero tamquam parentem et colant, et diligant.

XXIII. Æquales ea complectantur caritate, iisque foveant officiis, quæ regulis Seminarii circumscribuntur. Facilitas, atque urbanitas æque in omnes emineat cum quadam dignitate: nam effusæ in aliquem benevolentiæ argumenta non secus improbanda, atque odii, vel contemptus.

XXIV. Cum prodibunt in publicum, sive ut sacra ministeria exerceant in Templo, sive ut animi causa deambulent, modestiam, gravitatemque præ se ferant; atque ita cum sint annis juniores, sensu, moribusque seniores incipient esse, ac videri.

XXV. Ecclesiæ servitium, ut decore præstent, omni studio contendant. In Choro assistant, quandocumque id fuerint jussi. Diaconum, sive Subdiaconum, si quando ad id vocentur, agant. In cæteris quibuslibet sacris functionibus ad nutum Præfecti Chori, seu cæremoniarum serviant.

XXVI. Iterum omnes ad ea, quæ hactenus dicta sunt, in Domino hortamur; atque ut de Clericorum Seminarii profectu certi esse possimus, a singulis, exeunte anno, examen coram Nobis erit subeundum. Quin immo et cum in Civitate morabimur, Seminarium identidem ingrediemur, aliquod ab iisdem ingenii, et solertiæ specimen quæsituri.

XXVII. Si quos autem ingenio tardos, aut literarum studia aversantes, vel male moratos, intractabiles, ac disciplinæ impatientes esse experimenta docuerint; eos tamquam arbores infructuosas, vel etiam noxias succidemus, eisque sufficiemus alios, quorum indoles, atque voluntas spem afferant, Ecclesiasticis eos ministeriis aptiores futuros.

XXVIII. Dimissi e Seminario, vel sponte ex eo recedentes, nisi Clericali Tonsura sint initiati, non audeant Clericalem vestem gerere, nisi facultate a Nobis obtenta; alias enim causas oportebit expendere, ut denuo id concedatur.

XXIX. Jussimus autem, Parochos advigilare Seminarii adolescentibus, qui proprias, facultate sibi a Nobis facta, adeunt domos, quæque de ipsis referre ad Nos debeant, ediximus (1). Sed et Rector efficiat, ut singuli quique peculiares habeant regulas, quas per eos dies servent.

XXX. Postquam studiorum curriculum confecerint, et Sacerdotio etiam fuerint initiati, haud tamen ex nostra memoria discedent, qui tum, Nobis annuentibus, e Seminario discedent; sed quoties sese præbebit occasio, dabimus operam, ne nostræ erga ipsos voluntatis, ac studii argumenta desiderent. Interea eos etiam atque etiam hortamur, ut, quam poterunt, operam Parochis suis facile præbeant; tum ne torpeant umquam in contentione studiorum. Curent ipsi, ut plenius in dies, perfectiusque doctrinis sese instruant, quarum elementis imbuti in Seminario fuerunt; atque etiam ut eas ex Ecclesiasticis disciplinis ediscant, quibus non fuerint in Seminario instituti. Quidquid vero de ipsorum rebus, de studiis, de valetudine fuerit Nobis relatum, jucundissimum erit cognoscere, ut ipsorum sive necessitatibus opitulemur, sive commodis, et existimationi faveamus. Quod quidem tum ex animi nostri propensione oriri libenter fatemur, tum etiam ex eo, quod quidquid studii, et beneficentiæ in Clerum nostrum conferre possumus, id et Deo, et muneri nostro conveniens, ac plane debitum judicamus.

CAPUT VII.

DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS.

Quia maximi momenti res agitur, cum deliberatur de præficiendis Christiano populo Parochis; consultissime prorsus Tridentini Patres tales Episcopis ea super re consiliarios adjungendos censuerunt, qui de illis sapienter judicarent, quin posset Episcopus Parochum quempiam creare, quem ipsi non examinassent, atque idoneum ad id non renuntiassent (2). Proponentur ergo per Nos ex Tridentinorum Patrum decreto, quibus demandari Examinatorum officium posse in Domino judicamus; ac Synodus nostra, quos sibi placuerit, probabit. Hos sane, de quibus non dubitamus, quin perfecte, perque partes omnes cognoscant, quemadmodum exercere munus gravissimum debeant, necesse non est de eo instituere, aut monere; nihilominus

(1) *Cap. præced. in fine.*

(2) *Trid. Sess. XXIV. cap. 18. de Ref.*

haud inutile erit, ut distincte, exque ordine ad mentem nunc revocent, quæ Œcumenica illa Synodus constituta reliquit. Quod ita exsequimur.

I. In primis jurare jubentur, se, quacumque humana affectione posthabita, fideliter munus exsecuturos. Hoc sacramentum, qui adsunt, in hac Synodo dicent; absentes dicent, antequam munus obire incipiant, coram Nobis, aut Vicario nostro generali (1).

II. Quos itaque ipsi vere idoneos ad pascendum Sacramentis, verbo, et exemplo Dominicum gregem, aptosque ad incumbendum in cætera Pastoralia munia judicarint, eos, quotcumque sint, tenentur probare; quos contra, eos suffragio suo prorsus privabunt. Violati autem sacramenti vindex Deus erit, si antecepta opinione, aut privato aliquo studio judicium hoc ferant.

III. Et singulorum virtutes, ac dotes non modo universim, sed diligenter, accurateque singulas tenentur expendere. Quare non omnes, licet doctrina præditi, ad animarum curam statim probandi; sed oportet, rationem, et quidem præcipuam haberi probitatis morum, prudentiæ, ætatis, et cæterarum qualitatum, quibus quisquis, cui regimen animarum committitur, esse instructus debet (2). Eodemque jure inquirendum est in illius caritatem, quam zelum sacræ literæ appellant, in gravitatem, quæ efficiat, ne contemnatur, in habitudinem corporis ad perferendos labores, inque alia hujusmodi. Præter hæc, dispiciendum quoque, an aptus sit peculiari illi Ecclesiæ, de qua agitur. Quare neque de præficiendo eo cogitandum, qui magna apud populos invidia, vel odio laboraret, neque de eo, qui ad perferendos labores, in ampla præsertim, vel insalubri regione, imbecilliore uteretur corporis valetudine.

IV. Adeo autem necessaria est in omnia, quæ ad officium Parochi rite obeundum pertinent, inquisitio, ut sacra Congregatio pluries edixerit, Examinatores deesse muneri, si doctrinæ tantum judices essent, nec inquirerent, qui præ aliis probitate morum, laboribus, præstito Ecclesiæ servitio, cæterisque dotibus ad officium Parochi cumulate obeundum essent idonei; ac præterea in irritum miserit judicium non habita omnium, quæ diximus, ratione factum, quæque inde consecuta est, Ecclesiæ Parochialis collationem (3).

V. Quæ cum sint, iis probe cognitis, atque perpensis, quæ in examine fuere sive lecta, sive audita, cum cæteris requisitis, quæ

(1) *Trid. ibid.*

(2) *Trid. ibid. Bened. XIV. de Synod. lib.4. cap.8. n. 3.*

(3) *Apud eumd. Bened. ibid.*

consideranda proponuntur, tandem Examinatores suffragium in Domino ferent, unde constet, quinam ab ipsis ad eam Parochiam idonei existimentur.

VI. Hic autem hominibus, quibus tantum negotium ab universa Diœcesi committitur, inutile fuerit prohibere, ne sociis Examinatoribus quemquam commendent, neque cuiquam, quid respondeat, ullo pacto significent. Satis per se ipsa res loquitur. Ipsorum quoque prudentiæ erit nosse, in iis examinibus, quæ per interrogationes fiunt, duo hominum genera non esse diutius detinenda: unum, quod complectitur eos, quorum vel inscitia, vel imprudentia satis sit explorata, quos diutius detinere esset inutile; alterum, ad quod pertinent ii, quorum prudentia, et doctrina palam, ac præsertim publice constat, quibus fere irrogaretur injuria, si diutius detinerentur.

VII. Nemo autem ex Examinatoribus ignorat, quantopere sit necessarium, ut æterno apud eos, qui examini minime interfuerunt, silentio premantur, quæ in hujusmodi examinum actu sunt vicissim pronunciata; quæ hi, vel illi in communicandis rebus, aut in ferendis suffragiis senserint. Res enim esset periculi plena hæc publicare. Hinc enim malevolentias, querelas, accusationes, invidias, perturbationesque magnas, et ultiones quoque consequi facillimum est. Ipsi igitur Examinatores alto ea premendi silentio sibi legem indicant, serventque severissime.

VIII. Et quoniam, quæ de Examinatoribus Tridentinum edixit, conferre huc instituimus, præterire non possumus, quin addamus, quod si Examinator sive ante, sive post perfectum examen, examinis hujus occasione, offerri sibi quidpiam intelligat, id omnino rejiciat. Nam si quid accipiat, tum ipse, tum callidus oblator simoniaci fiunt; quo crimine absolvi nequeunt, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, iique ipsi ad alia in posterum obtinenda inhabiles redduntur (1).

IX. Non dubitamus, quin Examinatores nostri hæc adamussim sint servaturi, et quin tales viros, ac taliter ad Parochias sint probaturi, ut Nobis, quo ad summum Dei honorem, et ad maximam animarum utilitatem digniores, magisque idoneos eligamus, non valde laborandum supersit.

(1) *Ibid.*

CAPUT VIII.

DE JUDICIBUS SYNODALIBUS.

Ut Apostolicæ Sedi constare queat, qui præcipue sint idonei ad Ecclesiastica judicia in partibus exercenda, Synodus Tridentina gravissime jussit (1): *In singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII., quæ incipit*: Statutum, *et alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, et ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur*. Est hæc designatio ex negotiis gravioribus, quæ Episcopus in Synodo tractet, ut censuit Benedictus XIV. (2), qui etiam gravissima Constitutione commendat (3), ut coactis Conciliis, et Synodis, talis eorum numerus definiatur, qui amplitudini, ac frequentiæ Diœceseos respondere censeatur. Tum præcipit, ut Pontificio libellorum supplicum Secretario electorum Judicum nomina significentur. Hisce omnibus inhærentes, Judices designamus, quos requisitis qualitatibus omnibus pollere arbitramur, et quibus hæc placet commemorare.

I. Nulla ipsi pollent jurisdictione, antequam a Sede Apostolica delegatam acceperint, uti a sacra Congregatione Concilii declaratum (4).

II. Non alia magis in judiciis sibi demandatis scientia juvabuntur, quam sacrorum Canonum, prout de Ecclesiasticis Judicibus constituunt; accuratissimeque, (ita enim justitiæ, bonique publici rationes postulant,) debent judicia sua iis conformare, debentque iidem causas, quæ sibi fuerint commissæ, præsertim vero causas locorum Piorum, alimentorum, mercedum, miserabilium personarum, quam celerrime poterunt, definire.

III. In harum causarum actis conficiendis Curiæ nostræ Notariis utantur (5).

IV. Ex horum Judicum numero jus habent Regulares Ordines eligendi sibi, si velint, Conservatores. Id autem si faciant, debent quo-

(1) *Sess. XXV. cap.10. de Ref.*
(2) *De Synod. lib.4. cap.5. n.5.*
(3) *Const.* Quamvis paternæ *XXVIII. Bull. Tom.I.*
(4) *In* Januen. 15. *Martii* 1601.
(5) *S.C.C. in* Alben. 1.*Jan.* 1656.

que efficere, ut intra sex menses constet Curiæ nostræ. Quos ad limites horum Conservatorum porrigatur auctoritas, et quomodo debeant hanc exercere, Apostolicis, quas apprime callere, ac servare opus habent, Constitutionibus est definitum (1).

CAPUT IX.

DE EPISCOPALIS FORI NOSTRI MINISTRIS.

Id quoque ad Episcopos pertinet, ut publice administrent justitiam, suæque sponsæ jura tueantur, eorumque sint justi vindices. Ea de causa ipsi etiam habent Forum, et Fori Ministros. Quem hi judiciorum ordinem, quam formam tenere debeant, tum sacris Canonibus, tum aliis decretis, quorum Canonibus ipsis facta fuit accessio, late est constitutum. Et Nos horum notitia Fori nostri Ministros, pro suo quemque gradu, esse instructos non dubitamus. Frustra autem moneremus Judices, quod eorum animis alte infixum præsumimus, ut nihil ex arbitrio suo faciant, sed juxta leges, et jura pronuncient, et ut non considerent personam pauperis, nec honorent vultum potentis, sed juste judicent proximo suo (2). Qui in Civitate, ac Diœcesi, auctoritate a Nobis accepta, judicia Ecclesiastica exercent, hæc et norunt, et facere parati sunt, ut esse debent. Potius igitur indicabimus ipsis, quæ maxime spectemus in Episcopalis nostri Fori Ministris, quam præcepta cuiquam nova imponamus.

I. Causæ leviores, neque excedentes summam scutatorum quinque, si poterunt terminari summarie, solaque facti veritate inspecta, et absque judicialibus actibus, sic terminentur.

II. Hoc ipsum item, quoad ejus fieri poterit, in causis miserabilium personarum, ac legatorum Piorum servari mandamus.

III. Quotiescumque actorem inter, et reum sit compensationi, vel transactioni locus, atque hanc viam habere jura permittant; omne tum æquitatis, tum caritatis officium in usum vocetur, ut lites præcidantur, et controversiæ absolvantur. Ecclesiastico Judici placere semper debent humaniora, ac mitiora consilia; immo etiam mitiores multæ, et mitius quodvis pœnarum, seu suppliciorum genus.

IV. Cum vero solemniter agendæ, ac definiendæ erunt causæ, expediri eas jubemus, quanta maxima fieri poterit, celeritate, præci-

(1) *Vid. Const. Gregor. XV.* Sanctissimus *XX.*

(2) *Levit. cap. 19. v. 15.*

sisque omnino artibus, quibus litigantes judicia, ultra quam sit necesse, student protrahere (1). Est enim injustum, ut sinantur gravari non necessariis expensis, qui ad tribunalia confugiunt; eaque Ecclesiastici Fori ratio esse debet, ut, qui ipsum adeunt, molestiis, et expensis, quantum fieri potest, leventur. Est tamen semper standum legibus, et Fori nostri consuetudini, ab hisque vel minimum discedere est nefas. Hæc vero sigillatim proponimus.

V. Cum rei de crimine accusati constituuntur tantummodo, ut principales, numquam jubendi sunt jurare, se responsuros ad veritatem. Si contra fieret, ipsius causæ acta in irritum mitterentur; potest tamen ab iisdem exigi hoc juramentum, quando examinantur, ut testes quoad alios (2).

VI. In quæstionibus de Matrimonii valore adamussim servetur, quidquid Benedictus XIV. constituit (3). Ac nisi omnia, quæ idem Summus Pontifex in sua Constitutione præscripsit, præstita fuerint, nulli partium fiat novarum nuptiarum libertas. Qui causam agit pro Matrimonii valore, meminerit, se jus Sacramenti defendere; summamque in eo diligentiam adhibeat, tum vel maxime, cum utraque pars ad rescindendum conspirat. Oscitanter agens, gravissime peccaret in Deum; ejusque culpæ et Nos magna severitate certissime sumpturi pœnas essemus.

VII. Hoc ipsum edicimus, si agendum fuerit de professionis Religiosæ valore; quibus in causis serventur, quæ ab eodem Pontifice Maximo sapientissime sunt constituta (4).

VIII. Fori nostri jura Ministri ejus totis viribus tueantur, ne scilicet causæ, negotia, seu lites, quæ de jure, vel consuetudine ad Forum Ecclesiasticum pertinent ratione personarum, aut rerum, aut connexionis, alibi, quam in Foro nostro cognoscantur in prima instantia.

IX. Si quis vero per sese, vel per alium hujusmodi causas a Foro nostro avertat, vel, ut avertantur, curet, aut etiam, ne pars altera judicium ibi cœptum prosequatur, opera, vel consilio, vel alia quavis ratione impediat, in excommunicationem ipso facto incurrat; a qua nullatenus absolvatur, nisi tam Judici, cujus cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio usurpata, quam parti turbatæ in persecutione sui juris

(1) *Trid. Sess. XXIV. cap. 10. de Ref.*

(2) *Conc. Rom. tit. 13. cap. 2.*

(3) *Const.* Dei miseratione *XXIII. Bull. Tom. I.*

(4) *Const.* Si datam hominibus *LXVII. Bull. Tom. II.*

fuerit per ipsum omnino satisfactum (1). Quoad delicta vero criminalia, quæ non sunt mixti Fori, servetur Constitutio Clementis XIII. (2).

X. Etsi autem Clericus, sive cælebs sit, sive conjugatus, qui præscriptas a Bonifacio VIII. (3), tum vero a Concilio Tridentino (4) conditiones non implet, nequeat ipse Clericale privilegium ad declinandum sæculare Forum afferre; tamen plenum est Episcopo jus in ipsum, si velit, animadvertere, eumdemque a sæculari potestate repetere (5), dummodo tamen numquam aut a jure, aut ab homine per declarationem legitime factam Clericalibus fuerit privilegiis privatus. Hæc quoque jura serventur.

XI. Actis judicialibus merces debetur. Hanc præscripsit Innocentius XI.; quam idcirco taxam in Diœcesi nostra adhuc servatam, et quam dabimus in Appendice (6), affigi volumus in nostra Cancellaria, ne quisquam vel minimum eam prætergrediatur. Præter quam quod enim emolumenti hoc genus, quod injustum decernimus, restitutioni esset obnoxium, pœnis etiam, nec levibus, foret a Nobis puniendum.

XII. Si quid pecuniarum ab reis multatis cogatur, id omne in causas Pias erogandum. Interim a Depositario designato servetur; in quas enim causas, et quo loco, aut tempore impendatur, Nos decernere volumus.

XIII. Vicarius noster generalis advigilet, ut quilibet ex Fori nostri Ministris fideliter munere suo, diligenterque fungatur; Nosque quam primum admoneat, si quem delinquere deprehendat. Nam etiam, quæ a singulis servanda sunt, exigemus.

XIV. Ubi aliquis munus suscipit suum, 1. juret coram Nobis, vel coram Vicario nostro generali, se illo perfuncturum sedulo, omnique fide, ac sine fraude. 2. Statis diebus, et horis quisque in loco sibi in Curia designato continenter adsit. 3. Processus ad informationem, antequam publici sint, tradantur nemini. 4. Curiæ secreta severissime custodiantur. 5. Abstineat quisque ab accipiendis pro officii sui exercitio vel sponte oblatis muneribus: hæc enim *excæcant prudentes, et*

(1) *Cap.* Quoniam, ut intelleximus *de imm. Eccl. in sext.*

(2) *Const.* Præstat Romanum Pontificem.

(3) *Cap.* Clerici *de Clericis conjug. in sext.*

(4) *Sess. XXIII. cap. 6. de Ref.*

(5) *S.C.C. in* Alatrina, *S. C. Immunit. in* Seguntina, *et alias. Vid. Bened. XIV. de Syn. lib. 12. n. 2. et 3.*

(6) *Append.* N. XXXII. *pag.* 83.

subvertunt verba justorum (1). 6. Describantur acta in paginis non separatis, sed bene compactis, ac suo quæque loco serventur, ordinato indice quotannis adjecto.

XV. Tabularii cura pertinet ad Cancellarium. Id vero ea custodiat diligentia, quam exigunt Christi patrimonium, Ecclesiæ illius sponsæ dotalia jura, tum alia monumenta quævis Curiæ nostræ fidei, et religioni concredita.

XVI. Nullas igitur paginas, aut libros in hoc Tabularium relatos Cancellarius extra Curiam efferri patiatur. Idem et alii Cancellarii in Diœcesi, pro sua quisque parte, servandum curent. Immo si aut ipsi, aut alii scripta ad Forum nostrum spectantia apud se habeant, ut hæc ad Curiam ipsam referant spatio unius mensis ab hac Synodo edita, mandamus, atque præcipimus. Si quis vero horum scriptorum quidpiam occultare, perdere, lacerare, vel commutare quomodocumque audeat, quicumque ille sit, illico excommunicatus exsistat, neque ab excommunicatione hac absolvi possit, nisi ablata restituerit, aut illatam scripturæ injuriam reparandam curaverit (2); ab eodemque, si innotuerit, pœnas sumere haud omittemus.

XVII. Cancellarius sit erga omnes humanus, ac præsertim erga rudes in proponendis suis juribus tardos, dubios, impeditos, hærentes, quos patientissime audire, sapienter interrogare, et amanter solari convenit.

XVIII. Omni ingenii vi, totisque industriæ suæ nervis incumbat ad causas omnes, sed præcipue viduarum, ac pupillorum celeriter expediendas.

XIX. Sit etiam in criminum reos affabilis, atque benignus, hominemque, quamvis nocentem, meminerit proximum esse, quem diligere debet, aversari prohibetur.

XX. Summam fidem in referendis querelis, in conficiendis actis, in alia quavis functione sua servet; curetque etiam criminalium causarum expeditionem celerrimam, et silentium sibi de malefactis reorum extra judicium, et quæstionem imponat.

XXI. Curet quoque cognoscere, an rei eo plane modo habeantur, quo Judex præscripsit: neque enim sive mollius, sive asperius fas est a carcerum Custodibus tractari.

XXII. Inter alia, Vicarius noster generalis perficiat, ut miseros illos pius aliquis Sacerdos identidem adeat, Pœnitentiæ Sacramentum ipsis administret, eosque piis saltem sermonibus consoletur.

(1) *Exod. cap.23. v.8.* (2) *Syn. nostra Ferrarien.*

XXIII. Omnibus diligentiam, ac fidelitatem iterum commendamus. Procuratoribus autem causarum, quibus implicantur egeni, orphani, pupilli, peregrini, miserabiles personæ aliæ, auctores sumus, ut hujusce eorum laboris mercedem remittant, intueanturque aliam longe potiorem aliquando a Patre orphanorum, et Judice viduarum ipsis reddendam. Hæc de personis Ecclesiæ, et Fori nostri.

CAPUT X.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

Reliquum est, ut de locis, ac rebus cum Sacris, tum Piis ea edicamus, quæ maxime opportuna censemus, ut omnia illa habeantur ita, quemadmodum postulant fines, in quos sive constituta, sive constituenda sunt. Quod ex ordine, perque capita distincta, pro more, præstabimus, initio facto ab Ecclesiis, quæ cætera, de quibus erit agendum, superant dignitate. Nimirum Deus O. M. quamquam immensitate sua cælos, ac terram implet, quædam sibi loca a Nobis in terris dicari jussit, in quibus publicus, ac magnificentior cultus ei exhiberetur (1). Ac primum quidem Salomoni Regi obtigit, ut domum Domino Deo magnificentissimam conderet, quam, majestate sua per nebulam ostensa, ipse Deus implevit (2). Quamquam vero Templum alterum, quod postea Salomonici loco fuit ædificatum, longissime aberat, ut opibus, ac magnificentia primum illud æquaret; *magna* tamen fuit, prout Aggæus futuram prædixerat (3), *gloria domus istius novissimæ plus, quam primæ*; quippe hanc præsentia sua Christus Dominus decoravit. Nobiscum vero actum est multo etiam præclarius, atque felicius. Etsi enim, ut plurimum, Templa nostra ab secundo etiam illo Templo Judaico structura, divitiisque vincuntur; longe tamen augustiora in his peraguntur mysteria, iisdemque omnibus, cum Sacrificium offertur, præsens fit corporaliter Christus ipse, et eorum non paucis, in quibus continuo sacrosancta Eucharistia asservatur, etiam perpetuo sic adest. Dignissima itaque sunt Episcopalibus curis; nec Nos nostram de iis sollicitudinem desiderari volumus, aut possemus pati. Quare de ipsis hæc summatim statuimus.

I. Nulla Ecclesia, nullum Oratorium, nullum Sacellum, quod *Capellam* dicunt, nullum Altare excitetur, nisi ædificandi facultatem

(1) *II. Reg. cap.7. v.13.*
(2) *III. Reg. cap.8. v.10. et 11.*
(3) *Agg. cap.2. v.10.*

scripto concesserimus (1). Neque ulla Ecclesia diruatur, nisi facultate itidem a Nobis accepta, et juribus quibuscumque servatis (2).

II. Super hujusmodi sacrorum ædificiorum laquearia, aut fornices cubicula ad cubandum, vel ad sæculares usus exstare, vel ibidem ali columbas, aut turtures, aut alia hujusmodi, omnino prohibemus (3). Et quidquid sordidis, vel clamosis artibus, aut vilioribus usibus esse solet, longe ab sacris Templis constitui volumus, ne quid aut cernatur invisum, aut audiatur molestum iis, qui orant in Templo. Hac de causa, tum etiam quod domus Dei reverentia ita postulat, alibi ab locis, quæ Templis proxima sunt, abesse voluimus ludos, vociferationes, cantiones, tripudia, sonitus, venalia, quæque alia sunt ejusmodi, quæ omnia rursus prohibemus.

III. Templorum muri extrinsecus expurgati serventur ab hederis, vepribus, virgultis omnibus, ac ne arbores quidem iisdem vicinæ permittantur. Neque vero intra illa ruralia instrumenta, legumina, fructusque cæteri inferantur; neque, extra *hostilis incursus*, *incendii repentini*, *aut alterius urgentis necessitatis casus*, *bona quæcumque immittantur*. Si qui aliter fecerint, etiamsi id faciant in Ecclesiis ruralibus, amissionis rerum immissarum pœnæ volumus subjacere, et has res addici Ecclesiæ, in quam fuerint immissæ. In atriis vero, et scalis earumdem segetes triturari, aut ventis exponi, sub eadem pœna volumus interdictum (4).

IV. Numquam sint in quavis Ecclesiæ parte fenestellæ vel minimæ, e quibus extrinsecus introspici possint, quæ ad Altaria geruntur; ac si quæ adhuc pateant usui alicujus, etiam Ecclesiastici, muro obstruantur, nisi vel Parochiales sint ædes, vel Apostolicum privilegium aliquem juvet (5).

V. Nullus potest esse sacer Templi usus, nisi consecretur, vel benedicatur. Si forte, (quod Deus avertat,) per crimen aliquod in jure expressum illud polluatur, ibi immolare, vel divina Officia peragere, est nefas. Itaque Ecclesiæ ejusdem Rector rem ad Nos, aut ad Vicarium nostrum generalem deferat, ut de reconciliationis remedio juxta sacros Canones deliberemus.

VI. Altarium cuique immineat fornicatus paries, vel umbraculum, neque hoc nimis exiguum.

(1) *Cap.*Nemo *de cons.dist.* 1. *et alibi.*
(2) *Vid. Trid. Sess.XXI. cap.*7. *de Ref.*
(3) *Edict. S. Pii V. pro Urbe* 28. *Novemb.*1596. *S.C.C. pluries, et plur.Synod.*
(4) *Synod. Pranest. sub Rufo tit. de sacros. Eccl. cap.* 3.
(5) *S.C.Episc. in* Casert. 8. *Jan.*1646. *et in* Cusent. 14. *Decemb.*1646.

VII. Presbyterium circa Aram maximam, et spatium aliquod circa Aras reliquas, ubicumque fieri possit, defendatur marmoreis, vel ferreis, vel saltem ligneis cancellis (1).

VIII. Qui Ecclesias reparare tenentur, identidem singulas earum partes perlustrent; et sicubi tecta excipere imbres, vel tabulata labefactari, vel fornices, aut parietes rimas agere, aut solvi in crustas, vel pavimenta depravari, aut quid aliud laborare deprehenderint, confestim de remedio agant. Ita parva impensa perficient, quod neglectum tandem postularet magnam, diuturnam, et fortasse intolerabilem.

IX. Quicumque de jure tenentur Ecclesias reparare, id sedulo faciant (2). Beneficiati vero quilibet distincte meminerint, si ad eorum Beneficium pertineat Altare, aut Capella, Beneficii ejus fundum Altari huic, aut Capellæ hypotheca esse obligatum. Itaque ornent rebus omnibus necessariis. Si redditus satis non sint, consensu nostro, et auctoritate poterit detrahi tanta pars servitii debiti Capellæ, seu Beneficio, quanta restaurationibus, aut ornatui erit necessaria. Si redditus sint tantum Altari conservando satis, cætera onera cedunt decoræ illius conservationi (3).

X. Nitor, munditiesque Templorum ad reverentiam his conciliandam maxime valent. Eorum ergo Præfecti curam, laborem, sumptus, quos possunt, in ea conferant, præsertim vero cum solemnes dies Festi recurrunt, sive communes illi sint, sive Ecclesiæ cuivis peculiares.

XI. Reverentiam ab iis, qui Templa adeunt, ex officio nostro requirimus; atque, ut eamdem requirant Templorum singulorum Rectores, atque Ministri, districte mandamus. Æditui itaque, pro eorum munere, inter cætera curent, ne quis Laicus, dum Ministri ad Aram operantur, propius, quam par sit, ad illam accedat, tum etiam ne quis Altaribus vel innitatur, vel hæreat humeris, ne pileum, baculum, vel quid aliud profanum illis imponat (4), ne fœminæ super illorum gradus sedeant. Infantes, aliique pietati, ac modestiæ exercendæ nondum satis apti, neque in Ecclesiam inferantur, neque inducantur. Pauperes nequaquam mendicare permittantur tempore

(1) *Ex Conc. Rom. tit.* 28. *cap.* 4.

(2) *Vid. Lamber. Inst. C.*

(3) Plura hanc in rem Crispin. *de Visit. part.* 2. *cap.* 13. *n.* 12. *et seqq.*, ubi recensentur nonnulla S.C.C. decreta, et sanctio S. Caroli in Synodo IV. Diœcesana.

(4) *S. C. Episc.* 12. *Jan.* 1604.

Missarum, aut divinorum Officiorum, atque prohibeantur, si necesse sit, etiam per vim. His tamen locus datur stipem petendi ante ipsius Templi fores (1). Laici ad Ecclesiam convenientes non consistant in Sacrario; quique ibi cum clamore, ac petulantia versantur, eos pecunia multatos volumus unius scutati. Qua in parte Templi congregantur mulieres, ibi nullus consistat vir, et eadem, si fieri potest, ne pertranseat quidem. Ut hoc curent, omnibus, ad quos potest pertinere, et præcipue Parochis, Vicariisque foraneis inculcamus, atque etiam præcipimus. Dum vero conciones habentur per Adventum, et Quadragesimam, telis, vel tabulis sint mares a fœminis separati.

XII. Nemini liceat cum armis Ecclesiam ingredi, præter ensem ab latere pendentem, si velint, quibus id deferre fas est; immo nec liceat prope Ecclesiam, vel etiam Cœmeterium ea deponere, aut paulo longius ab hujusmodi locis. Cui decreto si quis proterve reluctetur, Vicarius noster generalis moneatur.

XIII. Quid vero canes in Ecclesiis? Nemo cum istiusmodi comitatu in has veniat, quo et ipse, et cæteri adstantes a rebus divinis avocantur, et quo isti ipsi molestia, et quandoque etiam offensionibus afficiuntur. Si quis vero Templorum, seu Sacrariorum Custodes, quod has belluas e Templo abigant, male habeat, noverit, se non levem Nobis pœnam esse daturum.

XIV. Ingrediatur unusquisque Domini Templum, in eoque moretur semper detecto capite, inde nimirum detractis pileolis, reticulis, et similibus, nisi aliquo morbo ita fœdatum esset, ut magis dedeceret inde illa detrahi. Ecclesiarum Rectoribus, ut decreti hujus executioni advigilent, demandamus. Mulieribus contra modestiæ tribuit Apostolus, atque erga Angelos reverentiæ, si in Templis capite adsint velato (2); et totius corporis habitu, atque ornatu eas præ se ferre modestiam, alias jussimus. Si ipsæ in Templo verecundiæ leges evadant, ac Sacramenta tum petant, ab his repellantur; et Parochi, ne sit, cur hic casus contingat, publice nostrum hoc decretum significent.

XV. Quamquam cantus Ecclesiasticus proprie sit ille, quem *firmum* dicimus; tamen nec concentus musicos, quibus non pauci pie afficiuntur, exclusos ab Ecclesiis volumus. At curent tamen diligentissime musices Magistri, ac moderatores, ne theatrales in illum inferant modos aptos perinde solis auribus demulcendis, atque sensibus pietatis, religionisque laxandis, vel exstinguendis.

(1) *S. Pius V. Const.* Cum primum *V.* (2) *I. Corinth. cap.* 11. *v.* 4. *et* 5.

XVI. Sedile in Ecclesiis habere sibi proprium, atque immotum si quis voluerit, facultatem a Vicario nostro generali impetrare debebit, qui, audito Templi Rectore, eam concedere potest his legibus. 1. Ut minime ponatur in Choro, vel Presbyterio, vel intra Altarium septa. 2. Deinde, ut qui scamni haberi dominus vult, ipsum neque cuiquam locet, neque perpetuo concedat sine nostro, sive Vicarii nostri generalis permissu; quam legem, ubi primum constiterit fuisse violatam, scamnum illud illico in dominium, ac jus cedat Ecclesiæ, in qua positum est. 3. Postremo, ut quocumque tempore ad ipsius Ecclesiæ sive ornatum, sive commodum, sive ad alios, qui Nobis justi videantur, fines velimus, illud aut alibi in Ecclesia collocari, aut prorsus removeri, nemo obsistere moliatur (1). Mobilem vero sedem in Ecclesiam inducere, nemo audeat Parocho inscio.

XVII. Hæc Nos, pauca quidem, quæ corporis sensus percellunt, ad venerationem sacrosanctis Ecclesiis conciliandam attigimus. Quæ tamen nihil valebunt, nisi eorum, quibus proponuntur, animi ad pietatem, ac religionem sint probe formati. Hoc igitur satagant Parochi, et cæteri omnes, quorum muneris est verba ad populum facere: etenim et ipsi, nisi hoc perficiant, ne ex reliquis quidem laboribus suis optatos referent fructus.

XVIII. Nos interim graves nefariis illis hominibus pœnas indicimus, qui licentius aliquid in Templo, maxime vero pudicitiæ contrarium aggredi deprehendantur. Neque aliter in eos insurgemus, qui aut circa vasa aquæ lustralis, aut in atrio præ foribus sacrosancti illius loci, aucupum more, præstolantur fœminas, quibus vel irrideant, vel blandiantur, non sine maxima spectantium offensione, animarumque periculo. Singulis ergo Ecclesiarum Rectoribus, sive Præfectis mandamus gravissime, ut hos, itemque alios sacrorum locorum violatores emendare studeant, utque ad nostram deferant Curiam, si quos offenderint contumaces.

XIX. Fuit præterea divino primum jure institutum, atque humano deinde usurpatum, ut loca quædam sint immunia, scilicet asylum tutum. Quare privilegia, quibus fruuntur Ecclesiæ, aliaque loca immunia ad reorum confugium, custodiri omnino volumus, prout sacri Canones, ac Pontificiæ Constitutiones postulant (2). At reus ad Ecclesiam confugiens, statim Ecclesiæ Rectorem moneat.

(1) *Vide Monacel.Tom.I. tit.5. form.8. n.4. et 5.*

(2) *Cap.*Inter alia *6. de imm.Greg.XV. Const.* Cum alias *VII. Bened.XIII. Const.* Ex quo *in append. Conc. Rom. n.25. Clement. XII. Const.* In supremo *Bened.XIV. Const.* Officii nostri *Bull. Tom.III.*

XX. Sunt profecto quædam facinora adeo enormia, quorum rei, quicumque sint, ab ipso jure non habentur immunes. At vero nemini ex Judicibus laicis in hisce etiam casibus fas est, eorum auctoritate in reos hujusmodi, qui ad Ecclesiam confugerint, manus injicere; quique hoc attentaverint, incidunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam. Sed cum petitio Judicis sæcularis perlata fuerit ad Nos, a Fori nostri Ministris rei capientur, et in carceres conjicientur, Ecclesiæ nomine retinendi, donec, juris ordine servato, constiterit Nobis, utrum crimen, cujus insimulabantur, ex iis sit, quorum rei per ipsum jus immunitate loci sacri priventur, an ex iis minime censeatur. Nam si ex talium criminum numero non esse constiterit, Nos ipsi sententiam pronunciabimus, eoque reum reduci jubebimus, unde fuerat traductus. At vero si constiterit, crimen tale esse, ob quod ille non debeat immunitate gaudere, e nostra custodia educetur, atque alteri potestati judicandus relinquetur (1).

XXI. At nocentes ea in primis venerentur loca, ad quæ confugiunt. Si quis enim eorum divina Officia perturbet, si cui offensioni sit, si tumultus excitet, si novum quodpiam malefactum perpetret, aut se nimis gravem excipientibus præbeat; loci immunis Præses, seu Rector Nos celeriter certiores faciat, ut provideamus, prout res postulabit.

XXII. Locorum vero immunium Præsidibus districte præcipimus, ne sinant ea, immunitatis obtentu, invisa reddi. Si contra fecerint, ut hoc valde indignamur, ita severe illos plectemus. Nominatim autem præcipimus, ne sinant in loca immunia inferri, in iisdemque recipi merces, res suspiciosas, aut legibus vetitas. Cæterum Edictum de reverentia sacrosanctis Ecclesiis præstanda dabimus in Appendice (2).

CAPUT XI.

DE ORATORIIS CUM PUBLICIS, TUM PRIVATIS.

Præter Templa, sive Ecclesias quotidiano, ac fere perpetuo sacrorum usu celebratas, sacris iisdem dicatæ sunt aliæ quoque ædes, quæ Oratoria vocantur, quorum quædam sunt publica, suntque ea, quibus cuique patet aditus e publica via; alia vero sunt privata, ac domestica. De utroque genere sigillatim, breviterque agemus.

(1) *Ex ead. Const. Bened. XIV.*

(2) *Append. N. IX. pag. 22.*

I. Quæ mox de sacrosanctis Ecclesiis, earumque immunitate ediximus, eadem ad Oratoria publica pertinent (1).

II. In quolibet publico Oratorio, cum redit dies Titularis illius, aliquod saltem Sacrificium celebretur cereis aliquot accensis. Optabile est divini cultus causa, ut aliis etiam temporibus Sacrum in iisdem fiat. Si quis igitur Sacerdos fieri sibi postulet ibi sacrificandi copiam, prompte illi offerantur Minister, et vestes ritui congruentes.

III. Quod Oratoria hujusmodi, præsertim ruralia, etiam præter divinorum Officiorum horas, non penitus claudantur, non improbamus. Aspectus enim sacrarum Imaginum potest valere ad excitandam pietatem. Poterunt itaque in ipsorum fronte fenestellæ esse cancellis ferreis munitæ, ex quibus Imagines ipsæ conspici queant; sin minus, in eorum foribus relinqui poterit, unde illæ conspiciantur, æque tamen munitum ad arcendas hominum, et bestiarum injurias.

IV. In hisce Oratoriis nemini liceat eleemosynas quærere, nisi scripto Nós ei veniam fecerimus. Hæc de publicis.

V. De Oratoriis vero domesticis, quæ privatorum quorumdam commodo sunt constituta, edicimus, nequaquam licere in ipsis, nisi de Apostolicæ Sedis facultate, Missam celebrari (2). Quidquid ergo ab ea fuerit definitum, seu imperatum, ad amussim cognoscendum, ac, ne illico privilegium excidat, adimplendum.

VI. Ædicula, sive cella, ubi Altare constituitur, a Nobis, sive ab alio, quem designaverimus, antequam ibi Sacrum fiat, erit inspicienda, ac probanda. Hoc ipsum necessarium est, quoties qui privilegio fruitur, aliam domum incolere instituat, vel de una domus, quam incolit, cella velit in aliam Altare transferre.

VII. Inspicienda pariter est, et probanda necessaria ad Sacrificium supellex, quæ debet omnino satis munda esse, et Rubricis conformis. Altare debet esse firmiter cum pariete connexum, nec portatilis imaginem præ se ferens. Cella ipsa numquam posthac profanis usibus temeranda; neque alias contineat res, quam quæ ad Sacrificium, aut Oratorii ornatum pertinent (3).

VIII. Nunc adjuncta observanda sunt, quibus hæ concessiones impertiri solent. Jubemus autem primo observari, eas non extendi ad hæredes, sed ad eos tantum, quibus proprio nomine nuncupatis inscribuntur a tergo ipsarum, vel quibus in ipso literarum contextu

(1) *Plur. ex Trid. Sess. XXII. de observ. et evit. in celeb. Miss.*

(2) *Trid. ibid. Bened. XIV. Encycl.* Magno *ad Episc. Polon. XLVIII. §. 2. Bull. Tom. III.*

(3) *Ex dec. Clem. XII. 19. Febr. 1738.*

concessum est, ut coram se celebrari faciant. Hi *Indultarii* dicuntur. Cum vero duobus plerumque conjugibus licentia concedatur, ut coram ipsis, eorumque filiis, consanguineis, et affinibus Missa celebrari possit, declaratum est, *celebrari non posse*, *nisi aliquis ex Indultariis in Oratorio præsens habeatur*. Nemo autem, qui Missæ interest, dum in hujusmodi Oratoriis, Indultariis præsentibus, celebratur, satisfacit Ecclesiæ præcepto, nisi ex iis sit, quibus, ut satisfacere possint, in Brevi indulgetur (1).

IX. Plerumque etiam immolandi facultas ibi non est, nisi semel in die: item neque die quocumque. Namque Dominicis Paschatis, et Pentecostes, die Nativitatis, Epiphaniæ, et Ascensionis D. N. J. C., die Annuntiationis, et Assumptionis B. M. V., die Festo omnium Sanctorum, SS. Petri, et Pauli, ac Patroni loci, Sacrum in hisce Sacellis faciendi copia fieri non consuevit. Sacerdos ergo in Oratoriis privatis sacrificare rogatus, quid ipse possit, quidve non, diligenter expendat. Si cui vero concessum sit, Missam etiam diebus exceptis ibidem audire, tum Sacerdoti in die Natali Domini tres Missas celebrare integrum erit (2).

X. Pœnitentiam, et Eucharistiam in hisce locis ministrare, nemini licet, nisi ex peculiari nostra, aut Vicarii nostri generalis facultate (3). Neque etiam licet, nisi ex simili facultate, Viaticum inde ad periculose decumbentem deferre; cum hoc ex Ecclesiæ præscripto publice, quantum fieri potest, præstandum sit.

CAPUT XII.

DE PUBLICA SCHOLA PIA CARITATIS, DEQUE NUPER ERECTO PUELLARUM ORPHANOTROPHIO.

Duo nuper in Civitate pia pro fœminis instituta cœperunt. Ex his quod primum prodiit, quodque *pia caritatis Schola* vocatur, id, quantum est, monumentum est pietatis, ac beneficentiæ Emi Antecessoris nostri Antonellii. Ædes enim ad id perquam commodas comparavit, quibus supellectili ad domesticos usus, et omnis ibi exercendi opificii instrumentis abunde instructis, eo probatissimas illas juvenes nostræ Civitatis coegit, quæ et disciplinæ, juxta quam sibi esset vivendum,

(1) *S. C. C. in Marsic. 3. Dec. 1740. Bened. XIV. ibid. §. 15.*

(2) *S.C.C. 13. Jan. 1725.*

(3) *Ex eod. Bened. ibid. §. 20. et seqq.*

et artis addiscendæ exercendorum ibi opificiorum cupidas se probaverunt. Harum ille institutionem Magistris demandavit peritissimis juxta, ac probatissimis; utque certa, eademque ad exercitia solidæ pietatis, et artium, quas diximus, accommodata methodo gubernarentur, constitutionibus id quam aptissimis temperavit. Nulla autem necessaria in re passus est, aut patitur, beneficentiam ibi suam desiderari; certaque spes est, ad perpetuitatem quoque esse ei provisurum. Atque ut ad Civitatem universam utilitas hujus fundationis pertineat, voluit etiam institui ibidem, quotquot vellent ex adolescentulis extra degentibus. Effundantur itaque in tantam Antecessoris nostri pietatem, industriam, munificentiam laudes, eidemque a tota Civitate habeantur gratiæ quam maximæ; in primis vero fœminæ eo loci collectæ assiduas pro eodem preces Deo fundant, dentque operam, ut pietate, industria, concordia, accuratissimeque ad præscriptas constitutiones exacta vita, ejus sibi animum magis magisque demereantur. Nobis enim nullo modo insciis curæ, et caritatis, qua ipsis advigilat, nihil reliqui fit, nisi ut eidem hoc nomine debitas ex animo gratias persolvamus.

Post hoc fuit constitutum Conservatorium pauperum, et præcipue periclitantium orphanarum, cujus gratia debetur omnibus, qui ad opus caritate Christiana tantopere dignum eorum studia contulerunt, ac conferunt. Quos omnes hortamur, ut in proposito firmi sint. Ad Nos enim quod pertinet, ut facultates nostræ tulerunt, hoc opus adjuvimus, quantumque poterimus, adjuvare pergemus. Volumus autem et has puellas eorum, qui sibi fecerunt, et faciunt bona, apud Deum assidue esse memores; atque tum ipsis mandamus, ut accurate non modo juxta Christianam legem, sed etiam juxta loci, in quo degunt, regulas vivant, tum districte præcipimus omnibus, quibus curæ esse debent, ut utrumque hoc ab iisdem requirant. His enim regulis, quas hic exscribere haud est necesse, præscribuntur et singula, quibus stato quoque tempore vacare eas oportebit, religionis officia, et exercitationes aliæ, in quibus oportebit easdem versari. Hæc tamen distincte indicenda censemus.

I. Si quæ hic deprehendatur graviter in re quapiam delinquens, confestim illa corripiatur a domus Præside, vel ab ea, cujus curæ subest. Si vero obfirmate illa se præbeat indocilem, legumque impatientem, ac contemptricem, hoc ad Nos deferatur, qui quidem faciemus, ne frustra delatum sit.

II. Si qua de nuptiis ineundis sit actura, ei colloquia cum sponso nequaquam permittantur, nisi ex Præsidis facultate, eaque raro, ne-

que umquam sine testibus. Deinde sponsalibus initis, tempus ad Matrimonium concedatur brevissimum. Matrimonium in Oratorio Conservatorii, nisi de nostra, aut Vicarii nostri generalis licentia, non celebretur. Si quando autem hoc concedatur, celebretur illud mature, nullaque Alumna præsente.

III. Noctem extra Conservatorium a qualibet Alumna, quæ duodenne sit major, transigi numquam permittatur. Quod autem apud sæculares aliqua prandeat, perraro, et quidem apud solos consanguineos concedat Præses. Cui permissum id fuerit, comitetur eam majoris ætatis Alumna, eamdemque perpetuo ob oculos habeat.

IV. At etiam possunt expeti e Conservatorio quædam ad famulandum. Id erit Conservatorio honorificum, si idcirco inde quærantur, quod optimis moribus, et muliebrium opificiorum peritia commendentur. Præses nihilominus, ne abjiciat depositum, quod sibi creditum habet, exquirat diligenter, quænam puellæ futuræ sint conditiones; neque eam tradat, nisi certus sit, eamdem numquam fore minus custoditam, et tutam.

V. Cum de fœmina quapiam in Alumnæ locum sufficienda deliberatur, eæ anteferantur, quæ ad voluntatem eorum, quorum beneficio Conservatorium stat, accommodatiores judicentur. Et inter has anteferantur illæ, quæ mundanis periculis magis videantur obnoxiæ, privatis studiis, quibuscumque commendationibus, et aliis hujusmodi prorsus rejectis.

VI. Rem denique familiarem, quæcumque ea sit, quisquis ad id præpositus est, administret diligenter. Est enim hæc patrimonium pauperum, idest ipsius Christi, ac Redemptoris nostri, cui nos ipsos, ne dum labores, curasque nostras plane debemus. Rationum itaque libris recte habendis solerter instent, et inferiorum suorum Ministrorum fidem, et industriam explorent, atque excitent. Horum certe nihil est, quod non ad proximorum utilitatem, Deique gloriam conducat.

CAPUT XIII.

DE DOMIBUS HOSPITALIBUS.

Hospitalitas, quæ olim privatorum tantummodo caritatis, ac liberalitatis erat, in publicam porro virtutem evasit, cum ubique fere locorum excitata fuere ædificia, Præsidesque, ac Ministri designati hominibus, inopia præsertim laborantibus, benigne, commode, li-

beraliterque excipiendis. Duplici autem usui destinata sunt Dioecesis nostræ Hospitalia; curationi miserrimorum, qui morbis, præsertim periculosis tentantur, ac peregrinantibus quoque excipiendis. Huic tantæ caritatis instituto opem, quamcumque possumus, allaturi hæc decernimus.

I. Omnes hujusmodi domorum Præsides, et Administri constitutiones ad Piorum locorum regimen, atque administrationem pertinentes omnino servent, utque serventur efficiant, quemadmodum in Conciliis Viennensi, ac Tridentino sancitum est (1).

II. Ab iisdem postulamus, ut misericordiam, et caritatem induentes, tam diligenter, quod ex instituto, et justitia suscepere, proximorum calamitatibus levandis attendant, ut miseri, qui hisce premuntur, consanguineos, atque carissimos quosque sibi deesse non sentiant.

III. Hanc vero caritatem, quam omnibus esse communem jubemus, ab inferioribus præcipue Ministris requirimus. Sacro enim hoc igne si quid in pectore ardeant, in amovendis sordibus, aliisque sensuum molestiis, et in munditie, ac cæteris, quæ necessaria, vel opportuna erunt, curandis, nihil umquam industriæ, nihilque diligentiæ ab se desiderari patientur.

IV. Ægrotos ergo, statim ac limen attigerint, humaniter excipiant, statimque in lectulo ante parato peramanter componant. Tum celeriter superveniat Medicus hominis ægritudinem exploraturus, quæque artis suæ sunt experturus.

V. Ad hæc præcipua sit cura, ut æger, quocumque laboret morbo, Sacramento Pœnitentiæ expietur; tum vero, si opus sit, reliquis Sacramentis muniatur. In cæteris Medici præscripta omnino perficiantur.

VI. Medici quoque erit cognoscere, qui levari morbo cœpit, quando sit dimittendus.

VII. Haud liceat fœminis adire hominem in hospitali domo decumbentem, nisi conjugi, aut in primo, vel secundo gradu consanguineis, sive affinibus; uti nec maribus adire fœminam, nisi pari gradu conjunctis.

VIII. Ægrorum, qui in Nosocomiis moriuntur, describantur cito per Parochos nomina, cognomina, patria, cætera, quæ pertinent ad ipsos discernendos, tum dies, et hora, quibus obiere.

IX. Ut autem viri erga viros, fœminæ erga fœminas, Ecclesia-

(1) *Clement.* Quia contingit 2. *de Religiosis domib. Trid. Sess. VII. cap.* 15. *de Ref. et Sess. XXV. cap.* 15. *de Ref.*

stici erga omnes in hisce domibus decumbentes assidue exerceant officia invisendi, solandi, tum, quo poterunt modo, opitulandi, cogitent, maximam in extremo judicio habendam esse rationem modi, quo erga pauperes infirmos quisque se gesserit; eligantque, quid coram universa terrarum, cælorumque multitudine dici sibi a Christo Domino velint (1): *Infirmus eram, et visitastis me*; an vero: *Infirmus eram, et non visitastis me?* Hoc enim si assidue, ut oportet, serioque ponderent, vehementius certe excitabuntur ad id officii explendum, atque nostris quibuscumque verbis, propositisque omnis generis spectatissimorum virorum, ac fœminarum exemplis possent moveri.

X. Ad alterum horum Hospitiorum usum, scilicet excipiendi peregrinantes, quod pertinet, illud eorum Præfectis, sive moderatoribus propositum esse debet, hujusmodi Hospitia ex fundatorum voluntate iis tantum patere, qui, inopes cum sint, peregrinationem talem vel pietatis, vel non simulatæ necessitatis causa susceperint. Reprehensione igitur, pœnisque erunt digni, nisi inde aleatores, circulatores, nebulones, et generatim otiosos, ac sine justa causa vagos excludant, eoque magis si fœminas pravi moris ibi receperint.

XI. Observabunt deinde, ac diligenter cavebunt, ne quid adversus pietatem quis moliatur, ne quid supellectilis eripiat. Hoc vero ad Custodes pertineat, quorum curæ erit efficere, ut hospites aliquid pie orent, antequam cubitum eant, ac mane domo exeant.

XII. Dormire autem in eodem cubiculo mares, et fœminas, quocumque inter se vinculo conjunctos esse affirment, numquam omnino sinant, ac neque pueros: immo pueri, quantum fieri potest, a viris, ac paulo adolescentioris ætatis sejungantur.

XIII. Qui hujusmodi domorum bona administrant, meminerint, se quoque administrare patrimonium Christi; atque hinc, quanta integritate, ac diligentia suo debeant fungi munere, metiantur.

CAPUT XIV.

DE MONTIBUS PIETATIS, ET FRUMENTARIIS.

Ne pauperes deglutiantur usurarum voragine, instituti sunt Montes pietatis (2), in quibus mutuæ dantur pecuniæ acceptis pignoribus, quorum unumquodque recuperatur, reddita dumtaxat pecunia, quæ

(1) *Matth. cap. 25. v. 36. et 43.*

(2) *Leo X. Const.* Inter multiplices.

fuerat accepta. Quod si quid præterea Montes exigant, id non aliter licet, nisi quatenus sumptibus pro eorum administratione, et pro ædificii conservatione necessarium esse videatur; neque id licet, nisi Apostolicæ Sedis judicio, et auctoritate (1). Hos Montes Tridentina Synodus inter loca Pia recensuit (2), curæque, ac Visitationi Episcoporum subjecit. Ita quamquam administrentur ab Laicis; totum tamen de administratione judicium ad auctoritatem Ecclesiasticam pertinet. De quibus generalia hæc præcipimus.

I. Pecuniæ ad Montes pietatis spectantes, sive pro sorte principali a principio illis assignatæ, sive pro sortis augmento postea acquisitæ, non in alios, quam in pauperum usus, juxta formam in eorumdem Montium erectione præscriptam, convertantur quacumque de causa, etiam cum onere intra breve tempus restituendi. Si quis enim alio convertat, damnatus continuo restitutione est, inciditque in excommunicationem Pontifici Maximo reservatam ex Pauli V. Constitutione (3).

II. Hujus autem Constitutionis exemplum prostet in Monte pietatis ita, ut facile perlegi queat, eaque tota servetur. Si quæ autem sint, de quibus Constitutio illa non meminit, exigantur ea ad constitutiones Monti peculiares.

III. Sacra utensilia ad Montem pietatis non deferantur oppigneranda, neque illa Ministri recipiant, nisi ipsis constiterit de legitima concessione, qua possint oppignerari (4). Neque etiam accipiantur pignora a filiisfamilias, neque ab aliis quibuscumque, si prudens suspicio sit illa esse furtiva.

IV. Quæ pignora pulvere, tineis, situ, sordibus vitiari queunt, eadem quolibet saltem mense attrectare, excutere, apteque iterum collocare, necessariæ Ministrorum diligentiæ est: si enim horum socordia ea vitientur, damnum sarciendum ab ipsis est.

V. Ministri Montis non emant, sive per se, sive per interpositas personas, pignora in Monte recepta. Si secus fecerint, pecunia, et in subsidium excommunicatione plectentur. Eadem pignora nemini umquam, ac ne ad pios quidem usus locentur, aut commodentur; serventur vero usque dum a pignoratoribus redimantur, vel hastæ suo tempore subjiciantur.

VI. Subjiciantur autem primo, quæ antiquiora, inde quæ recentiora, illique adjudicentur, qui in auctione ipsa non simulate majus,

(1) *S.C.C. 7. Febr. et 13. Mart. 1637.*
(2) *Sess. XXII. cap. 8. de Ref.*
(3) *Constit.* Onerosa *LXXXII.*
(4) *Vid. Lambert. tota Inst. LXIX.*

quam cæteri pretium obtulerit, cui et hoc pretio soluto, tradantur. Ex pretio e singulis pignoribus coacto, Mons sibi primo recuperet, quod in singula erogaverat, ac præterea quod sibi inde sumere concessum est: reliquum custodiat fideliter, ac domino repetenti restituat.

VII. Montes frumentarii communia cum pecuniariis habeant omnia, tum quoad curam totius administrationis, tum quoad pœnas in malos Administratores, ac præcipue in eos, qui istorum locorum augmentum alio, quam in usum pauperum, distrahunt; quæ quidem ex memoratis Apostolicis literis constant. Qui in his Montibus frumenta distribuunt, accuratas ab iis, quibus ea mutuo dant, syngraphas simul recipiant; tum nomina, cognomina, menses, ac dies, quibus horum aliquid cuiquam tradiderint, ordinatim, et quidem maxime, in peculiari libro describant, idemque, cum fit restitutio, omnino servent. Tempora, quibus frumenta restituuntur, prorsus certa esse volumus. Mandamus igitur, triticum restitui mense Septembri nondum exacto.

VIII. Ministri, quæ excipiunt frumenta, condant in aptis horreis, vel cellis; provideant, ne corrumpantur; dimetiantur eadem rite, ac sollicite. Caveant vero, ne frumenta ista divendant, neve aliter, quam in pigneratores, ex Montis instituto, distribuant. Nam si quid forte compendii ad Montem redierit, seu redire debuerit, totum id vertendum denuo in pauperes est; et quidquid Mons ex non servatis hisce legibus detrimenti acceperit, Ministri suis omnino impensis reparabunt.

CAPUT XV.

DE PIIS SODALITATIBUS, SEU CONFRATERNITATIBUS LAICORUM.

Piæ Laicorum Sodalitates, quæ et *Confraternitates* vocantur, si earum origines universim spectentur, sunt perantiquæ; si fines considerentur, ad quos institutio earum refertur, caritatis, ac religionis exercitationibus frequentioribus ii continentur; neque idcirco dubium esse poterit, quin ipsarum institutio sit pietatis, atque utilitatis plenissima. Quod et Summæ Sedis auctoritas declaravit toties, quoties hæc instituta laudavit, privilegiis munivit, Indulgentiis ditavit. Nisi tamen eæ recte gubernentur, ac dirigantur, dissensiones ex ipsis, et scandala publica sæpe solent oriri. Postulant itaque providentiam nostram etiam ista Collegia, quorum exstant in Civitate, ac Diœcesi

non pauca, ut et pestes, quas diximus, inde prohibeamus, et Fratrum pietatem foveamus, et sarta tecta servemus commoda sane plurima, quæ cum a Fratribus continue percipi, tum ad proximos dimanare possunt. Hisce de causis edicimus, quæ sequuntur.

I. Cum Confraternitates nequeant legitime institui, nisi accedat Ordinarii consensus, atque approbatio (1); si quæ in Civitate, aut in Diœcesi sint, quibus ea non accesserit, edicimus, eas neque Indulgentiarum, neque ullo alio Apostolico aliis concesso beneficio uti posse, utcumque legitimis quibusdam, et maximis aggregatæ dicerentur, sed jure ipso Confraternitates hujusmodi nullas esse.

II. Præcipimus etiam, ut suum singulæ habeant legum suarum codicem Episcopali auctoritate approbatum (2). Si qua igitur nondum habeat, quantocius conficiat, et ad Nos mittat, prius quam sex ab hac Synodo edita menses effluxerint.

III. Est in plerisque Parœciis erecta Societas Sm̃i Sacramenti. Ubicumque hæc jam exstet, edicimus, ut retineatur; ubi vero non exstet, optamus, ut erigatur, et Parochorum operam ad hoc invocamus. Quæ Societas in eo potissimum occupabitur, ut cum ad infirmos Eucharistia defertur, quosdam e suis constanter mittat, qui veste ipsius Societatis induti, ac facibus instructi, eamdem, qua par est, reverentia, ac religione comitentur.

IV. Quædam ex his Sodalitatibus in nostra Diœcesi suum Capellanum habent. At illis, quæ religiosis Instituti sui officiis explendis habent Oratoria propria, deputari ab Episcopo solent etiam Directores, qui functionibus ipsarum religiosis præsint, quique ipsi die quovis Dominico, Festisque solemnioribus Fratribus verbum Dei annuntient. Illud autem hi in hisce sermonibus habeant propositum, ut Fratres hortentur ad pacem, et caritatem non fictam, potissimum inter se ipsos, præterea ad proprii Instituti leges accurate servandas, ad ejusdem munera alacriter, ac sine humanæ mercedis spe obeunda, ad conscientiam sæpius excutiendam, eliciendosque Theologicarum virtutum actus, ad Sacramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ frequenter, ac pie suscipienda, ad sedulitatem in acquirendis Indulgentiis, ad eam denique tenendam vitæ rationem, qua eorum lux luceat coram hominibus, ut videant opera ipsorum bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est.

V. Iidem, sin minus apud cœtum universum, saltem apud Mi-

(1) *Clem.VIII.Const.*Quæcumque*CXV.* *Paul.V. Const.* Quæ salubriter *LXIII.*

(2) Hoc præscribitur laudatis Constitutionibus.

nistros in Oratorio post sacra Officia congregatos distincte explicent decreta hujus capitis, itemque alia, quæ edentur de recta bonorum Ecclesiasticorum administratione. Volumus autem id fieri die illo Dominico, qui Officialium electionem proxime præcedet, et præterea post sex inde menses.

VI. Curent quoque Directores ipsi, atque etiam Capellani, ut sacræ functiones, quæ erunt in Oratoriis hisce peragendæ, majori, qua fieri poterit, expleantur dignitate; atque una simul provideant, ne quid ibi fiat, quo Parochialia jura læderentur.

VII. Ipsi autem Confratres eorum Sodalitatis regulas, piasque consuetudines universas observent. Per singulos dies ex præcepto Festos ad Oratorium conveniant, ubi statis horis Officium cum cantu persolvant, aut alia, quæ ex eorum sunt Instituto, pia opera exerceant, ac Sacro intersint, ne Indulgentiarum subsidio se ipsos privent; curentque, ut adsint numero frequentiores diebus, quibus, Officii matutini loco, indictum fuerit, ut Pœnitentiæ, sanctissimæque Eucharistiæ Sacramenta suscipiantur. Volumus autem, ut omnia hæc faciant propria Confraternitatis veste induti, si quam tamen propriam hæc habeat.

VIII. Hac ipsa ornati veste intersint iis processionibus, quibus de jure, aut consuetudine tenentur. Meminerint vero, ut intersint majori, quo poterunt, numero. In sacris hisce functionibus digniorem locum obtineat Sodalitas, quæ est in quasi possessione juris præcedendi, aut, si hujusmodi possessio sit dubia, quæ antiquior in erectione dignoscitur (1).

IX. In his, cæterisque sacris functionibus solum Dei obsequium, et cultum sibi habeant propositum. Nos certe non sine multa illum relinqueremus, qui, sicubi immorari contingat, permagna suæ totius Societatis ignominia, ejusdem veste, seu sacco amictus ad viliores quasdam officinas diverteret.

X. Nemo prorsus, sub pœnis arbitrio nostro moderandis, Quæstorem agat in fraudem nomine alicujus Sodalitii; ac nemo ad id munus habeatur legitime electus, qui non fuerit consecutus in scriptis facultatem a Vicario nostro generali. Quin etiam qui facultatem habent ab Apostolica Sede, ea uti minime possunt, nisi fuerit a Vicario nostro cognita, ac signata. Quidquid autem rerum, aut pecuniarum a Quæstoribus Sodalitii fuerit coactum, id fideliter, ac diligenter in rationum libros referatur (2).

(1) *Gregor.XIII.Const.*Exposcit *LXXXIV.* (2) *Synod.nostra Ferrarien.*

XI. Ipsorum vita sit multitudini exemplo; caveantque idcirco non modo ab inhonestis actionibus, ab usuris, a turpiloquio, a blasphemiis, verum etiam a profanis quibusdam, inter quæ versari homo vix sine periculo potest, cujusmodi sunt compotationes, choreæ, et similia.

XII. Sunt autem tria, ex quibus vel maxime pendet, ut Societates piæ, et quidquid ad has pertinet, bene se habeant: electio Ministrorum, sive Officialium, qui possint, ac velint recte, ut par est, suis muneribus fungi; cooptatio bonorum tantummodo in Fratres; denique perturbatorum amotio, de quibus hæc ordinatim edicimus.

XIII. Priorum, Syndicorum, aliorumque Ministrorum electio quotannis innovetur; utque legitima sit, fiat oportet in universo Sociorum conventu per suffragia secreta; isque erit electus, in quem major suffragiorum pars convenerit. Nemo autem ulli sibi sive consanguinitate, sive affinitate ad secundum usque gradum conjuncto, suffragetur, sed dum de illius electioné agitur, a congregatione exeat; ac nemo, dum officio solvitur, conjunctum sibi in his gradibus nominet. Hæc omnia nisi serventur, electio habeatur irrita. Cætera, quæ in horum Officialium electione servanda sunt, alibi, nec multo post edicemus. Interim nemo ex Sodalibus, qui aliquod Sodalitatis munus obierit, confirmari in eo possit, aut ejus administratio, seu officium prorogari, nisi Vicarii nostri generalis facultas obtenta fuerit; et confirmationem hujusmodi ultra triennium concedi prohibemus (1).

XIV. De proxima hujusmodi electione habenda in Civitate mature erit Vicarius ipse generalis monendus, qui sive per se, sive per alium, quem designaverit, intersit, totique præsit actioni. Qui Præses illud etiam sua præsentia commodum afferet, ut nisi post tertiam suffragiorum collectionem fuerit quisquam electus, aliquem ipse, restinctis illico controversiis, nominet. In Diœcesi vero hisce electionibus præerunt Vicarii foranei, vel, de mandato ipsius Vicarii generalis, aliquis Deputatus, servata etiam Diœcesana consuetudine. Irrita autem sit omnis electio absque prædictorum interventu habita, etiamsi Confraternitates sint in Ecclesiis Regularium (2).

XV. Electi legitime in Camerarios, et Administratores, jurent in manibus Vicarii nostri generalis, vel Deputati, collata sibi munera se fideliter administraturos, tum etiam suo ipsos tempore rationem

(1) Ex facultatibus Episcopis concessis a Tridentino *Sess. XXII. cap.* 8. *et* 9. *de Ref. S.C.Ep. et Reg.* 18. *Julii* 1594.

(2) *S. C. Ep. et Reg. in* Cæsenaten. 24. *Nov.* 1690. *Item in* Foro-Sempronien. 2. *Maii* 1692.

fideliter eorum administrationis reddituros suis Sodalibus, et Nobis quoque, aut Vicario nostro generali, si hanc requiremus.

XVI. Inter novos electos bini esse debent Syndici. Hi primo ipso duorum mensium spatio ab Administratoribus rerum, et pecuniarum Sodalitatis rationem postulent; quam tamen hi, si juramenti a se editi memores erunt, sponte exhibebunt. Hæc ratio reddenda intra quindecim dies, servatis iis, quæ seorsim de ea decernemus.

XVII. Dotes puellis ex piis dispositionibus testatorum tradendæ, numquam designentur, nisi juxta dispositiones illorum. Quare non promittantur aliis, quam iis, ad quas ex dispositione eorumdem pertinere possunt. Inter quas, si electioni sit locus, eæ seligantur, quæ sunt pauperiores, quæque moribus, ingenio, totaque vitæ ratione excellunt. Unius vero dotis unicam tantum, neque ullo modo plures, in anno fieri promissionem jubemus; et promissiones, præterquam uni, factas irritas esse volumus (1).

XVIII. Reliqua item onera in tabulas Confraternitatis relata, ab ipsa ex toto impleantur. Nova tamen onera perpetua non excipiantur in posterum, nisi de consensu nostro.

XIX. In novos Sodales non cooptentur, nisi homines bona vita commendabiles, quique ipsi neque sint penitus rudes, neque ad munera Societatis inepti. Qui istiusmodi non sunt, quantumvis rogent, non audiantur.

XX. In novos autem Fratres cooptatio fiat servatis omnibus, quæ regulæ, consuetudinesque Sodalitatum singularum ad id requirunt.

XXI. Si quis vero a virtute deflectat, si turbas cieat, si dissidia serat, si Societati esse incipiat gravis, injuriosus, aut dedecori, et ne tertio quidem monitus resipiscat, ipse ex eorum Fratrum albo denique delendus erit. Attamen omne Nobis hac super re judicium reservamus summatim habendum, quasve præstet pœnas infligere, decernemus.

XXII. Hos vero Societas quæque sibi habeat libros, idest libros *introitus*, et *exitus*, tum etiam *inventarium* ordine digestum, adjectaque indicatione eorum, qui res Sodalitati singulas donavere, anni quoque, diei, ac Notarii, qui testamenta conscripsit. Tertius erit liber redditarum administrationis rationum; quartus habebit descripta nomina, et cognomina Confratrum omnium viventium; quintus demandabitur referendis consiliis habitis, factisque ibi decretis. Hi omnes libri firmiter compacti cum cæteris publicis, privatisque scripturis in Tabulario Societatis diligenter serventur.

(1) *Synod. Pranest. sub Rufo hoc tit. cap. 9.*

CAPUT XVI.

DE SACRIS RELIQUIIS, ET IMAGINIBUS.

Qui in Ecclesia docendi obtinent munus, necesse est, sæpe, accurateque exponant Fidelibus Catholicam de sacrarum Reliquiarum honore, legitimoque sacrarum Imaginum usu doctrinam, evellantque ex animis indoctæ plebis errores, si quos forte super his irrepsisse deprehenderint. Catholica autem doctrina ab Apostolicis usque temporibus, prout Tridentina Synodus monet (1), hæc est: *Sanctorum Martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda, et glorificanda, a Fidelibus veneranda esse.* Præterea, *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant.* Denique, *si aliquando historias, et narrationes sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, et figurari contigerit . . . non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.* Hac vero Concilii Tridentini doctrina proposita, ut debitus, ac purus, idemque saluberrimus ab Christiano populo cultus sacris Reliquiis, Imaginibusque exhibeatur, hæc ex munere nostro præcipienda censemus.

I. *Omnis superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate Imagines non pingantur, nec ornentur* (2).

II. Nullius defuncti Reliquias, quacumque celebretur fama virtutum, atque signorum, licet cultu publico venerari, nisi Apostolica Sede id permittente. Permittit autem tantum de iis, quos inter Sanctos, vel Beatos retulit (3). Et nullæ etiam horum Reliquiæ publice in Oratoriis, vel Ecclesiis etiam Regularium exponendæ ad colendum

(1) *Sess. XXV. de invocat. et venerat. et Reliq. Sanct. et sacr. Imag.*

(2) *Ibid.*

(3) *Cap.* Audivimus *de Reliq. et venerat. SS.*

sunt, nisi nostra præcesserit recognitio, et approbatio (1), etiamsi hæ ab alio quocumque Episcopo recognitæ, approbatæque fuerint. Immo et Synodali constitutione Emi Rufi vetitum est, quascumque a Nobis non approbatas Reliquias etiam ad simplex ornamentum, sine thuris, et osculi honore, sacris Aris superimponere (2).

III. In exponendis autem Reliquiis hæc serventur. 1. Nulla umquam Reliquia honoranda ponatur in Altari, in quo expositum sit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum (3). 2. Neque umquam publice locetur sub umbraculo (4). 3. Qui illam ad Altare affert, aut inde refert, sit omnino Ecclesiasticus superpelliceo indutus, ac plerumque Sacerdos stola humeris adjecta (5). 4. Si Reliquia sit insignis, ut esset totum corpus, vel ossa omnia, vel etiam illa corporis pars, in qua Martyr est passus, vel certe integrum caput, vel crus, vel brachium, afferenda in publicum est, ac suo tempore recondenda cum aliqua ornamentorum, Ministrorum, cereorum, hymnorum pompa (6). 5. In Altari, dum sacrarum ædium fores patent, nulla Reliquia prostet, nisi duo saltem circum ardeant cerei (7). Tandem quotiescumque exhibentur publice, plane vetamus tali occasione eleemosynas quæri sive capsulis, sive lancibus, sive quocumque alio modo.

IV. Sancti, cujus habetur in Ecclesia insignis Reliquia, quam non sit dubium ad illius corpus pertinere, cujusque ipsius nomen certum sit esse descriptum in Martyrologio Romano, annuo die redeunte, Clerus ejusdem Ecclesiæ proprium ejus Officium, propriamque Missam recitet. Quoad Sanctos autem, qui aut incerti sunt, aut nondum in Martyrologium relati, serventur, quæ sacra Rituum Congregatio de ipsis edixit (8).

V. Pertinet vero ad Reliquiarum, etiam dum publice non prostant, honorem, 1. quod excipiantur aptis, nec inelegantibus thecis, quæ nisi pretiosiore, saltem decenti constent materie, quæque ipsæ obductæ sint panno serico intrinsecus, ex anteriore parte munitæ crystallo, ex posteriore obsignatæ sigillis. Id igitur servari mandamus; 2. Sacræ Reliquiæ numquam collocentur in Tabernaculo, ubi venerabile Sacramentum asservatur, neque in cellula sacrorum oleorum (9).

(1) *Trid. ibid.*
(2) *Tit. de Reliq. cap.* 1.
(3) *Dec. Clem. XI.*
(4) *Ibid.*
(5) *Plur. Synod.*
(6) *S. R. C. an.* 1628. *Urban. VIII. approbant.*
(7) *S.R.C. an.* 1701.
(8) *Vid. dec. gen. S.R.C.* 11. *Aug.* 1691. *in Brev. Rom.*
(9) *S.C.Ep.in* Agrigentin. 3. *Maii* 1693. *et S.R.C. in* Anconitan. 22. *Feb.* 1563.

3. Nemo grandiores, insignesque Reliquias habeat in domibus privatis, sed in publicis Ecclesiis, earumve Sacrariis. 4. In Ecclesia vero, aut in Sacrario sit armarium intrinsecus opere serico rubri coloris contectum, extrinsecus autem vel auro obductum, vel decentibus coloribus pictum, ubi honestissime conquiescant. Atque hoc armarium sit munitum duabus saltem clavibus a duobus Ecclesiasticis, qui sint morum integritate spectabiles, continue custodiendis, locorum consuetudine, vel statutis in hoc servatis. 5. Districte prohibemus, ne quis Reliquiarum, quæ ad Ecclesiam pertinent, vel minimam partem e thecis extrahere, aut alteri donare audeat. Si quis vero earum, quorumcumque sint, vel minimum vendat, tantum crimen excommunicatione plectere non dubitabimus. Immo vero meminerit quisque, insignes Sanctorum Reliquias in rebus Ecclesiarum pretiosis censeri; et idcirco, si eas absque impetrata Apostolica venia alienare cogitet, pœnas vereatur, quæ habentur in extravaganti: *Ambitiosæ* (1).

VI. Cum districte sit vetitum, corpora Sanctorum huc illuc, etiam intra ejusdem Ecclesiæ septa, transferre; si hoc interdum postulaverit rationabilis causa, consilium nostrum ante exquiratur, ut auctoritate nostra, vel Sedis Apostolicæ pro casuum diversitate accedente, rite omnia fiant (2).

VII. De Sanctorum Imaginibus, sive solidis, ac scalpro edolatis, sive planis, et pictis, sicut cavendum est, quod cavendum accepimus a Tridentino Concilio; ita elaborandum, ut decus, majestatemque præferant, utque intuentibus commode exhibeant factum, cui exhibendo elaborantur, excitentque ipsos ad venerationem.

VIII. Quidquid ergo procacitatis ex ipsis, omnique ipsarum ornatu absit longissime; aut si qua sit inducta, penitus tollatur.

IX. Absurdum est quoque, ut Fidelium aspectibus, tamquam honorandum proponatur quidpiam, quod ab rerum veritate dissentiat. Prohibemus igitur, pingi, aut fingi Imagines ab sacra dissentientes historia. Dei autem Imagines, prout statuit Benedictus XIV. (3), ea tantum forma pingantur, qua se ipsum hominibus conspiciendum præbere dignatus est. Nulla autem omnino effigies in sacro loco, quorumcumque sir, populi venerationi exponatur, nisi antea a Nobis fuerit recognita, et benedicta.

(1) *Inter extravag. commun. cap. unic. de rebus Eccl. non alien.*

(2) *Bened. XIV. de Canoniz. SS. lib. 4. par. 2. cap. 22.*

(3) *Const.* Sollicitudini nostræ *CLXI. Bull. Tom. I. §. 12. et seqq.*

X. Quascumque sacras Imagines pie, diligenterque custodiri volumus. Quare neque ibi collocentur, neque ibi jacere, seu negligi sinantur, ubi pulvis, humor, situs, aliæque causæ injuria ipsas afficiant. Et ex his Imaginibus, quæ abrasæ, truncatæ, aut laceræ apparent, vel commode instaurentur, vel igne absumantur; optimeque fiet, si earum cineres in Sacrario deponantur.

XI. In pavimentis Ecclesiarum nec Cruces, nec Sanctorum Imagines insculpantur, aut coloribus liniantur (1).

XII. Quæ vero extra Ecclesias in compitis, aut plateis, aut viis proponuntur Imagines ad parietes pictæ, eæ sint e solo elevatæ, ut a quibusvis injuriis prohibeantur; et sicubi non essent ita constitutæ, aut deleantur, aut, cum fieri poterit, inde auferantur, atque alibi decentius collocentur. Hasce autem Imagines, uti et salutiferæ Crucis signum, pingi in sordidis locis omnino prohibemus; et si quæ ibidem habeantur, inde auferri mandamus (2).

XIII. Si quando multitudinem commoveri contingat ex fama portenti ante sacram aliquam Imaginem patrati, Parochi erit, illam aptissima, quam sua ipsi prudentia dictabit, ratione compescere, simulque rem totam communicare Nobiscum, ut quid ad Dei, ejusque Sanctorum honorem expediat fieri, deliberemus (3). Interim edicimus, nemini licere nova miracula promulgare, nisi ea prius a Nobis recognita, et approbata fuerint (4).

XIV. Quod spectat ad Imagines, et cultum eorum, qui nondum fuerunt inter Sanctos, aut Beatos ab Ecclesia relati, servanda decreta ab Urbano VIII., aliaque ab Apostolica Sede edita (5).

XV. Quamquam vero loca sacris Iconibus omnium convenientissima sint Templa, atque Oratoria; tamen nec dubium est, quin et liceat, et pium quoque, atque utile sit, ipsas in privatis etiam domibus, atque cubiculis retinere. Omnes itaque hortamur, ut hoc facere studeant ea religione, qua et in Imaginibus Sanctos, quos exhibent, venerentur, et ipsarum aspectu excitentur ad eorum pietatem, virtutesque in se ipsis referendas.

(1) *Leg. unic. Cod.* Nemini licere.

(2) *Lambert. Inst.LXXIII. n.11.*

(3) *Synod. nostra Ferrarien. et plures aliæ.*

(4) *Leo X. Const.*Supremæ,*et Trid.ibid.*

(5) *Vid.Bened.XIV. de Canon.SS.lib.2. cap.2.*

CAPUT XVII.

DE TESTAMENTIS, ET LEGATIS PIIS.

Postulat omnino justitia, ut perficiantur supremæ eorum, qui defuncti sunt, voluntates. Postulant vero justitia simul, et pietas, ut si qua eorum voluntas, sive ultima ea sit, sive explicata inter vivos, aut Dei cultum, aut spiritualem ipsorum utilitatem, aut pauperum sustentationem respiciat, ea quoque accurate impleatur. Pias porro hasce dispositiones, juxta sacrorum Canonum statuta, cognoscere, et exsequi Episcoporum, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegatorum officii cum sit (1), Nos, ne magni plane momenti rem negligamus, hæc de ipsis statuimus.

I. Hæredes, iique omnes, quibus alienæ voluntates implendæ committuntur, nisi a testatore præfinitum sit tempus suæ de pia quacumque causa voluntatis implendæ, quanta maxima possunt, diligentia, ac celeritate, quod sibi commissum est, omnino perficiant. Si autem id perficiendi tempus aperte ille constituerit, ne hoc, voluntate ejus minime impleta, patiantur effugere; efficiantque præterea, ut in Cancellaria nostra constet, piæ illius voluntati fuisse satisfactum (2).

II. Si autem hæredes, aut executores intra tempus a testatore præscriptum neglexerint pias ejus dispositiones implere, aut si, nullo a testatore præscripto tempore, intra annum implere non instituerint; sciant tunc hujusmodi dispositionum exsequendarum curam ad Nos pertinere (3), qui certe omni modo urgebimus, ut pia voluntas perficiatur. Interim hoc Synodale decretum necessariæ cujusvis monitionis habere vim volumus.

III. Alibi plura de Missarum oneribus implendis decrevimus (4). Tria tamen hic placet notare. 1. Si testator non satis aperit, quem ipse Missarum numerum malit, non est hæc res ab hæredibus arbitranda; sed Nostrum erit de ipsa decernere. 2. Si testator nullam certam illis celebrandis destinavit Ecclesiam, nisi alia verosimilius ex ipsius mente conjectari possit, in Ecclesia vel Parochiali, vel in qua ejus ossa quiescunt, huic oneri satisfiat. 3. Si tota res sit aut hæredis, aut Parochi, aut alterius cujusque arbitrio relicta, hæ Missæ non celebrentur extra nostram Diœcesim, insciis Nobis. Est enim juris nostri

(1) *Trid. Sess. XXII. cap. 8. de Ref.*
(2) *Plur. Synod.*
(3) *Cap.* Nos quidem 3. *et cap.* Tua nobis 17. *de testamentis.*
(4) *Par. II. cap. V. n. 21. et seqq.*

cognoscere, fuerint, nec ne celebratæ, tum etiam in quo Altari, et quibus diebus.

IV. Quodcumque juris, aut facti impedimentum efficiat, ut pia legata vere nequeant impleri; nemo idcirco ea caduca fieri per se judicet, neque quid de iis proprio judicio audeat deserere, aut immutare. Hæc non licere, Parochi palam faciant hæredibus, et iis, qui exsecutionem eorum urgere tenentur. Tum potius quærendum, sit ne locus commutationi in aliud opus æque pium, quodque magis ad testatoris voluntatem accedat. Sed auctoritate ad id opus est Ecclesiastica. Tota ergo res prorsus ut se habet, Nobis est aperienda, ut quid tum facto opus sit, juxta Canonicas sanctiones decernere possimus (1).

V. Si tamen impedimentum tale contigerit, postquam testatoris voluntas impleri cœpit, scilicet quia imminuti sunt redditus, aut fundi in deterius vergunt; tunc ab sola Apostolica Sede petenda est moderatio, seu contractio oneris a testatore præscripti (2). Ex quo quisque facile intelliget, nemini liberum esse Missarum onus diminuere.

VI. Nulla Ecclesia, nullusque locus Pius, ac nemo Ecclesiæ, aut loci Pii nomine potest accipere legata, seu donationes rerum, ac jurium, quibus sit impositum onus perpetuo duraturum (3). Ita etiam nemini licet, hæreditates, aut etiam legata adimplenda alicui loco Pio, vel Ecclesiæ relicta nomine ipsius Ecclesiæ, aut loci Pii repudiare. Utrumque an expediat, quidque in his rebus agendum, Nostrum est deliberare (4). Alterum enim nisi per magnam imprudentiam, licentiamque nimiam fieri non potest; alterum vero si quis faceret, fieret ipse obnoxius saltem restitutionis periculo. Et meminerit quisque esse scriptum (5): *Noli prohibere benefacere eum, qui potest*; nemo idcirco deterreat quemquam, aut quoquomodo avocet a pio isto opere, nisi forte majus Dei obsequium suadere aliter videatur.

VII. At vero clausis interdum testamentis, aut codicillis piæ dispositiones descriptæ sunt, eæque non patent; neque idcirco possunt impleri, nisi testamenta, aut codicilli aperiantur. Instent igitur Parochi, ut ii, ad quos pertinere potest, aperiri sibi confestim postulent testamenta; moneantque, si de tali negligentia Curiæ nostræ

(1) *Trid. Sess. XV. cap. 4. de Ref. et Sess. XXII. cap. 6. de Ref. Barbos. de off. et potest. Episc. alleg. 83. tum seqq. Monacell. Tom. II. tit. 13. form. 7. n. 11. S.C.C. in* Soran. 25. *Junii* 1620. *relat. a Crisp. de Visit. par. 2. §. 14. n. 1.*

(2) *Crisp. ibid. n. 2.*

(3) *S.C.C. in* Celsen. 22. *Julii* 1741.

(4) *Monacell. Tom. I. tit. 5. form. 15. n. 21. et S.C.C. in* Cremon. 25. *Julii* 1707.

(5) *Prover. cap. 3. v. 28.*

constiterit, id aliquando perfectum iri, quod officio nostro debemus. Monemus interim Notarios, Cancellarios, cæteros, qui testamenta, aut codicillos conscribunt, vel recipiunt ex jure, ut meminerint, alibi sibi fuisse indicatam obligationem manifestandi Curiæ nostræ legata pia, utque animo repetant quidquid de minime manifestantibus intra terminum constitutum sancivimus (1).

VIII. Noster porro Episcopalis Cancellarius hasce denuntiationes suis accurate adjunctis instructas in librum in id unice comparatum redigat.

IX. Rata autem sunt testamenta sive ad pias, sive ad alias causas, quæ Parochus ad id rogatus cum tribus, vel etiam duobus idoneis testibus scripsit (2); receptumque communiter est, nomine proprii Presbyteri, quo utitur decretalis Epistola, qua id constituitur, comprehendi etiam ordinarium testantis Confessarium. Utrum vero etiam Confessarius extraordinarius, et Capellanus Curatus, non æque certum est (3). Volumus tamen, ut hac in re Sacerdotes nostri caute se gerant. Satius est enim, ut hoc se munere liberent, quatenus sine caritatis injuria hoc facere possint; quemadmodum facile possunt, ubi Notarii, et testium copia non deest (4).

X. Cum vero necessitas cogere ad id ipsos videbitur, hæc præcipue servent. 1. In ciendis testibus caveant, ut hi sint masculi, et fide digni. 2. Si Capellanus, aut Confessarius extraordinarius testamentum conscribant, non sint testibus duobus contenti, sed adhibeant omnino tres. 3. Et forma utantur, qua solent scribi testamenta, aut codicilli, si de his testamento adjiciendis agatur. 4. Numquam cuiquam commendent, ut aliquid sibi, vel Ecclesiæ suæ dono detur. 5. Parochi habeant librum, in quem referant testamenta, et codicillos, quos ipsi canonice scripserint. 6. Testamentis autem, ac codicillis, quos exaraverint, sese subscribant; et testes quoquo hi poterunt modo, saltem scilicet Crucis signo exarato, subscribere faciant. Quod et de exemplari horum testamentorum, et codicillorum præcipimus; volumusque districte, ut exemplar ita subscriptum intra mensem a testatoris morte ad Cancellariam nostram transmittant, ut, quod juris erit, urgere possimus; ac si quæ penes se habeant non adhuc transmissa, intra terminum eumdem perferri ad ipsam faciant. Quæ et Sacerdotibus omnibus, qui testamentum excipiunt, similiter injungimus.

(1) *Part.II.cap.VI.n.*14.*casuum reserv.*
(2) *Cap.*Cum esses 10. *de test.*
(3) *Lambert. Inst. CV.* §.9.
(4) *S. Carol. Conc. Prov.V. p.* 2.

XI. *In legatis vero piis*, (verbis utimur Concilii Romani (1),) *et quæ ab ægrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque solent, ut fraudes, litesque evitentur, testes etiam in eodem numero adhibeantur, coram quibus testator, se quædam ad pias causas eroganda, suo prout Parocho, seu Confessario injunxit, ita velle declaret; talique declaratione pia testatoris dispositio suum semper sortiatur effectum.*

CAPUT XVIII.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Quia *Beneficia ad divinum cultum, et Ecclesiastica munia subeunda sunt constituta* (2), præstiterit et pauca, quæ maxime ad rem sunt, de ipsis, deque usu redditūum iisdem adnexorum monere. Edicimus igitur:

I. Quicumque fruuntur legitimo jure aliquem præsentandi ad Ecclesiasticum Beneficium, non omittant eum, quem ipsi maluerint, Nobis offerre, seu præsentare intra tempus legitimum. Hoc enim præterito, jam electione ad Nos devoluta, jure suo tunc cadent (3). Seposita autem humana consideratione quacumque, omnibusque commendationum officiis pro nihilo habitis, semper Clericum præsentent, qui ea sit ætate, probitate, scientia, quam sacri Canones postulant, ac de quo spes sit satis probabilis, illum Deo, et Ecclesiæ gratum esse famulatum exhibiturum. Itaque neminem ante Nos ipsi constituant, quem hujusmodi esse non ante ipsi cognoverint (4).

II. Quod si patroni præsentationem sint facturi ad Beneficium curam afferens animarum, ipsis sub interminatione divini, et hujus quidem severissimi judicii edicimus, ne omnino alium nominent, prætерquam eum, quem digniorem, et Ecclesiæ, ad quam regendam est proponendus, utiliorem judicarint.

III. Noverint præterea patroni, severe cautum, ne Beneficium vacaturum cuiquam promittant, sive de illo paciscantur. Hæ enim promissiones, sive pactiones, præterquam quod ipso jure irritæ sunt,

(1) *Tit.20. cap.1. ex cap.*Relatum 11. *de testamentis*.

(2) *Trid. Sess.XXI. cap.3. de Ref.*

(3) *Cap.*Quoniam 3. *et cap.*Cum propter 27. *de jure patronat. et cap. unic. tit. eod. in sext.*

(4) *Vid. Trid. Sess. XXIII. cap. 6. de Ref. Sess. XXIV. cap. 12. et 18. de Ref. Vid. Bened. XIV. de Synod. lib. 4. cap. 8. n. 8. et 9.*

etiamsi sint juratæ (1), acriorem etiam Prælatorum Ecclesiæ iram, et pœnas provocant. Cautum vero multo severius, ne quid hac occasione recipiant ab eo, qui præsentari petit, sive ab aliis hoc ipso nomine, etiamsi sponte oblatum fuerit. Nam plectendi essent gravibus pœnis, et præter has, in excommunicationem inciderent Pontifici Maximo reservatam.

IV. Qui autem Beneficium Ecclesiasticum quærunt, animadvertere debent, deteriore se, quam simoniacos patronos, conditione esse, si quando simoniacum ipsi aliquid committant. Nam præter formidandas censurarum pœnas, est a Beneficio statim decedendum; neque exspectanda ab ullo Judice sententia, sed amplius retineri Beneficium legitime nequit. Omnes itaque, quoties Beneficium quærunt, abstineant prorsus a pactionibus, promissis, muneribus, dolis, fraudibus, iisque omnibus, quæ simoniacum quid sapiunt; abstineantque in primis a Beneficialibus confidentiis, ne omnipotentis Dei iram in se concitent, severissimasque pœnas subire cogantur (2).

V. Cum autem pacifica Beneficii possessio perturbari injuste possit, etsi a jure sit aliquando permissum hanc injuriam avertere tradita, sive pacta pecunia; quia tamen res agitur periculi plena, prohibemus, quominus id fiat Nobis inconsultis (*); quippe vel commodiore aliqua ratione consulemus, vel saltem concedemus id ipsum, si citra omne periculum fieri posse intellexerimus.

VI. Resignationes Beneficiorum, vel eorum permutationes non permittemus, nisi adsit justa causa, quæ Ecclesiæ utilitatem respiciat (3); omnesque monemus, nullas in manibus nostris, nisi puras, nullaque conditione affectas fieri posse (4). Ad Parochiale vero Beneficium quod pertinet, nemini illud resignare, aut ad aliud concurrere permittemus, nisi post exactum ab illius susceptione triennium (5).

VII. Si Beneficium, interveniente Apostolica auctoritate, resignetur cum reservatione pensionis, meminerit quisque, improbari penitus, ac tamquam simoniacum haberi pactum, si quod tum resignantem inter, et resignatarium ineatur de ipsa pensione remittenda, vel abolenda certa pecuniæ summa erogata, quamvis id unice fiat ce-

(1) *Cap.* Cum dilecta 16. *de conces. præb. et cap.* Detestanda 2. *eod. tit. in sext.*

(2) *Pius IV. Const.* Romanum Pontificem *LXXXV. et S. Pius V. Const.* Intolerabilis *LXXXV.*

(*) Exstant hanc in rem textus in *cap.* Dilectus 28. *et in cap.* Matthæus *de simonia* 23. qui videntur contrarii. Sed eos præclare explicat Lambert. *Inst.XCIII.*

(3) *Cap.* Nisi pridem 10. *de renuntiat. et Const. S.Pii V.* Quanta Ecclesiæ *LVIII.*

(4) *Trid. Sess. XXV. cap.7. de Ref.*

(5) *Synod. nostra Ferrarien.*

dendo dumtaxat commoditati percipiendi fructus reservatæ pensionis. Hujusmodi enim pactum simoniacam labem redolet, ejusque pœnæ sunt privatio omnium Beneficiorum, et quidem ipso jure, nullaque Judicis exspectata sententia, in quam uterque incidet; deinde inhabilitatio ad Beneficia alia in posterum obtinenda; ac denique pecunia a resignante ob alterutram ex iis causis percepta restitui debet, eroganda in pios usus Episcopi arbitrio (1).

VIII. Quoscumque autem, qui Beneficium sunt consecuti, volumus meminisse obligationum, quæ Clericis omnibus communes sunt, itemque aliarum, quæ pertinent ad Beneficiarios universos, ac postremo earum, quæ peculiariter adnexæ sunt Beneficio, quod possident. His enim omnibus tenentur, quam perfecte, cumulateque poterunt, satisfacere. De his vero obligationibus distincte, ac fuse suis locis diximus.

IX. Unam tamen placet rursus commemorare in eo positam, ut Beneficiarii, postquam Beneficiorum suorum fructus in moderatam suimet sustentationem insumpserint, reliquos omnes in usus erogent pios. Nihil est enim in sacris Canonibus doctrina hac magis inculcatum, quam doctrinam et Tridentinum Concilium gravissime confirmavit (2). Hoc sibi habeant, hoc meditentur Beneficiarii quicumque, ac sine dubio intelligent, se ipsos non posse absque gravi peccato redditus, quos ultra honestam suimet sustentationem ab Ecclesia percipiunt, in convivia, ludos, venationes, aliosque ejusmodi profanos usus impendere, neque etiam consanguineis elargiri, nisi tamquam pauperibus, si vere pauperes sint, ut minus egeant, non ut ditescant.

CAPUT XIX.

DE BONIS LOCORUM, ET OPERUM PIORUM RECTE ADMINISTRANDIS.

Cum in hac mortali vita rebus, fortunisque humanis sit opus ad sustentationem Ministrorum sacrorum, ad sacrarum rerum, officiorumque splendorem, et ad sublevandas pauperum calamitates; habet Ecclesia a populorum pietate, quod in usus hujusmodi conferat. Tanti autem interest, quanti hi fines intersunt, ut bona hæc, quæ sunt res

(1) *Bened. XIV. Const.* In sublimi *XXX. Bull. Tom. I.*

(2) *Sess. XXV. cap. 1. de Ref.*

Deo dicatæ (1), *deposita pietatis* (2), *patrimonium Christi* (3), *res Dominicæ*, *et a Deo commendatæ* (4), administrentur perquam diligenter, et juxta etiam fideliter. Hinc de administratione eorum plures Canones, ac plura exstant Pastorum Ecclesiæ decreta, quibus, ut debemus, accommodabimus consequentes nostras de eadem sanctiones.

I. Præcipimus ad bonorum, de quibus agitur, administrationem homines eligi probos, prudentes, industrios, quique ipsi satis bonorum stabilium possideant, sintque integra fama. Vetamus autem, ad id eligi filiosfamilias, itemque minores annis viginti quinque; tum etiam obstrictos ære erga Pium aliquem locum. Item qui ex præcedente rerum Sodalitatis, aut alterius cujusque loci Pii administratione, vel alia quacumque de causa pecuniam, aut aliam rem quamlibet Sodalitio, aut cuilibet loco Pio debet, aut ejusdem bona conduxit, ad nullum Pii loci munus, in quo gerenda sit rerum, bonorumque administratio, admittatur, nisi quidquid debet ante dissolverit, aut conductionis tempus expleverit.

II. Sed neque administrationem electi aggrediantur, nisi in manibus Vicarii nostri generalis, aut alterius ab eo deputati jurent, se munus fideliter administraturos, atque in fine anni rationem reddituros (5). Hanc autem rationem et Nobis, aliisve a Nobis destinandis, quoties requisiti fuerint, reddere tenebuntur (6).

III. Interea efficiant prorsus, ac ne omissis quidem juris remediis, ut suis debitor quisque temporibus sua cum Pio loco nomina dissolvat. Tum caveant, ne aliis proventus vendant, quam iis, quos noverint solvendo esse, quosque ipsos accurate, ac diligenter suo tempore esse soluturos spes haud levis sit; neque vendant his ipsis, nisi idonea fidejussione interposita; studeantque semper, ut contractus, quos ineunt, in loci Pii cedant utilitatem. Quidquid vero damni ex debita cautione neglecta Pio loco obvenerit, suis ipsimet administratores fortunis resarcient.

IV. Pecuniarum summas quascumque mutuo dare, vel illis ad proprium commodum uti, etiamsi aliquandiu sint otiosæ, Administratoribus Confraternitatum, Piorumque locorum quibuscumque interdicimus (7). Si secus fecerint, et quodcumque in locum Pium ma-

(1) *Conc. Paris. lib.* 1. *cap.* 15.
(2) *Tertull. Apolog. cap.* 39.
(3) *S. Bernard. Serm. ad Pastor. in Syn.*
(4) *Idem Conc. Paris. ibid.*
(5) *Clem.* Quia contingit *de Relig. domib.* §. Ut autem *circa finem*.
(6) *Trid. Sess. XXII. cap.* 9. *de Ref.*
(7) *Ex cap.* Cum Laicis *de reb. Eccles. non alien. ex cap.* Cum secundum *de præben. et ex cap.* Expedit *caus.* 12. *q.* 1.

naverit damnum, emendent, et pœnis subdantur, quibus Ecclesiasticorum bonorum occupatores sunt obstricti. Quæ vero pecunia non otiosa relinquenda, sed occupanda, ea quam tutissime deponatur; deturque opera, ut quantocius occupetur emendis bonis stabilibus, aut certe censibus, qui et ipsi sint quam tutissimi. Id fiat prævia Vicarii nostri generalis licentia, solemnitatibusque aliis servatis (1).

V. Sed ad census quod pertinet, prohibemus severe, ne ullus ematur ab Administratoribus loci, vel ab eorum consanguineis, sive affinibus in primo, vel secundo, et tertio gradu. Deinde volumus, ut quicumque sit idoneus venditor census, non modo se, resque suas obliget, sed etiam idoneam præbeat cautionem. Ita etiam universe vetamus, Ministros, sive per se ipsos, sive per alios, a Pio loco, cujus bona procurant, quidpiam emere, aut conducere, vel eidem locare, aut vendere. Hic vero studiose cavendum a fraude quacumque, sed præcipue ab ea, quæ struitur per interpositas fictas personas. Ad Nos quod pertinet, quandocumque istiusmodi contractibus Officiales sese, aut suos immiscuisse cognoverimus, illos de officio dejiciemus, nulloque hujusmodi munere umquam dignos habebimus. Ac si quando sors, sive fructus ex neglectis hisce decretis interierint, statim Ministros ipsos hisce damnis reparandis obnoxios faciemus.

VI. Officiales Confraternitatum, ac Piorum quorumcumque locorum, *bona, et redditus ipsorum in alios usus, præter eos, qui abs testatoribus, vel fundatoribus fuerunt præscripti, non convertant sub pœnis a sacris Canonibus, et Concilio Tridentino taxatis* (2). *Quod si necessitas aliter suadeat, id, Nobis non annuentibus, ne fiat inhibemus. Si secus gestum fuerit, irritum actum revocabimus, nec omnino ratum habebimus* (3). Confidimus vero Præsides locorum Piorum numquam passuros, ut horum redditus in res effundantur inutiles, voluptuarias, et minus quam opportunas, quæque Dei cultum, et veram pauperum utilitatem minime respiciant. Syndici præsertim non conniveant nimis in sumptibus, quos minus necessarios noverint; et si quid hac in re nimium ab ipsis petatur, de eo Vicarium nostrum generalem, aut etiam, si opportunius videbitur, Nos ipsos moneri volumus.

VII. Ne quis autem abusus necessitatis specie irrepat, abrogatis superioribus omnibus concessionibus, Administratoribus hisce Piorum

(1) *Const. S. Pii V.* Cum primum, *S.C.C. sæpius, et Synod. Pranest. sub Rufo tit. de Confr. Laicor. cap. 2.*

(2) *Ead. Clem.* Quia contingit *de Relig. domib. Trid. Sess. XXII. cap.* 11. *de Ref.*

(3) *Synod. Prænest. Eminorum de la Queva, et Rufi tit. eod.*

locorum interdicimus, quidpiam vel minimum ultra summam juliorum decem sine nostra, aut Vicarii nostri generalis licentia erogare sub pœna restitutionis dupli, servatis in hoc et superiorum Visitationum decretis, et duarum proxime hanc præcedentium Synodorum constitutionibus (1). Vicarius vero generalis caute procedat in licentiis hujusmodi concedendis, ne Officialium calliditate deceptus, pro re non necessaria, vel ultra necessitatem ipsas concedat.

VIII. Qui emensi sunt administrationis tempus, rationum libros novis Officialibus tradant intra dies quindecim ab officio dimisso. In iis dilucide explicetur quidquid acceptum, et quidquid datum fuit; præterea si quid moliti ipsi sint, quod nondum ad exitum deduxerint. Rationes istas attente, accurateque percurrant Syndici; dispiciantque præsertim, an quidquam immodice, an sine causa, et ex arbitrio, multoque magis an contra Instituti leges, aut Benefactorum voluntatem actum sit. Notent præterea, an gesta sint aliqua loco Pio detrimentosa, etiamsi gesta dicantur jubente, vel approbante Congregatione. Si recte, et ut operi, aut Pio loco expediebat, administrationem processisse deprehenderint, sententiam pronunciabunt, qua officio administrationis functos dimittent cum laude; sin contra, judicium proferent, quo illi cogantur sumptibus suis illata damna reficere.

IX. Novi Officiales subscribant inventarium bonorum loci Pii, quod ipsis a veteribus tradi debet, vel novum fideliter conficere non omittant.

X. Denique meminerint, Nobis etiam, vel a Nobis Deputatis rationum libros quotannis esse exhibendos, ut de tota administratione justum facere judicium possimus (2).

CAPUT XX.

DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

Etsi cuique proclive sit intelligere, res usibus sacris addictas ita ab iis, ad quos eorum cura pertinet, tuendas esse, ut in deteriorem numquam locum prolabantur, atque idcirco earumdem rerum alienationes sine justa causa, et debita solemnitate factæ prohibitæ omni jure fuerint; cum tamen multa distincte hac de re et sacri Canones, et Pon-

(1) *Visit. Apost. an.* 1703. *a Clem. XI. confirmat. Eæd. Prænest. Synod. tit. eod. S. C. C. in* Aliphana 18. *Jul.* 1705. *et* 8. *Maii* 1706.

(2) *Trid. Sess. XXII. cap. 9. de Ref.*

tificum Constitutiones præceperint, commemoranda hoc loco et ea visa sunt, ne quid a Nobis desideretur ad rationem pertinens, qua res sacræ sunt habendæ.

I. Facimus autem initium ab Constitutione Pauli II. (1), qui omnium bonorum Ecclesiasticorum, et rerum non modo immobilium, sed etiam mobilium pretiosarum alienationes, distractiones, et pacta, per quæ alicujus ex his rebus dominium transfertur; item concessiones quascumque, et hypothecas, et locationes, conductionesque ultra triennium (2), et infeudationes, dationes in emphyteusim, nisi agatur de rebus, quæ tradi antiquitus consuevere, aut de bonis, ac fructibus, qui pro instantis temporis exigentia servando servari non possunt; hos omnes contractus ita prohibuit, ut, nisi Apostolica intercedat auctoritas, nullius sint roboris, contrahentes vero in excommunicationem ipsa contrahendi actione incidant, ac simul in privationem eorum Beneficiorum, seu bonorum, de quibus contrahere ausi sunt. Quas quidem pœnas omnes ipso jure, et nulla exspectata Judicis sententia incurrant; ita ut eorum Beneficia statim conferri possint ab iis, ad quos libere spectat.

II. His additur ex ejusdem Pontificis mente, ut Doctorum vox est, eodem habendas loco permutationes quoque bonorum unius in aliam Ecclesiam (3), et transactiones, et concordias de juribus, et rebus in controversiam vocatis (4). Quare nemo, ne memoratis pœnis fiat obnoxius, audeat sine Apostolica facultate hujusmodi contractus inire.

III. Ut tamen hi contractus culpæ vertantur, pœnisque subjaceant, oportet, ipsos plane esse ita voluntarios, ut nulla juris, aut hominis præscriptione ineantur. Quare neque prohibitæ sunt venditiones, quas fieri contingat ex Bulla Gregorii XIII. super *retractu*, aut ex Bulla S. Pii V. super *redimibilitate censuum* ex parte debitoris, seu denique ex alicujus pii testatoris præscripto; quæ quidem res, aliæque his similes plane licent. In reliquis Apostolico beneplacito opus est (5).

IV. At vero beneplacitum, ut valide ineantur contractus, utque

(1) *Extrav.* Ambitiosæ *de reb. Eccl. non alienan.*

(2) Nempe tres annos utiles ex *Rotæ Romana in* Tiburtin. affictus 19. *Junii* 1648.

(3) *Vid. cap.* Nulli 5. *de reb. Eccl. non alienan. Gonzalez in cap.* 1. *et* 2. *de rer. permut. Corrad. in Prax. dispen. lib.* 9. *cap.* 10. *Card. Petra Tom. V. ad Const. Paulli II. sect.* 1. *n.* 13.

(4) *Cap.* Veniens 8. *de transact. S.C.C. in* Theat. 5. *April.* 1704. *relat. a Monacell. in suppl. ad Tom. III. n.* 45.

(5) *Fagnan. in cap.* Nulli *de reb. Eccl. non alien. n.* 27. *Card. de Luca Disc.* 1. *n.* 120. *de alienation.*

declinentur pœnæ sancitæ, oportet exsistere, et innotescere ante contractus ipsos, quod et omnino exigere debent Notarii ad stipulandum rogati. Non enim ad ea satis sunt quæcumque appositæ formulæ retentæ possessionis, vel dominii, salvi, aut reservati Apostolici beneplaciti. Si qui ergo hujusmodi contractus inire non dubitarunt sub Apostolici beneplaciti spe, et numquam hoc obtinuerint, eos hortamur, ut sibi consulant, nec velint diutius in ea, in qua sunt, rerum conditione manere. Res enim agitur omnino gravissima, quæque eos omnes debet vehementer afficere, qui talibus se contractibus immiscere veriti nequaquam fuerunt.

V. De locationibus Ecclesiasticorum bonorum, quas inire diutius non licet, quam ad triennium, speciatim præcipimus, ut sub triennii exitum conductori denuntietur ex lege conductionis finis; tum vero inane declaramus, habemus, haberique volumus pactum, quo locator, et conductor cujusvis Ecclesiastici redditus de contracta locatione convenerint, nisi tempestive rescindatur, aut solemniter iteretur, eam valere, inque triennium aliud prorogari (1).

VI. Ad eos nunc contractus procedimus, qui *vitalitii* appellantur. Exstat enim de his, quatenus super fructibus Beneficiorum ineuntur, Constitutio Benedicti XIV. (2), qua contractum, quo quis alteri certam pecuniam assignat sive præsentem, ac numeratam, sive statis deinde temporibus per partes solvendam, ut sibi concedat jus, sive, quemadmodum ajunt, *commoditatem* percipiendorum ex aliquo Beneficio fructuum, quoadusque Beneficiarius vixerit, qua Constitutione, inquimus, contractum hujusmodi nullum esse jubet, et quantacumque proportionis, ac honestatis species appareat, in irritum mittit, et tum concedentes, tum accipientes excommunicatione percellit.

VII. Nos autem vetitum istud omni jure extendimus etiam ad pensiones, et Ecclesiastici patrimonii fructus, quorum titulo quis fuerit ordinatus, quos similiter vendere, seu ad vitam concedere non modo inane, ac nullum, sed etiam nefas habebimus (3).

VIII. Bona autem Ecclesiarum, ac Piorum locorum mandamus, ne ad triennium quidem locari, nisi Edicta de locatione facienda per quindecim dies antea prostiterint, ut offerendi copia fiat universis. Quod si Administratores eorum præstare hoc negligant, et munere privabuntur, et damna reficere cogentur.

IX. A singulis interim, qui conducere volent, oblationes descri-

(1) *Plur. Synod.*

(2) *Const.* Universalis Ecclesiæ *XXIX.* *Bull. Tom.I.*

(3) *Plur. Synod.*

bantur singillatim, obsignenturque paginæ, in quibus fuerint descriptæ, quæ perferantur ad illum, cui ut tradantur, edictum fuerit. Statim vero atque indicti ab affixione dies fuerint exacti, aperiantur illæ, ac legantur, quodque magis Ecclesiæ, aut Pio loco expediat, ab iis, quibus locandi eorum bona jus est, decernatur.

X. Quibus præterea mandamus, ne locent iis, qui adhuc ipsis Ecclesiis, locisve Piis æs debent persolvere, ac ne locent consanguineis, aut affinibus, ad tertium *inclusive* gradum, eorum, qui vel possident Beneficium, vel loci Pii bona administrant, nisi peculiaris nostra, aut Vicarii nostri generalis facultas habeatur; itemque volumus, ut in locatione quacumque fidejussor accedat.

XI. Ne autem per fraudem agrorum termini immutentur, aut confundantur, caveatur quoque, ne locentur finitimis, nisi aliquando, ut aliter fiat, aperta suadeat utilitas. Tum vero commendamus vehementer, ut in instrumentis sit accurata hujusmodi fundorum, ac finium, quibus comprehenduntur, mensura, atque descriptio, neque uno modo proposita, sed pluribus adjunctis quodammodo septa, atque vallata, unde, uno indicio pereunte, alia, atque alia suppetant.

XII. Quod vero pertinet ad conductores, hi caveant sibi, ne locationum pretia exsolvant præpropere. Hoc enim, præter cætera, ei, qui nuperi possessoris loco succedit, esse perincommodum potest. Quod si contingat, ut Beneficii, alteriusque locati boni possessor sequestratione fructuum ibi adhuc pendentium gravetur; tum pariter conductor nimis tempestivæ solutionis damna experiatur necesse est, sive agatur de oneribus ejusdem Beneficii implendis, sive de aliis Beneficiarii obligationibus (1).

XIII. Arbores cædere in Ecclesiasticis fundis prohibitum sacris Canonibus æque est, ac bona reliqua Ecclesiæ alienare (2). Liceret tamen id facere, si essent silvæ natura sua, ut ajunt, cæduæ, in quibus hoc ipsum ad fructuum inde percipiendorum rationem refertur. Item liceret quoad reliquas arbores, quandocumque constaret, aut nullos fructus afferre, aut potius fundo officere, aut Ecclesiis, domibusque Ecclesiasticis reparandis esse necessarias. Verum hoc fieri vetamus absque facultate a Nobis, aut ab Vicario nostro generali impetrata; qui eam, quandocumque poterimus, elargiemur hac lege, ut singulæ singulis sufficiantur, utque omne divenditarum pretium in usus Ecclesiasticos convertatur. Utrumvis negligat, reus, præter pœnas iis

(1) *Ex Trid. Sess. XXV. cap. 11. de Ref.*

(2) *Card. Petra ad Const. Pauli II. Tom. V. sect. 2. n. 12. cum seq.*

addictas, qui res Ecclesiasticas alienant, ac dissipant, multabitur aliis arbitrio; pœnasque pariter de eo sumemus, qui arborem aliquam sine legitima facultate prostraverit.

XIV. Si Ecclesiasticæ res ex iis, quas diximus sine Apostolicæ Sedis facultate alienari non posse, exigui sint pretii, tum, juxta Canones (1), et Romanarum Constitutionum scita (2), quoties et urgeat causa, et evidens Ecclesiæ suadeat utilitas, sua id possunt Ordinarii auctoritate concedere, quæ etiam quoad Regulares est necessaria. Verum monemus, ne summa, seu pretium rerum alienandarum extenuetur per dolum, neque hæ res, ipsarumque pretium secentur in partes, quo facilius alienandi facultas impetretur. Si qui sic fecerint, neque Canonicam legum severitatem, neque nostram indignationem evasuros se sperent; ac testes, tum etiam earum rerum æstimatores, et cæteri, si qui opera sua dolo eidem inservierint, eodem loco habebuntur.

XV. Ut vero possint per omnia servari, quæ hoc, et superiore capite sunt constituta, Beneficiariis, Piorumque locorum Administratoribus præsto esse debent bonorum, juriumque Ecclesiasticorum rite digesta inventaria. Hi ergo omnes legitimum habeant inventarium bonorum, jurium, actionum, causarum ad eorum Beneficia, vel Pia loca spectantium. Si nullum adhuc, aut non satis accurate digestum habeant, illud omnino conficiant intra sex menses ab hac nostra Synodo edita; aliter enim pœnis, nec levibus obnoxii fient. Cujusque autem ex his inventariis exempla sint duo; alterum, quod quisque apud se habeat; alterum, quod ad Cancellariam nostram ibidem asservandum mittatur. Et quia res omnes humanæ suas vices patiuntur, hujusmodi inventaria, quotiescumque Nobis libuerit, iterum condi oportebit.

CONCLUSIO SYNODI.

Hactenus, prout Diœcesis nostræ rationes postulabant, solemni Synodi convocatione illa ediximus, et promulgavimus, quæ tum ad Dei gloriam, tum ad Ecclesiasticam disciplinam instaurandam, moresque in melius corrigendos maxime opportuna visa sunt. Tempus nunc est, ut Synodum ipsam concludamus, ac de Antecessorum nostrorum, nostrisque ipsis constitutionibus declaremus, quo loco has omnes haberi velimus.

(1) *Cap.* Terrulas 53. *caus.* 12. *quæst.* 2.

(2) *Vid. Fagnan. ibid. et Card. Petra ibid. n.* 59.

Omnium igitur primum, quæ in Prædecessorum nostrorum post sacrosanctum Concilium Tridentinum Synodis decreta leguntur, ea quatenus neque Apostolicis, neque hisce nostris constitutionibus adversentur, omnia probamus, nostraque confirmatione roboramus, reservationibus, pœnisque, sive spiritualibus, sive corporalibus exceptis, nisi a Nobis fuerint nominatim expressæ.

Parochos jubemus efficere, ut Laici etiam, quos hactenus indicavimus, sive in officiis constituti, sive privatæ cujusvis sint conditionis, ea non ignorent, quæ constituta, et mandata per Synodum de ipsis fuerunt.

Quanta vero sit harum legum vis, quantumque pondus, et quam accurate, sancteque singulæ sint custodiendæ, nemo non intelliget, qui vel minimum animadvertat, qua fuerint auctoritate conditæ, quid ipsæ, quaque ratione præscribant.

Omni ergo jure, fiduciaque exspectamus, ut singulæ sedulo, promptissimaque voluntate ab omnibus, quibus indictæ sunt, impleantur. Postulat nimirum hoc sibi divina illa caritas, quæ, ut olim fecit, ita, si et in Nobis ferveat, certissime efficiet, ut omnium nostrum sit cor unum, et anima una; postulat, quæ Deo est acceptissima, humilis iis, quos ipse divinis ministeriis mancipavit, obediendi voluntas; postulat denique docilitas illa, qua audiendi sunt, quos Deus ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi dedit in Ecclesia Pastores, atque Doctores. Et hæc maxime sollicitudo, hæc Nos cura circumstat, ut omnes, sive docendo, sive agendo, in idem summa animorum consensione conspiremus; sic ut gregi nostro, quæcumque audiat, aut videat, videatur sibi esse in terra labii unius, eorumdemque et sermonum, et operum.

De pecuniariis, quas constituimus multis, deque aliis, quas a delinquentibus poterimus auctoritate nostra repetere, monemus, fore omnes in usus pios erogandas.

Cum vero temporum vices, quibus et humanarum legum est obnoxia conditio, alias interdum res postulent; Nobis, et Successoribus nostris reservamus facultatem dispensandi, temperandi, declarandi Synodales hasce leges, prout in Domino opportunum videbitur.

Declaramus quoque, Synodalia hæc decreta tum solum vim suam omnem habitura, cum nostra hæc Synodus edita fuerit, ac distributa.

Postremo quæcumque in tota Synodo gesta, conscriptaque sunt, universa fidelissimo, et obsequentissimo, quo debemus, animo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matri, et Magistræ, ejusdemque, uti et totius Ecclesiæ Catholicæ Summi Capitis SS. D. N. PII

Papæ VII. Christi in terris Vicarii, et Christianorum omnium Patris, atque Doctoris judicio, ac voluntati subjicimus.

At ipse Deus, et Pater noster, et Dominus Jesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia: exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere, et sermone bono; ita ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes; sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati appareatis ante Deum, et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus Sanctis ejus. Amen. Ita quippe nostra hæc Synodalia decreta concludimus, verbis scilicet magni illius, et semper in Ecclesia Dei celeberrimi Archiepiscopi Mediolanensis, Sancti Caroli Borromæi (1). Immo vero cum idem ipse zelo domus Dei, et animarum salutis vehementissime flagrans, Ecclesiasticæ disciplinæ instaurandæ, moribusque emendandis tantopere semper allaboraverit, haud dubitamus, quin suffragator, ac patronus, nobis obsecrantibus, apud Deum sit adfuturus, ut quæ hac sancta prima Diœcesana Synodo, in hac Prænestina Basilica VIII. VII. et VI. Kal. Sept. a Nobis habita, pro commissi gregis rationibus statuenda curavimus, eadem omnia, divinis impetratis auxiliis, religiosissime custodiantur, ac perficiantur.

A. EPISCOPUS PRÆNESTINUS CARD. MATTHÆIUS
ADMINISTRATOR ECCLESIÆ FERRARIENSIS.

Joannes Jacobus Canonicus Turini
Secretarius Synodi.

(1) *Synod. Diœces. Mediol. IV.*

JUDICES SYNODALES.

Illmus, et Rmus D. Joseph Graziosi Episcopus Anastasiopolitanus, Vicarius generalis.
Rmus D. Agapitus Petrelli Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Joseph Agapitus Scavalli Borgia Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Nicolaus Mastricola Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

EXAMINATORES SYNODALES.

Ex Clero Sæculari Diœceseos.

Rmus D. Agapitus Petrelli Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Joannes Baptista Bellieni Canonicus Decanus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Antonius Maria Marini Canon. Theologus Eccl. Cathedralis.
Rmus D. Joseph Agapitus Scavalli Borgia Canonicus Eccl. Cathedralis.
Rmus D. Stephanus Adjutori Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Joseph Antonius Cialdea Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Nicolaus Mastricola Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Alexander Magistri Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Marianus Bonanni Canonicus Curatus Ecclesiæ Cathedralis.
Adm. Rev. D. Franciscus Bartolozzi Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ in oppido Paliani.
Adm. Rev. D. Cæsar de Horatiis Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Andreæ in oppido Paliani, olim sacræ Theologiæ Lector, nunc vero Philosophiæ in Archigymnasio Romano Professor emeritus, ac Theologus Emi Episcopi.
Adm. Rev. D. Andreas Tucci Archipresbyter Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in oppido Cavarum.
Adm. Rev. D. Franciscus Petrassi Canonicus in oppido Zagaroli.
Adm. Rev. D. Ignatius Tanzi Archipresbyter Ecclesiæ Parochialis S. Nicolai in oppido Genazani.
Adm. Rev. D. Dominicus Baldi Archipresbyter Ecclesiæ Parochialis S. Margaritæ in oppido Olibani.
Adm. Rev. D. Joachim Terrenzi Archipresbyter Ecclesiæ Parochialis S. Blasii in oppido Sancti Viti.

Adm. Rev. D. Lucas Mancini Archipresbyter Ecclesiæ Parcchialis S.Pauli in oppido Pisoniani.

Adm. Rev. D.Joannes Simeoni ex Arce Cavarum Lector sacræ Theologiæ in Seminario Prænestino.

EX CLERO SÆCULARI

Extra Civitatem, et Diœcesim.

Rmus D. Alphunsus ex Comitibus Mazzarelli Canonicus Custos Metropolitanæ Ecclesiæ Ferrariensis, ac sacræ Pænitentiariæ Apostolicæ Theologus.

Rmus D. Seraphinus Viviani Smi D. Nostri PII Papæ VII. ab intimo Sacello, Philosophiæ, et sacræ Theologiæ Doctor, ac Theologicæ Academiæ in Archigymnasio Romano Censor emeritus.

Rmus D. Laurentius Lauri Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Marci de Urbe, Consultor s. Congregationis Indicis, et Theologicæ Academiæ in Archigymnasio Romano Censor emeritus.

Rmus D. Joannes Baptista Marchetti Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ Doctor, Theologus Examinator Datariæ Apostolicæ pro concursibus ad Parœcias, et Examinator Cleri Romani.

Rmus D. Bernardus del Vò Parochus S. Blasii in via Julia, Examinator Cleri Romani.

Rmus D. Onuphrius del Sole Parochus Ecclesiæ S. Luciæ ad Apothecas de Urbe.

EX REGULARIBUS.

Rmus P.D. Michael Angelus Fumè Abbas ex-Generalis Camaldulensium.

Rmus P. Fridericus a Castro S. Joannis in Persiceto Ordinis Capuccinorum Concionator Apostolicus.

Rmus P. D. Franciscus Fontana e Clericis Regularibus S.Pauli Consultor s. Romanæ, ac Universalis Inquisitionis, et s. Congregationis Rituum.

Rmus P. Michael Angelus Toni e Clericis Regularibus Ministris infirmorum Consultor s. Romanæ, et Universalis Inquisitionis.

Rmus P. Agapitus a Præneste Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci Consultor s. Romanæ, et Universalis Inquisitionis.

Rmus P. Salvator Borgi Rector generalis Clericorum Regularium Matris Dei.

R̃mus P. Dominicus Lippiei ex-Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini.

R̃mus P. Marianus ab Alatrio ex-Provincialis Ordinis Capuccinorum Consultor s. Congregationis Rituum.

Adm. Rev. P. D. Carolus Altieri Monachus Cassinensis Bibliothecæ Vaticanæ Scriptor.

Adm. Rev. P. Joannes Connoly Magister Ordinis Prædicatorum.

Adm. Rev. P. Antonius Galimbene Magister Ordinis Carmelitarum, et Prior V. Conventus S. Antonii Prænestæ.

Adm. Rev. P. Joseph Antonius a Corsanico Lector Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci.

TESTES SYNODALES.

Noti Em̃o, et R̃mo D̃no Cardinali Episcopo.

OFFICIALES CLERI.

PRÆFECTI MUSICES, NE PROFANA, AUT INDECORA IN ECCLESIIS CANANTUR.

R̃mus D. Joseph Alfonsi Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

Adm. Rev. D. Franciscus Bartolozzi Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ in oppido Paliani.

Adm. Rev. D. Franciscus Lupicuti Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in oppido Cavarum.

Rev. D. Franciscus Petrassi Canonicus in oppido Zagaroli.

Rev. D. Joseph Tanzi Sacerdos ab oppido Genazani.

Rev. D. Nicodemus Ranaldi Sacerdos ab oppido Olibani.

SYNDICI, SEU PROCURATORES CLERI PRO IMMUNITATE, ET ALIIS.

R̃mus D. Alexander Magistri Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

Adm. Rev. D. Philippus Siderj Canonicus Theologus Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ in oppido Paliani.

Adm. Rev. D. Dominicus Mattei Canonicus Theologus Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in oppido Cavarum.

Rev. D. Leo Pomponi Rector Ecclesiæ Parochialis S. Laurentii in oppido Zagaroli.

Rev. D. Michael Rubini Oeconomus Ecclesiæ Parochialis SS. Petri, et Pauli in oppido Surronis.
Rev. D. Leonardus Pratesi Sacerdos ex oppido Olibani.
Rev. D. Dominicus Ruggieri Rector Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Arce oppidi Sancti Viti.

Deputati Doctrinæ Christianæ in Civitate.

Rmus D. Agapitus Petrelli Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Joseph Agapitus Scavalli Borgia Canonicus Eccl. Cathedralis.
Rmus D. Joseph Antonius Cialdea Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis.
Rmus D. Bartholomæus Vincenti Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

in Diœcesi.

RR. DD. Vicarii foranei cujusque loci.

Præfecti Disciplinæ Cleri.

RR. DD. Parochi omnes, in sua quisque Parœcia.

Præfecti Fabricæ Ecclesiasticæ.

DD. Camerarii, seu Administratores pro tempore cujusque Ecclesiæ.

Advocatus Pauperum.

Rmus D. Franciscus Maria Franceschini Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.

Procurator Pauperum.

D. Sebastianus Rischia Fiumara.

Præfecti spirituales Carceratorum.

Rmus D. Joseph Antonius Cialdea Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis.
Adm. Rev. D. Franciscus Bartolozzi Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ in oppido Paliani.
Rev. D. Leo Pomponj Rector Ecclesiæ Parochialis in oppido Zagaroli.
Rev. D. Ignatius Tanzi Archipresbyter Ecclesiæ Parochialis S. Nicolai in oppido Genazani.
Rev. D. Joseph Cintj Vicarius Foraneus oppidi Sancti Viti.

Recognitores onerum Missarum, et legatorum Piorum.

Illmus, et Rmus D. Joseph Graziosi Episcopus Anastasiopolitanus Vicarius generalis.
Rmus D. Joseph Agapitus Scavalli Borgia Canonicus Eccl. Cathedralis.
RR.DD. Vicarii foranei omnes, in sua quisque Jurisdictione.

Praefecti Processionum.

Rmus D. Agapitus Gisleni Canonicus Ecclesiae Cathedralis.
Rmus D. Bartholomaeus Vincenti Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Dispensatores eleemosynarum in Concionibus collectarum.

Rmus D. Agapitus Petrelli Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis.
Rmus D. Marianus Bonanni Canonicus Curatus Ecclesiae Cathedralis.
RR.DD. Parochi, in quorum Ecclesiis habetur concio.

Revisores administrationum locorum Piorum.

Illmus, et Rmus D. Joseph Graziosi Episcopus Anastasiopolitanus Vicarius generalis.
Rmus D. Aloysius Rischia Fiumara Canonicus Ecclesiae Cathedralis.
Rmus D. Bartholomaeus Vincenti Canonicus Ecclesiae Cathedralis.
RR.DD. Vicarii foranei omnes, in suo quisque Districtu.

ROGITUS NOTARII.

Lecta, et publicata fuere prælaudata Decreta Synodalia ex suggestu alta, clara, et intelligibili voce de mandato Emi, et Rmi Dni D. Alexandri Miseratione Divina Episcopi Prænestini, et Administratoris Ecclesiæ Ferrariensis S. R. E. Cardinalis Matthæii per Rmum D. Joannem Jacobum Turini Canonicum, et hujus Synodi Secretarium, et Adm. RR. DD. Franciscum Martini, et Canonicum Antonium Guancioli Lectores, seu Coadjutores ab Eminentia Sua Emā, et Rmā deputatos in tribus Sessionibus habitis in medio Ecclesiæ Cathedralis Prænestinæ, in cujus Altari majori toto Synodi tempore expositum adstitit Caput insignis Reliquiæ inclyti, et gloriosi Martyris S. Agapiti Patroni, vigore Edicti publicati pro Synodo convocanda, et celebranda sub die prima mensis Januarii instantis Anni 1804. coram eodem vigilantissimo Emō, et Rmō D. Cardinali Episcopo, præsentibus, adstantibus, et intelligentibus Rmis DD. Archidiacono, Decano, cæterisque Canonicis, et Beneficiatis Ecclesiæ Cathedralis Prænestinæ, nec non Canonicis deputatis a Capitulis insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ Terræ Paliani, et Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Terræ Cavarum, DD. Vicariis foraneis, RR. Archipresbyteris, Rectoribus, Curatis, Parochis sæcularibus, et regularibus Civitatis, et Diœcesis Prænestinæ, aliisque RR. Sacerdotibus, et Clericis Civitatis, et Diœcesis, Anno a Nativitate Dni Nostri Jesu Christi millesimo octingentesimo quarto, diebus vigesima quinta, vigesima sexta, et vigesima septima mensis Augusti, Indictione septima, tempore gloriosissimi Pontificatus SSmi in Christo Patris, ac D. PII Divina Providentia PP. SEPTIMI, anno ejusdem Pontificatus quinto; coram, ibidemque præsentibus RR. DD. Sacerdote Francisco Mancini filio bo. me. Joannis Victoris de Terra Burbonæ in Regno Neapolis Reatinæ Diœcesis Vice-Rectore V. Seminarii Prænestini, ac Subdiacono Dominico Ziluca fil. bo. me. Generosi de Terra Cavarum Prænestinæ Diœcesis Præfecto Adolescentium V. Seminarii, testibus ad hoc specialiter electis, adhibitis etc.

Ego Joseph Maria Ciprarj Prænestinus civis Notarius publicus, et Cancellarius Episcopalis, et Synodi Notarius specialiter deputatus, prædictis omnibus interfui, et de omnibus, et singulis peractis, et gestis in eadem Synodo Diœcesana Prænestina ad instantiam Promotorum Rmi D. Stephani Adjutori Canonici Ecclesiæ Cathedralis Prænestinæ, et Adm. Rev. D. Cæsaris de Horatiis Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Terræ Paliani rogatus exstiti. In quorum fidem hic me subscripsi, et solito meo signo munivi requisitus etc.

Loco ✠ Signi.

ORATIO HABITA

AB EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

EPISCOPO.

IN FINE SYNODI.

Ipse Deus, in cujus nomine congregati hoc Synodicum opus incepimus, et prosecuti sumus, illud confirmare, et consolidare dignetur. Quod opus ad nostram sanctificationem, SPIRITU Sancto adjuvante, DEIPARÆ Virginis, Tutelarium ANGELORUM, Sanctorum Apostolorum, et Martyrum, et præ cæteris S. BARTHOLOMÆI, in cujus solemniis inchoatum, et inclyti Patroni, et Martyris AGAPITI ope implorata, unanimiter suscepimus, et concorditer peregimus, id, venerabiles Fratres, dilectissimi filii, hodie proponitur perfectum, et absolutum. Constitutiones omnes in hac Synodo firmatas legi audivimus. Instat tempus, juxta præscriptum ab Ecclesia ritum, sacram processionem instituendi, ut Deo preces fundantur, et gratiæ summo bonorum omnium largitori agantur pro felici Synodi successu, et complemento, et jam hora advenit, ut ad vestras Ecclesias redeatis. Sed ne in irritum tot labores excidant, utque fructus hujusce conventus perseveret in dies, et in vobis gratia Spiritus Sancti, qui nos illuminare dignatus est, magis magisque augeatur, quo animo, quo affectu in recedendo ad propria singulos redire oporteat, brevi paterno sermone accipite, et lubenti animo retinete; ut enixe hortamur, et obsecramus in Christo Jesu Domino nostro.

Audivimus modo, dilectissimi, et in sessionibus trium dierum non parum temporis impendimus, audivimus lectionem omnium decretorum, et Synodalium constitutionum, quibus forma facti gregis ex animo, et exemplo, et voce ad salutaria pascua ipsum gregem Christi per salutis monita perducere, ut nostri officii ratio postulat, debemus. Quem ergo ex hac lectione spiritum hausimus? quem uberem fructum reportavimus? aut quomodo, dum verborum sonitus nostras percutiebat aures, animo affecti fuimus? Certe legente Sacerdote magno Esdra in platea librum legis coram omni populo, omnes amarissime flebant. *Flebat enim omnis populus*, inquit Scriptura (1),

(1) *II. Esdr. cap.*8. *v.* 9.

cum audiret verba legis. Quid ita? Quia lectio illa omnibus exprobrabat duritiem cordis eorum, prævaricationes legis, eorumque peccata in Dominum Deum, qui eos tam amanter dilexerat, tot beneficiis cumulaverat, eo præsertim, quod e Babilonicæ captivitatis jugo tandem liberaverat. Quis autem nostrum, Fratres dilectissimi, non videat, quanta nobis etiam in hac lectione lacrymas fundendi occasio sese obtulerit? Equidem cum ad me ipsum oculos converto, cum recogito annos meos in amaritudine animæ meæ, ac mente recolo prope infinitas culpas, et negligentias meas in Episcopali munere admissas, frequens lacrymarum, magnique fletus, ingenue fateor, sese mihi præbet occasio. Audio Apostolum dicentem (1): *Qui judicat me, Dominus est*; neque cum ipso subjungere possum: *Nihil mihi conscius sum*. Sed quis ex vobis, dicite, quæso, dilectissimi Fratres, quis ex vobis potest, aut audet cum Pharisæo illo, a Christo Domino jam reprobato, dicere: Non sum prævaricator, sicut cæteri homines? Satius certe ab nobis omnibus cum Publicano, qui e Templo justificatus descendit, exclamandum: Deus misericors, Deus clementissime, Deus, cujus infinita est bonitas, propitius esto nobis, quia nobis hæc lectio non paucas negligentias, omissiones, et tremendi nostri officii defectus detexit. Quanto magis etiam nobis amare flendum, qui non nostrarum tantum, sed et totius populi culparum pondere premimur, dum unusquisque nostrum serio recogitet coram Deo, qui etiam in Angelis suis reperit pravitatem, quam frequenter in sacro nobis tradito ministerio defecimus! Si zelo animarum accensi, et excusso ignavo torpore ad labores sustinendos, ad instruendos ignaros, ad sanctificandos populos prompto animo omnem vitæ nostræ rationem, et sollicitudinem impendissemus; si verbo pariter, et exemplo, ut par est, domus, idest familia Dei per ministerium nostrum ædificata fuisset; quot fratres Deo lucratos, quot errantes oves ad Supremi Pastoris ovile redactas lætantes in Domino prospiceremus? At cum nondum faciles præbuerimus aures, et corda Ecclesiasticis legibus, neque fecerimus ea, quæ nobis scripta, et præcepta sunt, cum moribus nostris exemplo Fidelibus esse neglexerimus, neque concreditis nobis ovibus ea, qua oportebat, cura prospexerimus; idcirco maxime nobis dolendum, et supremi districti judicii ratio nobis est pertimescenda. Pertimescenda utique; quippe jam perspicimus propter nostras, et populi prævaricationes magnam iram Dei in nos succensam,

(1) *I. Corinth. cap.4. v.4.*

et ejus dilectam sponsam Ecclesiam gementem, et desolatam, ut neque sit, qui consoletur eam.

Num vero inutiliter plorandum, ac dolendum? Absit, Fratres dilectissimi. Aqua in naturalibus exstinguit ignem, aqua lacrymarum in spiritualibus accendit. Conemur igitur, ut nostris fletibus, nostrisque lacrymis ea in nobis accendatur caritas, qua ardore maximo, et zelo flagremus, et quæcumque nobis præscripta sunt, eadem omnia corde magno, et animo volenti integre, et accurate observemus, ne quæ nunc deflere cogimur, ulterius plorare cogamur. Quare hæc duo præcipue, et serio perpendamus, scilicet, cujus sint verba hæc, quæ in Synodi lectione audivimus, et ad quem finem prolata. Vocem Domini audivimus ad sanctificationem nostram, et commissi populi salutem. Neque enim dubitare ullo modo possum, quin vos omnes tamquam Dei vocem, seu verba sitis excepturi, non modo quæ in tota hac Synodali actione ex divina lege deprompta in memoriam revocanda, et commendanda curavi, verum et illa, quæ ex Summorum Pontificum Constitutionibus, ex sacrorum Canonum, ac Prædecessorum nostrorum præscripto commemoranda, atque in usum, observationemque revocanda duxi, tum ea etiam, quæ positus, quamvis immerens, ab Spiritu Sancto Episcopus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, pro Christo legatione fungens decernenda ipse statui; siquidem vestrum omnium animis hærere debet illa Christi sententia (1): *Qui vos audit, me audit*; illudque Apostoli dictum (2): *Tamquam Deo exhortante per Nos*. Vox igitur, vox est Domini Dei nostri, cui prompte, atque in omnibus obedire debemus, et cui servire, regnare est. Vox amantis Patris ad filios, qui non dedignatur a nobis coli, et amari. Qui est magnus Dominus, et laudabilis, et amabilis nimis; cujus magnitudo infinita; cujus benignitas incomprehensibilis. Qui nos non modo in admirabile lumen suum vocavit, sed præ cæteris e populo elegit, et Ministros constituit, et dispensatores mysteriorum suorum, ut præ cæteris legibus tum Divinis, tum Ecclesiasticis adhæreamus, ita ut populum Dei verbo pariter, et exemplo doceamus, ut per nos error auferatur cæterorum, et nos, et alios, et Ecclesiam Dei in omni justitia, bonitate, et veritate illuminemus, ac sanctificemus, ne nobis dicatur (3): *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*.

Timeamus igitur, dilectissimi Fratres, ne in die magno judicii

(1) *Luc. cap.10. v. 16.*
(2) *II. Corinth. cap.5. v.10.*
(3) *I. Corinth. cap. 4. v. 2.*

Domini, sicut ipse Moysi præcipiens, ut librum legis in arca reponeret, ajebat (1): *Ut sit tibi contra te in testimonium*; ita et contra nos hæc decreta, et Synodales ordinationes pugnent, et nobis testimonium dicant, ipsa conscientia nostra testificante.

Timeamus, ne si negligentes, et remissi in hisce Synodalibus legibus observandis evaserimus, dicatur nobis, sicut Angelo Ephesi (2): *Caritatem tuam primam reliquisti . . . . . . prima opera fac; sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo.*

Verum legum omnium institutio, et finis est non solum nostra, sed et populi commissi sanctificatio, et salus æterna. Summus enim animarum Pastor Jesus Christus ab eo, quem toti Ecclesiæ præficiebat, scilicet Petro, nullum aliud signum amoris præcipui expostulavit, nisi quod pascendis suis ovibus totum se traderet, sic nimirum interrogans (3): *Simon Joannis, diligis me?* Et respondente Petro: *Tu scis Domine, quia amo te*, subjunxit: *Pasce oves meas*. Quid est autem pascere oves Christi, nisi perficere, ut leges observent, a noxiis eas avocare, et ad salutaria pascua quasi manu deducere? Nostrum igitur est, qui ad pascendas oves Christi superna bonitate electi fuimus, hanc præcipuæ dilectionis significationem exhibere Christo, ut totis viribus curemus, et toto cordis affectu conemur, ut grex ab eo nobis concreditus in semitis justitiæ ambulet, ut numquam inimicus homo eum perdere, mactare, aut dispergere valeat, sed in lege Domini indeficiens perseveret, et inter hujus sæculi pericula, et mundi laqueos ad eum securius perveniat, qui est futurus gaudium, et perenne præmium.

Vos potissimum, Pastores, alloquimur. Hæc audite, et firmo animo retinete. Quamvis enim quilibet ex iis, qui divinis mancipantur ministeriis, ad gregem Christi pascendum, quasi providus Ordinis nostri cooperator, præficiatur; vos tamen præ cæteris in partem sollicitudinis nostræ estis vocati. Idcirco rogamus, et obsecramus in Domino, ut quemadmodum cœpit Jesus Christus Summus Pastor facere, et docere, ita vos exemplo præeuntes, offerendo vosmet ipsos hostias acceptabiles Deo, et reformati in novitate sensus vestri, nec non renovati spiritu mentis vestræ, hujusce Synodi constitutiones teneatis, in illis instetis verbo, easque vigilantia vestra custodiatis, et servetis. Vos ipsi caste, et sancte custodite animas vestras, ut ajebat Paulus Apostolus ad Titum. Ita sane vos *quasi filii obedientiæ* . . . .

(1) *Deut. cap.31. v. 26.*
(2) *Apocal. cap.2. v. 4. et 5.*
(3) *Joan. cap.21. v.15.*

secundum eum, *qui vocavit vos* . . : *sancti eritis*, atque perfecti (1). Atque in obedientia caritatis, in amore fraternitatis manifestus fiet omnibus vester profectus. Sic lucebit *lux vestra coram hominibus*, et videbunt *opera vestra bona*, et glorificabunt *Patrem vestrum*, *qui in cælis est* (2).

Utinam hic pro coronide, sive ad exemplum, sive ad animarum zelum promovendum, possem cum Paulo subjungere (3): Ambulate, *sicuti habetis formam nostram*! Sed quoniam ego minimus Apostolorum nullum meæ virtutis exemplum proponere vobis queo, præ oculis, quæso, habete tot inclyta exempla ex ipso nostro Clero, eorum, qui omnibus virtutibus pollent, modestia scilicet, castitate, qui pietate summa præditi, et summo animarum zelo flagrant, et cum eodem Apostolo vos precor: *Observate eos*, *qui ita ambulant* (4). Et vos sic pariter *ambulate* in Christo Jesu.

Quotquot denique hic adestis, Ministri Domini, Sacerdotes Dei, et cooperatores Ordinis nostri, nolite, quæso, oblivisci eorum, neque excidant umquam e cordibus vestris, quæ scripta sunt in libro hoc. Perficite, ut super populum, quem Dei gratia nacti estis docibilem, cum sanctitate vitæ *concrescat ut pluvia doctrina* vestra, *fluat ut ros eloquium* vestrum (5). Vobis vero docentibus, excellentioremque viam Dei in hisce legibus demonstrantibus, ipse populus ejus nomen Domini invocabit, et dabit magnificentiam Domino Deo nostro. Interea paterno animi affectu ipsum Dominum exoramus, ex quo omnis descendit paternitas, et benedictio, ut gratia, et pax, quæ exuberat omnem sensum, multiplicetur super vos, et super filios vestros in Christo Jesu; ut Spiritus Sancti dona effundantur, et illorum, et vestrum omnium custodiant sensus, et corda. Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum, et terram. Namque ipse benedicens vobis benedictionibus suis, adjutor vester in sacro ministerio erit; et benedictio ejus super vos quasi fluvius inundabit (6), et diffundetur super filios vestros.

Nostrum enim est, quantum divina gratia possumus, efficere, ut e semitis impiorum, atque e malorum via fratres nostros eripiamus, neminem ex iis, quantum ad nos pertinet, perire sinamus, sed eos in sinum Patris æterni perducamus, *qui lucem inhabitat inaccessibilem*, in cælum cæli, *in Regnum Filii dilectionis suæ* (7).

(1) *I. Pet. cap.* 1. *v.* 14. 15. *et* 16.
(2) *Matt. cap.* 5. *v.* 16.
(3) *Philip. cap.* 3. *v.* 17.
(4) *Ibidem*.
(5) *Deut. cap.* 32. *v.* 2.
(6) *Eccles. cap.* 29. *v.* 27.
(7) *I. Timot. cap.* 6. *v.* 16.

Quare accincti divino robore viriliter agite, et confortetur cor vestrum custodientes præcepta hæc. Innoventur dies nostri, sicut a principio (1). Nullimode in legum observantia timeamus eos, *qui occidunt corpus*, *animam autem non possunt occidere*; *sed potius timeamus eum*, *qui potest*, si in ministerio deficiamus, *et corpus*, *et animam perdere in gehennam*; *iterum dico*, *hunc timeamus* (2). E faucibus mortis animas confitentes Domino, et pretioso sanguine Jesu Christi redemptas eripiamus, ut et ipsæ ad Deum convertantur, et vivant; *et exspectantes beatam spem*, *et adventum gloriæ magni Dei* (3), salutem consequantur a Christo JESU Domino nostro, cui nos laudem dicimus, et qui in circuitu nostro sunt, et omnes inhabitantes orbem benedicant, et laudent cum PATRE, et SPIRITU Sancto per infinita sæcula. Amen.

FINIS SYNODI.

(1) *Thren. cap.* 5. *v.* 21.
(2) *Matth. cap.* 10. *v.* 28.
(3) *Tit. cap.* 2. *v.* 13.

APPENDIX
SYNODI PRÆNESTINÆ.

APPENDIX
SYNODI PRÆNESTINÆ.

I.

PROFESSIO FIDEI

Ad praescriptum Bullae Pii IV., quae incipit: *Injunctum nobis Apostolicae servitutis officium etc.*

EGO N.N. firma fide credo, et profiteor omnía, et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cæli, et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum JESUM Christum, filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis: et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est: et resurrexit tertia die secundum Scripturas: et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris: et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: Et unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et Constitutiones firmissime admitto, et amplector.

Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novæ legis a JESU Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacri-

Ad Textum Evangelii ante Homiliam.

Ad Cantica: *Magnificat*, *Benedictus*, *Nunc dimittis*, quia sunt verba Evangelii. Item ad Symbolum: *Quicumque vult salvus esse*, quia agitur maxime de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Ad Preces in Prima, exceptis diebus, in quibus flexis genibus sunt dicendæ, prout infra. Ad Martyrologium autem est sedendum.

Ad Lectiones Officii parvi B. Mariæ V. in Adventu, quia sunt Evangelium.

Ad intonationem Antiphonarum Canonicalium, et per totas *Antiphonas majores* præcedentes Festum Nativitatis D.N.J.C. (4).

Ad Orationes, quibus immediate Deum alloquimur. Ad Commemorationes, et Suffragia Sanctorum, excepto tamen cum dicuntur Preces feriales, ut infra: nam tunc solus stare debet, qui recitat Orationes ad legile, aliis genuflexis.

Ad Antiphonas pariter B. Mariæ V. in fine Horarum stare oportet tempore Paschali, et omnibus Dominicis a primis Vesperis *inclusive*. Aliis autem diebus genuflectendum (5).

Stare debet, qui Antiphonas intonat, Lectiones legit, aut Responsoria.

Quid agendum, Eucharistia patente super Altare, superius dictum est.

In reliquis Officii partibus semper sedendum, dummodo non sit opus genuflectere, quemadmodum infra exponetur.

GENUFLECTENDUM

In ingressu Chori omnes, præter Canonicos, ad Crucem Altaris genuflectant; Canonici autem profunde inclinent. Idem, cum Choro exeunt (6). Item ad Orationem: *Aperi* genuflectitur ab omnibus.

In Invitatorio ad verba: *Adoremus*, *et procidamus*; in Hymno *Te Deum* ad verba: *Te ergo quæsumus etc.* (7).

(1) *Cærem. Episc. lib.2. cap.6. n.6.*
(2) *Id. ib. cap.5. n.2. et 3. et cap.6. n.6. et 7.*
(3) *Id. ibid. cap.1. n.11.*
(4) *Id. lib. 1. cap. 18. n. 9. et lib.2. cap. 1. n. 10. et cap. 3. n.12.*
(5) *Rubr. Brev. XXXVI. n. 3.*
(6) *Cærem. Episc. lib.1. cap.18. n.3.*
(7) *Id. lib.2. cap.18. n.8. et 10.*

Ad versiculos primos Hymnorum: *Veni Creator Spiritus*, et *Ave maris Stella*: item ad versic. *O Crux, ave spes unica*, etiam tempore Paschali. Dum Hostia consecrata est super Altare exposita ad versus: *Tantum ergo*: *O salutaris Hostia* (1).

Ad Antiphonas B. Mariæ V. in fine Horarum (2).

Ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum post Completorium, excepto tempore Paschali, & Dominicis a primis Vesperis *inclusive*.

Ad Martyrologium in Vigilia tantum Nativitatis D. N. J. C. cum pronunciatur versus: *In Bethleem Judæ*, usque ad illa verba: *Nativitas Domini Nostri JESU Christi secundum carnem*.

Lector genuflectit in fine cujuscumque Lectionis, exceptis Canonicis, ad illa verba: *Tu autem Domine* (3).

Ad Preces feriales in diebus pœnitentiæ dicatis (4).

Ad Preces in Officio Defunctorum, & Psalmis Gradualibus; Psalmi vero Pœnitentiales cum Litaniis, & Orationibus genibus flexis sunt recitandi (5).

Genuflectendum in Triduo Passionis a ℣. *Christus factus est* ad totam Orationem: *Respice quæsumus, Domine*, quæ dicenda est pariter *nudato capite*, propter humiliationem Christi in Cruce morientis (6).

Ad Orationem: *Sacrosanctæ* post Officium ad obtinendum, quod indulsit Leo X.

INCLINANDUM

Capite semper detecto.

Ad ℣. *Gloria Patri*, etiam pro lucrandis Indulgentiis concessis a s. m. Joanne XXII., & Urbano IV. (7).

Ad Triadem Sacrosanctam, quoties nominatur, præcipue in Hymnorum conclusione, et in Cantico Trium Puerorum ad ℣. *Benedicamus Patrem, et Filium*, quia tenet locum ℣. *Gloria Patri* (8).

Ad nomen *JESU*, *Mariæ*, *et Sancti*, de quo fit Officium, nec non ad nomen *Pontificis Regnantis* (9).

Ad Psalmum: *Laudate Pueri*, quando pronunciantur verba: *Sit nomen Domini benedictum*, et ad Psalmum: *Confitebor*, cum dicitur ℣. *Sanctum, & terribile Nomen ejus*.

Ad Confessionem, quæ fit ad Primam, et ante Completorium usque ad ℣. *Misereatur* inclusive.

Lector ante Lectiones petendo benedictionem inclinat versus Hebdomadarium, cum dicit: *Jube Domne*: neque dicendum *Domine*, quia hic Dei titulus est pronunciandus ab eo, qui solus Officium recitat; ille titulus est hominis præclari, et Deo sacrati (10).

(1) *Id. ibid. cap. 2. n. 12.*
(2) *Rubr. Brev. loc. cit.*
(3) *Cærem. Episc. lib. 2. cap. 6. n. 14.*
(4) *Rubr. Brev. XXXIV. n. 3. et 4.*
(5) *Rubr. Brev. suis locis.*
(6) *Cærem. Episc. lib. 2. cap. 22. n. 13. et seq.*
(7) *Id. ibid. cap. 3. n. 5. et alibi.*
(8) *Id. ibid. cap. 6. n. 8.*
(9) *Id. ibid. cap. 8. n. 46.*
(10) *Id. ibid. cap. 6. n. 12.*

SIGNANDUM

Signo Crucis signandum os pollice ad Orationem ante divinum Officium: *Aperi Domine* (1).

Item initio Matutini, cum dicitur: *Domine*, *labia mea aperies* (2).

Insuper signandum pariter pollice in pectore in Completorio ad illa verba: *Converte nos, Deus*, juxta laudabilem consuetudinem, ut cor nostrum ad Dominum Deum nostrum convertatur.

Extensa autem manu signandum quotiescumque dicitur: *Deus in adjutorium*, in principio cujuslibet Horæ Canonicæ: non quidem signandum, quando hic versus ter pronunciatur in Prima post Orationem: *Sancta Maria*. Modus autem signandi simul, et pronunciandi hic est. Pro unoquoque verbo *Deus*, *in adjutorium*, *meum*, *intende*, qui pronunciat tangit manu primo *frontem*, deinde *pectus*, mox *humerum sinistrum*, ultimo *dexterum* (3).

Ad ℣. *Adjutorium nostrum* ante Confessionem in Prima: non autem ad eumdem versum immediate præcedentem verba ℣. *Benedicite*, ℟. *Deus*: *Dominus nos benedicat*, quia ad hæc tantum verba Crucis signum est formandum.

Item signandum ad *Adjutorium* in Completorio.

Laudabile est signum Crucis fieri ad Antiphonam de Cruce in Officio feriali manu extensa, vel pollice ad pectus, ut alii consueverunt.

Ad initium trium Canticorum Evangelii: *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis* pariter signandum (4).

Tandem in fine Completorii cum dicitur: *Benedicat*, *et custodiat nos etc.*

IN MISSA CONVENTUALI

STANDUM.

In aspersione aquæ lustralis, quæ fit a Celebrante in Dominicis, omnes stare debent aperto capite, et Aspergenti reverenter caput inclinare. Canonici sunt singulatim aspergendi, et Celebrans aliquam honoris significationem erga illos adhibebit ante, et post ipsam aspersionem. Cæteri de Clero insimul aspergantur quasi per circulum (5).

Ab Introitu usque ad *Kyrie* a Canonicis standum: cæteri in Choro genuflectant (6).

Omnes stent ad *Gloria in excelsis*, Collectas, Evangelium, et Præfationem, a Consecratione usque ad Consummationem *inclusive*. Tandem oportet stare ad Benedictionem cum ultimo Evangelio (7). Ad *Gloria*, et *Credo* cum sedent, caput detectum inclinent ad ea verba, in quibus ipse Celebrans ex Rubrica pariter inclinat.

Dum a Choro canitur: *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, *Agnus Dei*, qui in Choro sunt, bini ea recitent stantes, ac subinde sedeant (8).

(1) *Rubr. Brev. XIII. n. 1.*
(2) *Cærem. Episc. lib. 2. cap. 6. n. 6.*
(3) *Id. ibid. cap. 1. n. 5. et cap. 3. n. 5.*
(4) *Id. ibid. cap. 2. n. 14.*
(5) S.R.C. 20. *Decembr.* 1605.
(6) *Rubr. Missal. XVII. n. 5. Cærem. Episc. loc. cit. cap. 8. n. 32.*
(7) Gavant. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 17.*
(8) *Rubr. Missal. XVII. n. 7.*

Advertendum obiter, initio Evangelii signandum esse pollice in fronte, ore, et pectore. Servanda insuper laudabilis consuetudo ita signandi ad ℣. *Pax Domini*.

GENUFLECTENDUM

Ad illa verba in Symbolo Apostolorum: *Et incarnatus est*, ad quæ verba in Missa Annunciationis B. Mariæ Virginis, et Nativitatis Domini duplici genu propter solemnem tanti Mysterii festivitatem (1).

Quoties genuflectit, qui canit Evangelium, omnes similiter genuflectant. Hoc contingit ad ℣. *Et Verbum caro factum est*: in Evangelio Epiphaniæ, et per illius octavam; *Et procidentes adoraverunt eum*: in Evangelio pariter Feriæ IV. post Dominicam IV. Quadragesimæ dum pronunciatur: *Et procidens adoravit eum*: in Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce ad verba Epistolæ: *In Nomine IESU omne genuflectatur*: quando canitur Passio ad illa verba: *Expiravit*, *Emisit spiritum* (2).

Genuflectendum cum canitur a Diacono: *Flectamus genua*: in Tractu ad ℣. *Adjuva nos*, *Deus* usque ad finem, et in Missis de Spiritu Sancto ad ℣. *Veni Sancte Spiritus*.

In Missis porro Feriarum, et Defunctorum genuflectendum ad omnes Orationes, et a Præfatione ad totam Orationem Dominicam, exceptis Vigiliis Paschatis, Nativitatis Domini, Pentecostes, et quatuor Temporibus Pentecostes (3).

Quando in Missis Defunctorum distribuendae sunt candelæ, hoc fieri debet post Epistolam. Accenduntur autem ad Evangelium, et ad elevationem Sacramenti, et post Missam, dum fit absolutio (4).

QUOAD PILEOLUM.

Caput omnino aperiendum quotiescumque Canonicus Chorum ingreditur, vel egreditur, aut a proprio stallo discedit pro Lectionibus, vel aliis ministeriis in Choro subeundis.

Quum aliquis Antiphonam intonat, Orationem dicit, aut Lectionem legit..

Ad aspersionem aquæ lustralis in Dominicis: ad Evangelium Missæ: ad incensationem, et pacem (5).

Hebdomadarius, qui Benedictiones in Matutino pronunciat (6).

In Missa Conventuali a Consecratione usque ad Sanguinis sumptionem (7). Qui assistunt in Choro Missæ Conventuali, non possunt portare pileolum per totum Canonem (8).

Quotiescumque in Evangelio, vel in Missa Celebrans genuflectit, Chorus pariter genuflectat, capite semper aperto, ut supra dictum est.

Quando Sacerdos induit sacra indumenta, consuetas orationes devote recitans, laudabile esset, si staret aperto capite sine pileolo.

(1) *Ibid. n.3.*

(2) *Ibid. n.1. et Cærem. Episc. lib.2. cap.21. n.13. et 16.*

(3) *Rubr. Missal. XVII. num. 5. et Cærem. Episc. lib.2. cap.11. n.7.*

(4) *Missal. Rom. de ritu servand. in celebr. Mis. XIII. n.3.*

(5) *Cærem. Episcop. lib.2. cap.31. n.4.*

(6) *Id. ibid. cap.6. n.12.*

(7) S.C. Episc. *In un.* S.Angeli 5. *Novembris* 1602.

(8) Nicol. *verb.* pileol. *n.*2. aliiq. in *Synod. Fulginaten.* Baptistelli *App. cap.*3.

X V.

SYNOPSIS

Parvi Cæremonialis editi jussu Benedicti XIII. pro Functionibus persolvendis Fer. V., VI., et Sabbato majoris Hebdomadæ in minoribus Ecclesiis Parochialibus.

Ex Merato Tom. I. Observat. in Gavant. Part. IV. Tit. 8. *et seqq.*

PRO FERIA V. MAJORIS HEBDOMADÆ.

Hora congrua Rector Ecclesiæ Missam celebraturus induit se paramentis Missalibus albi coloris; et interim primus Clericus accendit candelas in Altari majori, aptat calicem in medio ejus, et retro illum pyxidem cum particulis. Deinde idem Celebrans, præcedente primo Clerico, et post eum secundo cum tertio, manibus junctis procedit tecto capite ad Altare, ubi Missam de die celebrabit cum cantu, si fieri potest, sine Ministris. In eadem Missa ultra Hostiam consuetam consecratur et alia, et particulæ pro Communione Fidelium, et pro infirmis. Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex abaco ad Altare calicem vacuum cum palla, patena, velo albi coloris, et vitta serica. Idem Celebrans, sumpto Sanguine, et cooperto calice, ex quo eum sumpsit, ponit alterum calicem a primo Clerico delatum in medio corporalis, et detegit; deinde genuflectit, et alteram Hostiam consecratam in eo reponit, cooperit palla, et patena inversa, velumque desuper expandit, quo facto facit Communionem Clericorum apud Altare juxta morem consuetum cum debitis genuflexionibus, deinde virorum, et mulierum ad cancellos.

Peracta Communione, Celebrans ad Altare cooperit pyxidem, eamque reponit in Tabernaculo: postea prosequitur Missam cum iisdem ritibus, et cæremoniis, ac si esset expositum sanctissimum Sacramentum ad Altare. Sumpta ab eodem Celebrante ablutione digitorum, calix Missæ defertur a primo Clerico ad credentiam. Interim accenduntur candelæ in Sacello Sepulchri, disponitur baldachinum, seu umbella, et distribuuntur cerei pro Sodalibus, si adsint, vel cultioribus de populo.

Finita Missa, Sacerdos accedit ad medium Altaris, genuflectit, et per viam breviorem descendit ad planum Epistolæ, ibique per manus Clericorum deponit planetam, et manipulum, et accipit pluviale albi coloris. Sic indutus per anteriorem viam redit ad medium Altaris, ubi flectit utrumque genu: deinde stans imponit thus in thuribulum, ministrante aliquo Acolytho, sine osculis, et benedictione: tum iterum genuflexus Sacramentum incensat triplici ductu, postea sumit velum humerale, adjuvante aliquo Acolytho, et surgens ascendit ad suppedaneum Altaris, genuflectit, deinde surgit, et ad cautelam firmat velum calicis ligula serica. Accipit deinde calicem sinistra per nodum, submittens eam velo, et dexteram ponit supra calicem, supra quam secundus Clericus extendit extremitates ambas veli humeralis.

Si nulli sint Cantores, ipsemet Celebrans, facie ad populum conversa, incipit hymnum: *Pange lingua etc.*; postque statim incipit processio, in qua proceditur ordine sequenti.

Primo procedunt Sodales, *si qui sunt*, vel pii viri cum luminibus. Secundo Crux processionalis delata a tertio Clerico. Tertio primus Clericus cum thuribulo fumigante. Quarto Celebrans sub baldachino, vel sub umbella, et a sinistris ejus Clericus elevans ejus vestis anterioris extremitates, dum descendit gradus, vel ascendit, et recitans cum eodem Sacerdote: *Pange lingua etc.* illumque prosequendo.

Quum perventum fuerit ad Sacellum, omnes se disponunt per duas partes, ita ut Celebrans, et Thuriferarius transire possint per medium illorum; deferens vero Crucem sistet e regione Sacelli. Celebrans ascendit ad Altare ejusdem Sacelli, et deponit calicem super corporale extensum in ejus mensa, et deinde descendit primum gradum, ac genuflexus in suppedaneo, deponit velum humerale. Interim deferentes baldachinum asportant illud in locum congruum: tum Celebrans surgens imponit incensum in thuribulum sine benedictione, et sine osculis, et utroque genu procumbens, inclinato profunde capite antea, et post, Sacramentum incensat triplici ductu, recitantibus interim Clericis: *Tantum ergo Sacramentum*.

Facta incensatione, surgit, et genuflexione iterum facta, postea calicem in capsula reponit, eamque claudit; deinque descendit ad secundum, vel infimum gradum, ubi parumper orat. Deinde surgit, et facta iterum genuflexione ambobus genibus in plano, per breviorem viam recedit, præcedente Cruce, medius inter duos Clericos, et revertitur ad Altare majus; ibique facta genuflexione, ascendit ad suppedaneum, indeque extrahit e tabernaculo, et defert pyxidem, in qua sunt particulæ, praecedentibus duobus Clericis cum candelis accensis ad locum, ubi est calix reconditus, vel ad alium locum paratum. Quo facto pergit in Sacristiam, ubi deponit paramenta alba, sed non albam. Postea accedit in Chorum, ubi incipit, et prosequitur Vesperas sine cantu, quibus finitis, sumit stolam violaceam super albam pendentem ante pectus, et procedit ita indutus ad denudationem Altaris, adjuvante aliquo Ministro, seu pluribus, dicens Antiphonam: *Diviserunt sibi etc.*, et Psalmum: *Deus, Deus meus, respice in me etc.* Quem interim Cantores prosequuntur, si qui forte adsint.

Denudatis etiam aliis Altaribus, si quæ sunt, redit ante Altare majus, ubi post ultimum Versiculum Psalmi, et repetita Antiphona, genuflectit cum omnibus aliis, dum aliquis Clericus dat signum Salutationis Angelicæ cum crotalo. Surgit deinde, et facta genuflexione Cruci cum suis Clericis, revertitur in Sacristiam, ubi paramenta deponit, et gratias Deo agit.

Curare debet Ecclesiæ Rector, ut assidue adsint, qui orent ante SSmum Sacramentum in Sacello Sepulchri, et decens numerus cereorum in eo colluceat.

PRO FERIA VI. IN PARASCEVE.

De principio Officii usque ad denudationem Crucis.

Hora competenti datur signum cum crotalo. Clerici accipiunt superpellicea in Sacristia; Celebrans vero induitur planeta nigra, et procedit cum iisdem, sed ipse tecto capite, illi vero detecto, ad Altare majus, manibus junctis, quo quum pervenerit, ibi procumbit, et orat quasi ultra spatium unius *Miserere*. Interim duo Acolythi, facta cum ipso brevi oratione, surgunt, et facta genuflexione Cruci, sumunt de credentia mappam, illamque extendunt super mensam Altaris; deinde unus ex illis ponet Missale apertum cum suo cussino super cornu Epistolæ. Celebrans ad monitionem alicujus Ministri surgit a procubitu, et amoto per aliquem

Clericum pulvino ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio. Accedens deinde ad cornu Epistolæ legit primam Lectionem cum Tractu, deinde dicit: *Oremus*, et genuflexus cum omnibus ipsemet dicit: *Flectamus genua*, et unus ex Acolythis primo surgens dicit: *Levate*, et Celebrans subjungit Orationem: *Deus, a quo etc.* Deinde legit secundam Lectionem, et Tractum; ac successive cantat Passionem integre, nisi forte aliquis Diaconus eam decantet, sicut etiam postea cantat in eodem cornu Epistolæ Monitiones manibus junctis, et Orationes manibus extensis, ut in Missali. Ante singulas Orationes, octava excepta, idem Celebrans genuflexus, prout faciunt et cæteri, dicit: *Flectamus genua*, et unus ex Acolythis, ut supra, dicit: *Levate*. Circa finem Orationum aliquis Acolythus tapetem explicat, aptat desuper cussinum, et deinde velum extendit, ubi est collocanda, et adoranda Crux.

De Crucis denudatione, et adoratione.

Dictis Orationibus omnibus, Celebrans in eodem cornu Epistolæ planetam tantum deponit, deinde genuflectit in medio Altaris, et reverenter ipsemet Crucem, quæ est inter candelabra, capit, et primus Clericus accipit Missale. Postea Celebrans accedit ad angulum posteriorem Epistolæ facie versa ad populum, et Clerico sustentante Missale ante illum, incipit manu dextera detegere summitatem Crucis, et ambabus manibus aliquantulum Crucem elevans gravi voce dicit: *Ecce Lignum Crucis*; et Clerici eadem voce prosequuntur: *In quo Salus mundi pependit*; et genuflectentibus omnibus præter Celebrantem, iidem Clerici subjungunt: *Venite adoremus*; et similiter omnes secunda, et tertia vice peragunt, ut in Missali.

Discooperta tota Cruce, et pronunciatis tertio prædictis verbis ab omnibus Clericis, unus ex illis ponit lancem a latere sinistro pulvinaris ad accipiendam oblationem, alter vero Clericus, qui habebat Missale, illud reponit super legile, vel super cussinum, et interim ab alio tertio discooperitur Crux processionalis, et aliæ Cruces omnes per Ecclesiam. Interim Celebrans descendens per latus Evangelii portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum præparatum, ubi genuflexus eam collocat super velum pulvino superpositum; deinde surgit, et facta genuflexione vadit ad planum cornu Epistolæ, ibique deponit prius manipulum, deinde calceamenta Clericis adjuvantibus, et ita excalceatus procedit ad adorationem Crucis; qua tertio adorata, et osculata, oblataque pecunia, surgit, et facta genuflexione, redit ad cornu Epistolæ, et ibi in plano Clerici deponunt et ipsi calceamenta ob specialissimum cultum, quem hac die s. Ecclesia exhibet Cruci, et post Celebrantem ante omnes alios de populo adorabunt Crucem eo modo, quo Celebrans, et reversi ad sua loca calceamenta resument. Post Clericos adorabunt Sodales cum saccis, si adsint, deinde viri, ultimo mulieres, omnes bini, devote, ac graviter. Interim primus Clericus assistat adorantibus, secundus, et tertius accedunt ad Celebrantem, et alta, et clara voce cum eo improperia recitant.

Circa finem adorationis primus Clericus accendit cereos Altaris, secundus vero successive portat ad Altare bursam cum corporali incluso, et super eam purificatorium: extrahit, et explicat corporale, et prope illud in parte Epistolæ extendit purificatorium. Tertius vero Clericus transfert Missale cum legili, et cussino ad cornu Evangelii. Completa adoratione, Celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus; Clerici vero amovebunt tapetem, pulvinar, velum, et lancem, et apponent ignem in thuribulo, et Celebrans, collocata Cruce, descendet ad planum in cornu Epistolæ, ubi resumet planetam, et manipulum, et postea aperto capite accedet ante Altare.

De Processione ad Sacellum, et regressu ad Altare cum SSmo Sacramento.

Celebrante ante Altare commorante, incipitur Processio per breviorem viam ad Sacellum, ubi asservatur SSmum Sacramentum, hoc ordine. Præcedunt Sodales, si adsint, Confraternitatis, sive pii viri: deinde Thuriferarius cum navicula, et thuribulo non fumigante: postea sequitur Crux processionalis denudata, et delata a tertio Clerico inter duo candelabra, si adsint, qui ea deferre possint: denique Celebrans cum planeta habens ante ipsum a sinistris secundum Clericum. Interim accenduntur cerei dicti Sacelli ab aliquo Ministro. Quum pervenerit Celebrans ad dictum Sacellum, facta genuflexione in plano Cappellæ, surgit, et postea genuflectit in infimo gradu Altaris, ibique orat parumper cum omnibus, deinde surgit, aperit capsulam, genuflectit, descendit ad infimum gradum Altaris, vel remanet genuflexus in suppedaneo, ut alii volunt, incensat Sacramentum in capsula, inde surgit, et facta genuflexione, extrahit e capsula calicem, quem ponit super Altare, iterum genuflectit, claudit capsulam, si in ea reperiatur pyxis cum particulis, alias relinquitur capsula aperta; et præmissa alia genuflexione, descendit primum gradum, et genuflexus in suppedaneo accipit velum humerale, et surgit, et facta genuflexione, stans accipit calicem, quem secundus Clericus dicto velo cooperit. Celebrans vertens renes Altari, et faciem ad populum intonat voce alta hymnum: *Vexilla Regis prodeunt etc.* quem cum secundo Clerico prosequitur etc. Revertitur processio ad Altare ordine sequenti. Primo Sodales, seu pii viri cum cereis accensis: post eos Crux processionalis: deinde Thuriferarius continue thuribulum agitans: denique Celebrans sub baldachino, vel sub umbella habens secundum Clericum ante se a sinistris.

Quum perventum fuerit ad Altare majus, Sodales, et pii viri remanent extra cancellos, ibique dispositi cereos accensos usque ad Officii finem in manibus tenebunt. Crux processionalis reponitur prope credentiam; baldachinum vero, seu umbella deponitur ante cancellos, et in loco proprio collocatur. Celebrans accedit ad Altare, et calicem ponit super corporale, soluta vitta apposita ad cautelam, et velum ejusdem calicis extendit, ut fit in initio Missæ; deinde genuflectit, surgit, velum humerale deponit, et stans thus sine osculis, et benedictione in thuribulo ponit, deinde genuflexus ibi in suppedaneo, vel descendens ad infimum gradum Sacramentum triplici ductu incensat adhuc parvo velo tectum.

De reliquo Officio, et Ritu hujus Feriæ.

Incensato Sanctissimo Sacramento, Celebrans surgens accedit ad Altare, et genuflectit; deinde amovet velum de calice, postea patenam, quam invertens ponit super corporale in medio, postmodum removet pallam, et calicem accipiens deponit ex eo Hostiam super patenam, cavens, ne illam digitis tangat, et si forte tetigerit, lavat digitos ibidem in vase ad hoc præparato, et aquam continente, (quam postea ipse Celebrans sumet post suam Communionem,) et digitos statim extergit; tum Celebrans respective prosequitur omnia, ut in Missali disponitur.

Ministrabunt etiam, si fieri potest, aliqui Sodales alicujus Confraternitatis in suo habitu, ut omnia convenientiori modo fieri valeant. Expleto Officio, Celebrans cotta, et stola indutus reportabit ad locum paratum hostias, seu particulas contentas in pyxide pro infirmis e loco, ubi prius erat calix cum sanctissima Hostia, et si aliter fieri non possit, relinquat ibidem.

Reposita dicta pyxide, ante quam lampas continuo ardeat, omnes genuflectunt, et datur signum meridianum Salutationis Angelicæ cum crotalo. Tandem exstinguuntur cerei Altaris, et ab Acolythis omnia reportantur in suum locum.

PRO SABBATO SANCTO.

De principio Officii usque ad Benedictionem Cerei.

Extra portam Clericus cum Cruce sistit se in limine portæ, renes eidem vertens, facie Crucifixi versa ad Celebrantem. Celebrans ante mensam collocatam inter ipsum, et Crucem ibidem stans ex Missali posito super legile legens benedicit ignem tribus Orationibus, deinde unica Oratione grana incensi, quæ dum benedicuntur, primus Clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, et ponit in thuribulo.

Celebrans imponit cum benedictione, et osculis incensum in thuribulo, deinde aspergit ignem, et grana, et eadem postea thurificat. Idem Celebrans post redditum thuribulum Thuriferario, deponit pluviale, et stolam coloris violacei, et accipit manipulum, stolamque Diaconalem, et dalmaticam albi coloris: interim secundus Clericus cum aliquo ligno sulphurato accendit candelam de novo igne, et recondit in laterna, et alius Clericus accipit pateram cum granis incensi. Celebrans iterum ponit incensum in thuribulo cum benedictione, et osculis, postea accipit arundinem, et proceditur ad benedictionem Cerei ordine sequenti.

Primo Clericus cum granis incensi a dexteris, et Thuriferarius a sinistris: secundo tertius Clericus cum Cruce: tertio Celebrans cum arundine, et alius Clericus cum laterna a sinistris ejus. Clerici cum granis, thuribulo, et Cruce ingrediuntur Ecclesiam, et sistunt, quando Celebrans ingressus fuerit januam Ecclesiæ. Celebrans ingressus Ecclesiam inclinat arundinem, et accensa ex candela laternæ, sive ex ligno sulphurato una ex tribus candelis arundinis per Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum Clerico Cruciferario, et sic genuflexus clara voce dicit: *Lumen Christi*: tum, surgentibus omnibus, Clerici, seu Sodales alicujus Confraternitatis, si adsint, respondent: *Deo gratias*: et alia vice facit in medio Ecclesiæ, ut in Missali, donec pervenerit ad Altare, ut ibi dicat tertia vice: *Lumen Christi*, ut supra.

De Benedictione Cerei.

His omnibus peractis, et data arundine alicui Acolytho, seu alicui Sodali, Celebrans genuflexus, (accepto prius libro de manu alicujus Acolythi, seu Sodalis, ut supra,) ante Altare in infimo gradu, prætermisso: *Munda cor meum*, dicit tantum: *Jube, Domine, benedicere*, et ipsemet subdens dicit: *Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut digne, et competenter annuntiem suum Paschale Præconium*. Deinde surgit, et facta genuflexione Cruci Altaris, accedit ad legile paratum in plano Evangelii hoc ordine. Primo Thuriferarius habens a dexteris quartum Clericum cum granis incensi: secundo tertius Clericus cum Cruce habens a sinistris secundum Clericum cum arundine: tertio Celebrans cum Missali.

Quum pervenerint ad legile supradicti, apud illud se disponunt in recta linea, et vertent faciem, sicut Celebrans, juxta nostram sententiam, non ad partem aquilonarem, sed ad meridionalem, et latera sinistra ad Altare, ut facilius populus audire possit Præconium Paschale.

Celebrans, posito Missali super legili, illud apertum incensat, et postea clara, et hilari voce incipit Præconium: *Exultet etc.* Ad verba: *Curvat imperia*, infigit grana incensi, prout in Missali; et ad alia verba: *Rutilans ignis*, accendit cereum ex una candelarum arundinis; ad verba: *Apis mater eduxit*, quiescit, donec quartus Clericus ex cereo per candelulam in virga lampadem, vel lampades accendat. Finito Præconio Celebrans claudit Missale, secundus Clericus firmat arundinem in sua basi, tertius deponit Crucem a latere Epistolæ, vel eam defert in Sacristiam: deinde præcedentibus Thuriferario cum Clerico de granis a sinistris, ac secundo, et tertio Clerico, facta genuflexione Altari, revertitur Celebrans in Sacristiam, ibique depositis paramentis albis, accipit manipulum, stolam, et planetam coloris violacei.

De Prophetiis.

Celebrans ita paratus, præcedentibus Clericis, procedit ad Altare, et facta Cruci genuflexione, ascendit, osculaturque illud in medio; deinde accedens in cornu Epistolæ super Missali ab aliquo Acolytho eo asportato, alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, et Tractus, genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit: *Flectamus genua*, cui Clericus surgens respondet: *Levate*.

Si tamen erit numerus sufficiens Acolythorum, in plano ante Altare cantare poterunt Prophetias, et tunc Celebrans eas submissa voce legit: ita etiam si erit Chorus, omnes Tractus cantabit, aliter leget idem Celebrans, ut diximus.

Completa ultima Oratione, Celebrans descendit in planum, et facta genuflexione Cruci, procedit ad scabellum, sive credentiam, et ibi deponit planetam, et manipulum.

Si Ecclesia habuerit Fontem Baptismalem, Celebrans accipiet pluviale violaceum; si autem Fontem non habeat, accedit sine casula ante Altare pro Litaniis, ut infra.

De Benedictione Fontis.

Si benedicendus sit Fons Baptismalis, primus Clericus amovet cereum accensum e candelabro, et accedit ante Altare. Tertius Clericus accipit Crucem, et similiter venit ante Altare. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem sedentem super aliquo scabello, qui surgens incipit alta voce Tractum: *Sicut cervus etc.* quem lente prosequitur cum suis Clericis.

Inchoato Tractu, dirigitur Processio ad Fontem, factis debitis reverentiis Altari hoc ordine. Primo Clericus cum cereo, secundo Clericus cum Cruce, tertio Celebrans medius inter duos alios Clericos, recitans tecto capite Tractum. Quum ad Fontem pervenerit, peragit omnia, et deprimendo vocem, etiamsi non cantet, ut in Missali; et ipsemet asperget populum de aqua, quam benedixit, suo tempore, et baptizat in paramentis albis, si qui sunt, quos catechizaverit ante Officium, et in Ecclesiam introduxerit.

De Litaniis, et Missa cum Vesperis.

Completa Fontis benedictione, incipit Litanias, et revertitur ad Altare, et deposito pluviali, procumbit ad Altare, si aliquis cantet, vel legat Litanias; si

vero ipsemet recitat, tunc non prostratus, sed genuflexus manet, et eo casu non dicit in fine: *Kyrie eleison*, sed discedit ad vestiendum se pro Missa celebranda in paramentis albis; et interim removetur pallium Altaris violaceum, ut appareat album, quod sub ipso positum fuit, et accenduntur candelæ. Ponitur etiam ab aliquo Acolytho calix super Altare, et præparatur Missale super cussino albo; deinde Celebrans indutus paramentis albis revertitur ad Altare, (Clerico præcedente,) ante cujus gradus facit Confessionem de more cum Psalmo: *Judica me, Deus etc.* Si adsint aliqui Clerici Cantores, sive Laici, qui sciant cantare, poterunt cantare: *Kyrie eleison*, (licet reliquum Officium sine cantu celebratum fuerit;) sin autem non adsit Chorus, ipse Celebrans, juxta morem facta Confessione, ascendit ad Altare, et in ejus medio post Orationem: *Aufer a nobis*, dicit immediate: *Kyrie eleison*, ut alias, quum non legatur *Introitus*. Si hæc Missa, ut dixi, celebratur cum cantu Chori, fieri poterit in ea thurificatio Altaris, etiamsi celebretur sine Ministris sacris. Finita autem tali incensatione, Celebrans dicit: *Kyrie* in cornu Epistolæ, et deinde rediens ad medium Altaris cantat, vel dicit: *Gloria in excelsis*, et pulsantur campanæ.

Post Epistolam Celebrans dicit ter: *Alleluja*, elevando gradatim vocem, et Clerici post quamlibet vicem in eodem tono repetent illud, et Celebrans prosequitur ℣., et Tractum. Reliqua omittit, vel dicit, prout in Missali. Loco Antiphonæ *Communio* dicuntur Vesperæ, ut in Missali; videlicet Celebrans in cornu Epistolæ dicit Antiphonam: *Alleluja etc.*, cum Clericis prosequitur Psalmum: *Laudate etc.*, et in fine repetitur: *Alleluja etc.*, deinde subdet Antiphonam: *Vespere autem Sabbati etc.* cum cantico: *Magnificat*.

Si Missa sit in cantu, ut supra, incensare poterit Oblata, et Altare, quod etiam incensabit ad prædictum canticum: *Magnificat*.

Finita Missa, Celebrans, præcedente Ministro deferente Missale, redit in Sacristiam de more: minutiores Ritus, et cæremonias hic omisimus.

Tandem Celebrans, vel alius Sacerdos paratus cotta, et stola alba, ac velo humerali reponit Sanctissimum Sacramentum, Clericis, vel aliis faces deferentibus, in Tabernaculo solito.

XVI.

BENEDICTIO

Contra mures, locustas, bruchos, et vermes noxios.

Antiph. Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

Psalm. Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis etc.

℟. Gloria Patri, et Filio etc. *et repetitur Antiphona*.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini;

℟. Qui fecit cælum, et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam;

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum;

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, et hanc murium, (vel locustarum, vel vermium,) persecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur; ut tua potentia procul expulsi, (vel expulsæ,) nulli noceant, et campos, agrosque nostros in tranquillitate, ac quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia, et orta tuæ Majestati deserviant, et nostræ necessitati subveniant. Per Christum etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, omnium bonorum remunerator, et peccatorum maximus miserator, in cujus nomine omnia genuflectuntur, cælestia, terrestria, et infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam, efficacem consequamur effectum; quatenus hos pestiferos mures, (vel locustas, vel vermes,) per nos servos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peste liberati, gratiarum actiones Majestati tuæ libere referamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcizo vos pestiferos mures, (vel locustas, vel vermes,) per Deum Patrem ✠ omnipotentem, et Jesum Christum ✠ Filium ejus, et Spiritum Sanctum ✠ ab utroque procedentem, ut confestim recedatis a campis, et agris nostris, nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis; pro parte omnipotentis Dei, et totius Curiæ cælestis, et Ecclesiæ sanctæ Dei, vos maledicens, ut quocumque ieritis sitis maledicti, (vel maledictæ,) deficientes de die in diem in vos ipsos, (vel ipsas,) et decrescentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem, et usum humanum. Quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postremo aqua benedicta aspergantur loca hisce animantibus infestata.

XVII.

SOMMARIO

Di diverse Indulgenze, che può ognuno facilmente acquistare, qualora si eserciti nelle infrascritte opere di pietà, e divozione.

I. A quelli, che in articolo di morte con la bocca, o col cuore (non potendo con la bocca) invocheranno il Nome Santissimo di GESU', si concede Indulgenza plenaria, purchè sieno stati soliti ad invocarlo; ed a quelli, che in vita riverentemente nomineranno il Santissimo Nome di GESU', e di MARIA, venticinque giorni d' Indulgenza per ciascheduna volta; finalmente a quelli, che si saluteranno nella loro lingua, o in altra dicendo: *Lodato sia Gesù Cristo*, ed a quelli, che risponderanno: *In sæcula*, ovvero *amen*, o *sempre*, vengono concessi cento giorni d' Indulgenza; e tutti quelli, che procureranno, che sia in uso questa salutazione, otterranno le stesse Indulgenze. Sisto V., e Benedetto XIII.

II. A quelli, che reciteranno in ginocchioni divotamente al suono della campana la mattina, o a mezzo giorno, ovvero la sera la solita orazione: *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto. Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, e con la detta orazione tre volte l' *Ave Maria etc.* si concede Indulgenza plenaria in un giorno di ciaschedun mese a loro elezione, purchè in detto giorno veramente pentiti, confessati, e comunicati, preghino il Signore per la pace, e concordia fra i Principi Cristiani, per l'estirpazione dell' eresie, e per l' esaltazione della santa Madre Chiesa. Negli altri giorni poi dell' anno, a quelli, i quali veramente contriti diranno l' orazione, come sopra, ogni volta, che ciò faranno, si concedono cento giorni d' Indulgenza. Le medesime Indulgenze si concedono a quelli ancora, che recitino in piedi detta orazione dal Vespero di ciascun Sabbato a tutta la Domenica seguente, e nel tempo Pasquale, ancorchè in detto tempo si reciti in piedi l' antifona: *Regina cæli etc.* col suo versetto, ed orazione corrispondente: *Deus, qui per Resurrectionem etc.* in vece dell' orazione suddetta; e quelli, che non sanno quest' antifona, acquisteranno l' Indulgenza, se reciteranno anche in detti giorni la sopraddetta orazione dell' *Angelus Domini*. Benedetto XIII., e Benedetto XIV.

III. A quelli, che reciteranno in ginocchioni al tocco della campana nella prima ora di notte il Salmo: *De profundis* in suffragio delle anime de' Fedeli defonti, o pure un *Pater noster*, ed un' *Ave Maria*, col versetto: *Requiem æternam etc.* si concedono cento giorni d' Indulgenza per ogni volta. Quelli poi, che per un anno continuo avranno avuto questa pia usanza, conseguiranno Indulgenza plenaria in quel giorno da eleggersi a loro piacere, in cui pentiti, confessati, e comunicati pregheranno Dio, come sopra. Clemente XII.

IV. A quelli, che insegneranno, o andranno ad imparare, ovvero interverranno all' Istruzione sopra l' orazione mentale, che si farà in qualche Chiesa, o pure in altro luogo, si concedono sette anni, ed altrettante quarantene d' Indulgenza, purchè sieno veramente pentiti, confessati, e comunicati per ciascheduna volta, che ciò faranno; a quelli poi, che ciò faranno assiduamente si concede l' Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati, quando veramente pentiti, confessati, e comunicati in un giorno da eleggersi a loro piacere in ciascun mese dell' anno, pregheranno il Signore, come sopra; la quale Indulgenza potrà applicarsi anche in suffragio delle anime del Purgatorio. Questa Indulgenza plenaria ne' detti termini si concede anche a quelli, che per un mese continuo avranno impiegato mezz' ora, o almeno un quarto d' ora per ogni giorno nell' orazione mentale, i quali potranno eleggere quel giorno del mese, che più loro piacerà. Benedetto XIV.

V. A quelli, che reciteranno divotamente una terza parte del Rosario della Beata Vergine, si concede Indulgenza di cinque anni, ed altrettante quarantene: e se l' abbiano recitato ogni giorno per un anno intero; si concede, che una volta l' anno nel giorno da eleggersi da ciascuno acquistino l' Indulgenza plenaria applicabile ancora alle anime del Purgatorio, purchè confessati, e comunicati preghino per la concordia de' Principi Cristiani, estirpazione dell' eresie, ed esaltazione di santa Madre Chiesa. Sisto IV., Leone X., e Benedetto XIII.

VI. Indulgenza di cento giorni a chi inginocchioni al suono della campana recita cinque volte il *Pater*; e l' *Ave* nel dopo pranzo del Venerdì in memoria della passione, ed agonia di N. S. G. C. per concessione di Benedetto XIV.

VII. A chi recita l' *Ave Maria* concedono diversi Sommi Pontefici sessanta

giorni d' Indulgenza: similmente a chi recita la *Salve Regina* quaranta giorni.

VIII. Inchinando il capo ai SSmi Nomi di GESU', e di MARIA venti giorni d' Indulgenza; e trenta giorni a chi inchina il capo al *Gloria Patri*.

IX. A chi piega il ginocchio a terra per riverenza del SSmo Sacramento dugento giorni.

X. La sa. me. di Pio VI. a chiunque almeno contrito di cuore reciterà una volta al giorno: *Sia lodato, e ringraziato ogni momento il SSmo, e divinissimo Sacramento*, concede cento giorni d' Indulgenza. Per tutta l' ottava del *Corpus Domini*, e per tutti li Giovedì dell' anno a chi lo reciterà tre volte al giorno trecento giorni d' Indulgenza. Chi poi lo avrà recitato ogni giorno nel corso di un mese, confessandosi, e comunicandosi, e pregando pe' bisogni di santa Chiesa, secondo la intenzione del Sommo Pontefice, riceverà Indulgenza plenaria.

XI. A chi dirà: *Sia benedetta la santa, ed immacolata Concezione della B.V.M.* cento anni d' Indulgenza concessa da Gregorio XV., e confermata da Clemente XII.

XII. A quelli, che avranno Corone, Rosarj, Croci, o Medaglie con la benedizione in articolo di morte data dal Sommo Pontefice, o da altri, che ne hanno la facoltà dal medesimo, si concedono le infrascritte Indulgenze, comprese nella Notificazione più volte stampata in Roma d' ordine della Sacra Congregazione delle Indulgenze, e sacre Reliquie, cioè:

Chi sarà solito dire una volta almeno la settimana la Corona del Signore, o della Madonna, o il Rosario, o la sua terza parte, o l' Offizio o divino, o piccolo della Madonna, o de' Morti, ovvero i sette Salmi Penitenziali, o Graduali, ovvero avrà il costume d' insegnare la Dottrina Cristiana, o visitare i carcerati, o gl' infermi di qualche Ospedale, o di sovvenire i poveri, o d' intervenire alla Messa, o dirla, essendo Sacerdote, se veramente pentito, e confessatosi da Confessore approvato dall' Ordinario, si comunicherà in qualsivoglia degl' infrascritti giorni, cioè nel Natale del Signore, Epifania, Risurrezione, Ascensione, Pentecoste, Festa della SSma Trinità, e Corpus Domini, Festa della Purificazione, Annunciazione, Assunzione, e Natività della Beatissima Vergine, Natività di S. Gio. Battista, Festa de' Santi Apostoli Pietro, e Paolo, Andrea, Giacomo, Giovanni, Tommaso, Filippo, e Giacomo, Bartolommeo, Matteo, Simone, e Giuda, Mattia, di S. Giuseppe Sposo della Beata Vergine, e di tutti i Santi, e divotamente pregherà Dio per l'estirpazione dell'eresie, e degli scismi, per l'aumento della Fede Cattolica, per la pace, e concordia de' Principi Cristiani, e per altri bisogni di santa Chiesa; in esso giorno acquisterà la remissione di tutti i suoi peccati, e l' Indulgenza plenaria.

Chi farà le stesse cose nelle altre Feste del Signore, o della Beatissima Vergine, in ciascheduno di detti giorni conseguirà sette anni, ed altrettante quarantene d' Indulgenza; e facendo le medesime in qualunque Domenica, o in altre Feste dell' anno, guadagnerà cinque anni, ed altrettante quarantene; facendole in altro giorno dell' anno acquisterà cento giorni d' Indulgenza.

Chiunque in articolo di morte raccomanderà divotamente a Dio l' anima sua invocando il nome di GESU' colla bocca, o, non potendo, col cuore, essendo veramente pentito, e come sopra confessato, e comunicato, o, non potendo, contrito almeno, conseguirà la remissione di tutti i suoi peccati, e l' Indulgenza plenaria.

Chi farà qualunque sorta di orazione preparatoria innanzi di celebrare la Messa, o comunicarsi, o di recitar l' Offizio del Signore, o della Beata Vergine, conseguirà ogni volta cinquanta giorni d' Indulgenza.

Chi visiterà i carcerati, o gl' infermi degli Ospedali, ajutandoli con qualche opera pia, ovvero insegnerà la Dottrina Cristiana in Chiesa, o in casa ai proprj figliuoli, parenti, o servitori, ogni volta guadagnerà dugento giorni d' Indulgenza.

Chi sarà solito una volta almeno la settimana di dir la Corona, o il Rosario, o l' Uffizio della Madonna, o de' Morti, o i Vesperi, ed un Notturno almeno con le Laudi, o i sette Salmi Penitenziali colle Litanie, e sue preci, guadagnerà in quel giorno, che ciò dirà, cento giorni d'Indulgenza conceduta da S. Pio V.

Chi al suono della campana di qualche Chiesa la mattina, la sera, o al mezzo giorno reciterà le solite preci: *Angelus Domini etc.*, o, ciò non sapendo, un *Pater noster*, ed un' *Ave Maria*, o parimente, sonando il segno pe' Morti, dirà il Salmo: *De profundis*, o un *Pater noster*, ed un' *Ave Maria*, se non saprà questo Salmo, conseguirà cento giorni d' Indulgenza.

Chi nel giorno di Venerdì penserà divotamente alla passione, e morte di Gesù Cristo Signor nostro, e dirà tre volte il *Pater noster*, e l' *Ave Maria*, in quel giorno guadagnerà cento giorni d' Indulgenza.

Chi veramente pentito de' suoi peccati, con proposito fermo di emendarsene, farà l' esame della coscienza, e reciterà con divozione tre volte il *Pater noster*, e l'*Ave Maria*, ovvero in onore della Santissima Trinità similmente dirà tre volte il *Pater noster*, e l' *Ave Maria*, ovvero in memoria delle cinque Piaghe di *GESU' Cristo* cinque volte il *Pater noster*, e l'*Ave Maria*, guadagnerà cento giorni d'Indulgenza.

Chi pregherà divotamente pe' Fedeli, che sono in transito, o dirà un *Pater noster* almeno, ed un' *Ave Maria* per essi, conseguirà in quel dì cinquanta giorni d' Indulgenza.

Chiunque avrà un Crocifisso, Croce, o altra sacra Immagine benedetta in camera, o in altro luogo decente della casa, dove starà, e adempirà le cose sopraddette, facendo però le orazioni prescritte innanzi al detto Crocifisso, o Immagine, conseguirà respettivamente le medesime Indulgenze.

Tutte le Indulgenze dette di sopra può ciascuno guadagnare per se ne' giorni suddetti, o applicare per modo di suffragio alle anime del Purgatorio.

Sua Santità però non vuole, che le Immagini sieno di carta, ma di oro, o di altro metallo, e che le Immagini de' Santi sieno de' Canonizzati, o di altri Santi descritti nel Martirologio Romano.

Comanda Sua Santità, che nella distribuzione, ed uso di queste medaglie, corone ec. si osservi il *Decreto* della fel. mem. di Alessandro VII. stampato sotto li *6. Febbrajo 1657.*, cioè che le medaglie, corone ec. benedette con le sopraddette Indulgenze non passino la persona di quelli, a' quali saranno concedute, o a' quali da questi saranno distribuite per la prima volta, e che non possano prestarsi ad altri, o darsi precariamente; altrimenti perdano l' Indulgenza, che hanno; e che perdendosene una, non se ne possa sostituire in suo luogo un' altra, non ostante qualunque concessione, o privilegio in contrario.

XVIII.

INDULGENZE

Concedute a tutti i Fedeli nell'accompagnare il SSmo Viatico.

Martino V. (1), ed Eugenio IV. (2) a tutti i Fedeli, che accompagnano il Santissimo Viatico con lume acceso, quando si porta agl' infermi, concedono ogni volta dugento giorni d'Indulgenza, e cento a quelli, che l'accompagnano senza lume.

Paolo V. (3) concede a tutti i Fedeli, che accompagnano con lume, o senza il SSmo Sacramento, quando si porta per Viatico, o per altra cagione, cinque anni, e cinque quarantene; ed a quelli, che impediti dall' accompagnarlo, reciteranno un *Pater*, ed un'*Ave*, concede cento giorni d'Indulgenza.

Innocenzo XI. (4) a tutti i Fedeli, che divotamente accompagneranno il SSmo Sacramento, quando si porta agl' infermi per Viatico, pregando per la concordia de' Principi Cristiani, estirpazione delle eresie, ed esaltazione della santa Madre Chiesa, concede ogni volta sette anni, e sette quarantene, se lo accompagneranno col lume, e cinque anni, ed altrettante quarantene, se lo accompagneranno senza lume; dichiarando però, che queste Indulgenze non si concedono cumulativamente colle altre già prima concedute per questa opera pia, ma privativamente.

Innocenzo XII. (5) a tutti i Fedeli, che legittimamente impediti non potendo accompagnare il SSmo Sacramento, quando si porta agl' infermi, manderanno il lume, o fiaccola da portarsi da altri, e pregheranno, come sopra, concede ogni volta tre anni, ed altrettante quarantene d'Indulgenza.

X I X.

DECRETUM

Indulgentiae plenariae perpetuae

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI, ET PAULI

Pro universis Pontificiae Ditionis Cathedralibus Ecclesiis.

Cum universalis Ecclesia, sed Romana potissimum Patronos habeat apud Deum Beatissimos Apostolorum Principes Petrum, et Paulum, quorum orationibus ad obtinenda divina beneficia se adjuvari maxime confidit, et ipsorum solemnitas tertio

(1) *Constit.* Ineffabile 26. *Maii an.* 1429.
(2) *Constit.* Excellentissimum 26. *Maii an.* 3435.
(3) *Constit.* Quum certas 3. *Nov. an.* 1606.
(4) *Constit.* Injunctum 10. *Oct. an.* 1678.
(5) *Constit.* Debitum 5. *Januar. an.* 1696.

Kalendas Julii passioni eorum sacro quamquam speciali, et propria Urbis Romæ, ubi illorum glorificatus est exitus, exultatione celebretur; tamen etiam in aliis Ecclesiis præsertim Nostri, et hujus Apostolicæ Sedis Status propensiori devotione, et ampliori cultu peragi summopere decet. Itaque Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XIII. hæc provido, et pio animo suo reputans, ut eorumdem memoria, ac triumphus ferventius, et religiosius recolatur, universis utriusque sexus Christifidelibus in tota Pontificia ditione existentibus, qui vere pœnitentes, confessi, et sacra communione refecti propriæ Diœcesis Ecclesiam Cathedralem die martyrio Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli consecrata, a primis Vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, ibique pro sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, et Infidelium conversione piè oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem perpetuis futuris temporibus misericorditer in Domino concessit, atque indulsit. Datum Romæ die 28. mensis Aprilis currentis anni 1767.

N. Card. Antonellus Præfectus.

S. Borgia Sac. Congregationis Indulgentiarum Secr.

XX.

DECRETA

Sacrae Congregationis Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositae.

I. Sacra Congregatio Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita die 31. *Martii* 1759. fuit in voto confessionem Sacramentalem, quando hæc in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, nec non præfatam confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia Festivitatis; et Sanctitas Sua præfatum votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Die 19. *Maii* 1759.

§. 4. Ac præterea ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, et de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, et declaramus, quod omnes, et singuli Sacerdotes tam Sæculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis, et præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, sive antea, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio sanctæ Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, et Locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et Locorum universi orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, et Territoriis per has Nostras Literas, etiam privative quoad omnes alios specialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei juxta sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines, et decreta diligenter inquirant, et procedant; et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, et Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, et passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, et carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ Sæculari puniendos tradant.

§. 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus Nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo judicandi, et Curiæ Sæculari reum tradendum esse, pronunciandi.

§. 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis Literis prædictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis prædictis; quod si hoc officium prætermiserint, vel Pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, iidem Locorum Ordinarii, et Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§. 8. Volumus autem etc.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti MDCXXII., Pontificatus Nostri anno secundo.

XXVI.

INNOVANTUR

Pœnæ adversus Confessarios, qui Pœnitentes ad turpia sollicitant, cum præcepto hujusmodi denuntiandi, et reservatione absolutionis quoad calumniatores. Adimitur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Pœnitentiæ administrandi complicibus in peccato contra castitatem, cum pœnis etc.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Sacramentum Pœnitentiæ, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati omne studium, et Pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam Baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium, et quod in salutem, et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, exsecrabili scelestorum quorumdam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. 1. Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore Nostro per suas Literas in forma Brevium sub datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem *die* XXX. *Augusti* MDCXXII., Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos ad turpia, et inhonesta sollicitantes; et deinceps successivis temporibus ad earum Literarum interpretationem, ac declarationem plura subinde a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum sub *die* XI. *mensis Februarii*, anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta; et a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore Nostro in Congregatione Generali sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis *die* XXIV. *Septembris* MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, et Sanctorum Patrum doctrina alienas, et dissonas propositiones, sexta videlicet, et septima, huc revocandæ, damnatæ, et prohibitæ fuerunt. Nos

itaque mature perpendentes, quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino præsides, et judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, præfatas Literas hujusmodi, ac omnia, et singula Decreta prædicta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, et Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et Locorum universi orbis Christiani, in suis respective Diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, et procedant contra omnes, et singulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ mmediate subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum, et cujuscumque dignitatis, et præeminentiæ, aut quovis privilegio, et indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut postea legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint; et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis severe animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in præfata Constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, et dummodo præsumptiones, judicia, et alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint præterea omnes, et singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis prædictis personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, et Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, quum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ exsecrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito, præterquam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, et Successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

§. 4. Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis judicii, et sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum, et Ecclesiæ injuriam longe submovere, et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et, quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dæmonis potius, quam Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt; nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, et aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ac dignitatis, tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio, et indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, et Nostræ potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has Nostras adimere intendimus; et nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§. 5. Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur *Cruciatæ sanctæ*, aut alterius cujuslibet Indulti Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus Confessarius, ut pote qui in hujusmodi peccati, et Pœnitentis genere jurisdictione, ut præfertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, et approbato. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, præsertim quæ nuncupantur *Cruciatæ sanctæ*, vel Jubilæi universalis, et plenarii, nec non quibusvis Ecclesiarum, et Monaste-

riorum, et Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Constitutionibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et Decretis, etiam Motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis;quibus omnibus,eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter,et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentes, quam futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum, tam prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem hanc Nostram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, et accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, et pulsantibus eorum culpa cælum claudatur, ne deperditæ oves, ad ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi filii egentes, et saucii ad cælestem patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant etc. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno I.

X. Sub-Datarius. — Pro D. Card. Passioneo,
Visa de Curia N. *Antonellus.* — *Cajetanus Amatus.*
Loco ✠ Plumbi. — *J. B. Eugenius.*
Registrata in Secretaria Brevium.
Publicat. die XVII. ejusdem mensis, et anni.

XXVII.

DECLARATIO

Super Constitutione, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ* adversus Sollicitantes, anno MDCCXLI. edita.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et

assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

§. 1. Sane cum Nos alias per quamdam Nostram Constitutionem, cujus initium est: ***Sacramentum Pœnitentiæ***, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno primo editam, omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus interdixerimus, et prohibuerimus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, et facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et alias, prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse accepērimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis conjecturis, et opinionibus jactata in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur;

§. 2. Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine memoratam Constitutionem Nostram cum omnibus, et singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre penitus, et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari præcipimus, et mandamus. Præterea, habita super his cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo Prænestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato, Pœnitentiario Nostro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpenderunt deliberatione, Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est, in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, ita interdici reipsa, et prohiberi prædicto modo tunc audire, et absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere, ac absolutionem impertiri.

§. 3. Porro si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ, Confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi,

censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem Pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam Nostram Constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ Nostræ Constitutionis declaramus; et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, et præcipimus.

§. 4. Quod si idem Sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiæ, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte Pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint; (non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat;) nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, et huic Sanctæ Sedi reservatam incurrat, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in præfata Nostra Constitutione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur, ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Februarii MDCCXLV., Pontificatus Nostri anno quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

XXVIII.

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV.

Qua Confessarii vetantur exquirere a Pœnitentibus complicum nomina.

Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, et divina Jesu Christi omnium Pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, caritas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati Nostræ universi Dominici Gregis cu-

ra semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes Christiani orbis populos, ac nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus... pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnullos... Confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quamdam, et perniciosam praxim in audiendis Christifidelium Confessionibus, et in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento administrando invehere, atque introducere cœpisse, ut videlicet, si forte in Pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem Pœnitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent, atque ad illud revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; immo etiam complicis ejusdem ne dum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi, vel falsas, et erroneas sequendo, vel veras, et sanas male applicando, perniciem tam suis, quam Pœnitentium animabus consciscerent; ac sese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est; nec fieri potuit, quin ea de causa et oblocutiones, et scandala, et non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta sint... Nos autem ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico Nostro Ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Nostram apud Vos obscuram, aut ambiguam esse sinamus, notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per præsentes Nostras in forma Brevis Literas reprobari, atque damnari, tamquam scandalosam, et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, et necessario usu Fideles abalienantem. Ea propter, Venerabiles Fratres, quamquam de Pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus; supremi tamen officii quoque Nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram, ac mentis Nostræ aperta significatione, et Apostolicis insuper hortationibus Nostris intensius acuere, et excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, et efficacioribus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis; neque patiamini, traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque divinæ misericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas, dealbandasque in Sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea dum a zelo vestro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur vestræ pietatis, et observantiæ argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrima cælestium charismatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem etc.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die VII. mensis Julii MDCCXLV., Pontificatus Nostri anno quinto.

Extat alia Constitutio ejusdem Benedicti XIV., qua confirmantur Literæ : Suprema, *jam editæ, et statuuntur pœnæ tum adversus omnes, et singulos docentes licitam esse praxim exquirendi a Pænitentibus nomina sociorum, et complicum criminis, tum adversus Confessarios, qui in tribunali Pœnitentiæ interrogare præsumant de nomine socii, seu complicis, et Pœnitenti, si manifestare renuerit, Sacramentalem absolutionem denegare; et præfinitur ordo providendi in hujusmodi caussis. Incipit hæc Constitutio* : Ubi primum de perversa etc.

Extat in hanc rem tertia ejusdem Pontificis Constitutio, qua eædem Literæ : Suprema, *et* : Ubi primum *confirmantur, ampliantur, et extenduntur ad Urbem, et Orbem. Incipit hæc Constitutio* : Ad eradicandum pravum etc.

XXIX.

CANONES PŒNITENTIALES

Præcipui ex variis Conciliis, et Libris Pœnitentialibus collecti contra peccantes in præcepta Decalogi.

Contra Primum.

Qui auguriis, et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos septem.

Qui cum Judæo cibum sumpserit, pœnitens erit dies decem, pane, et aqua victitans.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Contra Secundum.

Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane, et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et numquam sit sine pœnitentia, et numquam in testimonium recipiatur, et post hæc communionem percipiat.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die sine pallio, et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis in pane, et aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus: singulis item septem illis diebus Dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest, alioquin alia pœnitentia afficiatur.

Contra Tertium.

Qui opus aliquod servile die Dominico, Festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane, et aqua.

Si quis ante Ecclesias, vel die Festo saltationes, (quas *ballationes* vocant,) fecerit, emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus. *In græco codice*: Clericus deponatur, Laicus excommunicetur.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane, et aqua.

Si quis jejunia a sancta Ecclesia indicta violarit, pœnitentiam aget dies viginti in pane, et aqua.

In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Paschate non communicet, et præterea a carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Contra Quartum.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos; qui percusserit, annos septem pœnitentiam aget.

Si quis contra Episcopum Pastorem, et Patrem suum insurrexerit, uno in loco, Monasteriove pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ. Addit Gratianus, ut in primis omnia bona ejus proscriptione publicentur, deinde in uno Monasterio etc.

Eadem pœnitentia afficiatur, qui contra Presbyterum.

Si quis in eo conspiraverit, ut Episcopi doctrinam, vel præcepta irrideat, vel subsannet, aget in pane, et aqua dies quadraginta pœnitentiam.

Si quis item Presbyteri, Parochive sui præcepta irriserit, pœnitens item erit dies quadraginta in pane, et aqua.

Contra Quintum.

Si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane, et aqua.

Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agant annos tres.

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiat.

Si quis hominem necare voluerit, atque hoc scelus patrare potuerit, ut homicida pœnitentia afficietur.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane, et aqua: Clericus unius anni, et mensium sex.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane, et aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

Qui nolens filium oppresserit, si post Baptismum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, aqua, oleribus, ac leguminibus. Abstinebit ab uxore dies totidem, deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias; tres præterea quadragesimas in anno observabit. Si ante Baptismum, quadraginta dies, ut supra, et quinquennii præterea pœnitentiam explebit.

Si quis explendæ causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere, homicida teneatur.

Contra Sextum.

Si Laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres: et quanto sæpius, tanto majori pœnitentia afficietur.

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali, ille quinquennali.

Qui incestum fecerit, ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem constituunt pœnitentiam.

Qui cum brutis coiverit, pœnitentia afficietur annorum decem, et diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui complexu fœminæ, vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta; qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec vero peccare voluit, pœnitentiam aget dies viginti. Si vero impugnatione tentationis, et cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur annorum trium.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, et aqua, et septem præterea annos, e quibus unum in pane item, et aqua.

Si quis conjugem fornicari consenserit, diebus omnibus vitæ in pœnitentia erit, arbitrio Sacerdotis periti.

Vir solutus si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, mulier quinque.

Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos quinque.

Maritus si ancilla concubina utitur, pœnitentiam aget unum annum, quadragesimas tres, et legitimas ferias tribus mensibus. Illa si invita violatur, quadraginta dies; si consentiens, quadragesimas tres, et legitimas ferias.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam aget annum unum.

Quicumque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, et perpetuam pœnitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni munere suæ functionis mulctatus, pœnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim; deinde in Monasterium abiens, toto vitæ tempore ibi Deo serviet: fœmina autem res suas in eleemosinam pauperibus conferet, in Monasterioque Deo serviet omnibus vitæ suæ diebus.

Qui Monialem violaverit, pœnitens sit annis decem.

Presbyter si fornicationem admiserit, sponte confessus, pœnitentiam aget annos decem hoc modo. Tribus mensibus a ceteris remotus pane, et aqua jejunabit; diebus autem Festis modico vino, pisciculis, et legumine utetur, sacco indutus humi cubabit, diu, noctuque misericordiam Dei implorans. Deinde unum annum, et sex menses in pœnitentia, jejunioque panis, et aquæ explebit, præter Festos dies, in quibus vino, et sagimine, caseo, ovisque canonice uti poterit. Finito primo anno, et dimidio, sacræ Communionis particeps fiet, psalmos in choro ultimus canet, officia minora geret. Postea vero quam septimum pœnitentiæ annum expleverit, omni quidem tempore, præter Paschales dies, singulis hebdoma-

dis per legitimas ferias in pane, et aqua jejunabit. Expleto septennio, usque ad finem decimi anni sextam feriam in pane, et aqua jejunabit.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentia afficietur duorum annorum. Vir se inquinans, primo dies decem; si iterum dies viginti; si tertio dies triginta; sique nefarie agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta; si major quindecim annis, dies centum.

Quicumque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias.

Qui hoc facinus admiserit, sacram Communionem non accipiet, nisi in fine.

Contra Septimum.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, et pœnitentiam aget dies viginti in pane, et aqua.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro, quod sustulit, reddet, et tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Qui de oblationibus, quæ Ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane, et aqua.

Qui hospitalis domus Administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet, quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Clericus furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explebit, Laicus quinquennii, et quod furatus est, reddat.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, pœnitentiam aget annum unum.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicumque illas exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane, et aqua.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit, idcirco tamquam de furto pœnitentiam aget.

Contra Octavum.

Qui proximo falsum crimen objicit, pœnitentia afficitur, ut falsus testis.

Si quis contra proximum lingua lascivus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem in pane, et aqua.

Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, et mensuris admiserit, pœnitens erit in pane, et aqua dies viginti.

Falsarius pœnitentiam agat in pane, et aqua, quamdiu vivit.

Si quis murmuraverit, judicio Sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Contra Nonum.

Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pœnitens erit annis tribus. Qui aliena furari concupiscit, furtum est; qui item aliena rapere cupit, rapina est; qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est; ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

Contra Decimum.

Si quis concupiscit fornicari, si Presbyter, pœnitens erit annos quinque; si Diaconus, vel Monachus, tres, e quibus unum in pane, et aqua; si Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si Clericus, aut Laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen effuderit, pœnitens erit dies septem.

DECLARATIO

Circa nonnulla ad prædictos Canones spectantia.

Quando in pœnitentia exprimebatur numerus determinatus dierum viginti, triginta, carina, seu carena, idest quadraginta, vel una sola quadragesima, jejunium illorum dierum fieri debebat in pane, et aqua.

Quando in pœnitentia exprimebantur tres quadragesimæ, nempe una ante Pascha Resurrectionis, altera ante diem Nativitatis Domini, tertia ante diem Nativitatis S. Joannis Baptistæ, tunc jejunium fieri debebat in pane, et aqua in feria secunda, quarta, et sexta, quæ dicebantur feriæ legitimæ; quando vero pœnitentia extendebatur ad unum, vel plures annos, tunc primo anno jejunium fieri debebat in pane, et aqua per omnes ferias legitimas, idest secunda, quarta, et sexta, ut supra dictum est; insuper in feria tertia, quinta, et Sabbato non poterat quis comedere, nisi pisciculos, fructus, olera, et legumina, neque poterat vinum bibere, sed solam cervisiam, exceptis diebus Dominicis, et quibusdam solemnioribus Festis, in quibus poterat vesci carnibus, et bibere vinum, sicut ceteri. Qui pœnitentia mulctatus fuerat, secundo anno debebat jejunare in pane, et aqua sextis feriis; et secunda, et quarta feria debebat jejunare comedendo fructus, olera, et legumina, et bibendo cervisiam; insuper trium quadragesimarum, ut supra, jejunium observare; ceteris annis solas tres quadragesimas servare.

XXX.

REQUISITI

Da esibirsi nella Cancelleria Vescovile da ognuno degli Ordinandi.

Per la prima Tonsura.

Le Fedi del Battesimo, Cresima, Matrimonio de' genitori, di non essere stato inquisito nel Tribunale laico, della vita, e de' costumi, della Scuola, e profitto in essa.

Per gli Ordini minori.

Le Lettere testimoniali della prima Tonsura, o dell'ultimo Ordine minore ricevuto, e le Fedi di non essere inquisito, della vita, e de' costumi, della frequenza de' santi Sacramenti, dell'assistenza alle sacre Funzioni, della frequenza

alla Dottrina Cristiana, della Scuola, e profitto in essa. Pe' Cherici di Palestrina anche la Fede di essere intervenuto al Ritiro, che in ogni mese si dà nel Ven. Seminario.

Per gli Ordini sacri.

Le Lettere testimoniali dell'ultimo Ordine ricevuto, e le Fedi del Battesimo, della vita, e de' costumi, di non essere inquisito, della frequenza alle Conferenze de' Casi morali, dell'esercizio dell'Ordine, della Scuola, e profitto in essa, del pacifico possesso de' beni del Beneficio, o Patrimonio, che deve essere costituito in titolo nell' ordinarsi Suddiacono, e finalmente la Fede degli Esercizj spirituali fatti per lo spazio di dieci giorni nella Casa della Missione in Roma. Per gli Ordinandi di Palestrina anche la Fede di essere intervenuto con frequenza al Ritiro, che in ogni mese si fa nel Ven. Seminario.

XXXI.

ISTRUZIONE

Sopra la Congregazione annuale de' Vicarii Foranei

Prescritta nel Sinodo Part. IV. Cap. IV. N. VII.

ALESSANDRO della S.R.C. Cardinal MATTEI, per la misericordia di Dio Vescovo di Palestrina, ed Amministratore della Chiesa di Ferrara.

Il fine, e lo scopo della Congregazione de' Vicarii Foranei, che nel Sinodo abbiamo stabilito di tenere ogni anno, e che terremo di fatti, superando ogni ostacolo, finchè piacerà all'Altissimo di tenerci al governo di questa Chiesa, egli è di prendere in considerazione lo stato della Nostra Diocesi, avvertirne i disordini, e gli abusi, che v' insorgono, apporvi gli opportuni ripari, e rimedj, proporre i mezzi più acconci, e pratici per ampliare il divin culto, per sostenere, ed accrescere la pietà de' Fedeli, e per fomentare la edificazione de' prossimi. Questa Congregazione sarà in luogo del Sinodo, che non può tenersi ogni anno, e però si denominerà Congregazione Pro-Sinodale diretta all' osservanza delle leggi Sinodali.

Affinchè poi il tutto proceda con ordine, e metodo, e traggasi da tale istituzione quel frutto, che Noi speriamo grandissimo, verremo quì partitamente divisando quali persone debbano intervenire alla detta Congregazione, il tempo da tenersi, che cosa far debbasi prima di essa sì da' Vicarii Foranei, come da' Parochi, ed in qual modo in essa contenersi.

Questa Congregazione terrassi ogni anno, in cui non possiamo tener Sinodo, nel giorno dell'ottava del nostro inclito Protettore S. Agapito, giorno annuale del Sinodo, nella Sala del nostro Seminario. Vi interverranno con Noi il nostro Vicario Generale, il nostro Visitatore, due Deputati della Dottrina Cristiana, e due altri da eleggersi da Noi, uno in qualità di Segretario, e l'altro di Teologo, ed i tre Curati della Città, e ciaschedun Vicario Foraneo de' respettivi Paesi della Diocesi. Ci riserbiamo eziandio di convocare altri, se a Noi sembrerà opportuno, per ottenere quel bene, che ci ripromettiamo da questa Ecclesiastica unione.

Nella Conferenza de' Casi del mese di Luglio dopo partiti li semplici Cherici, e chi non è Sacerdote, s'interpellino dai Vicarii Foranei i Parochi, ed i Sacerdoti, se abbiano cosa alcuna da suggerire, per porre riparo ai vizii, e ai disordini più gravi, e frequenti nel popolo, co' mezzi, o provvedimenti più aeconci, e pratici, che secondo la prudenza giudichi ognuno di apporvi. Il Vicario Foraneo per altro interroghi a parte, e in altro tempo i Parochi, come i più atti a conoscere i disordini, e a suggerirvi i rimedj opportuni; e specialmente si veda, se le leggi Sinodali sieno, o no in osservanza. Di tutto faccia egli una nota, e memoria per tenerne discorso in Congregazione.

Ad effetto poi, che tutto proceda con ordine, e quiete, richiediamo da' Vicarii Foranei, e da ciaschedun Paroco, che un mese prima della Congregazione dirigano a Noi la relazione sopra i punti, che qui sotto saranno notati, sicuri di essere tenuti segreti, ed un'altra pure ce ne invieranno i Testimonj segreti Sinodali. Tutti facciano in guisa, che tali relazioni ci giungano in tempo da esaminare a bell'agio quanto ci verrà proposto, riserbandoci di commettere al Segretario ciò, che crederemo doversi discutere nella Congregazione.

Per la Città si aduneranno i Parochi avanti il Nostro Vicario Generale, e gli esporranno ciò, che crederanno aver bisogno di rimedio; e lo stesso si riserberanno di fare alla Nostra venuta in Palestrina, notando tutto in iscritto, per averne conto nella Congregazione.

Si proporranno le materie da discutersi dal Segretario, senza nominare le persone, col risultato dalle relazioni antecedentemente spedite, e quanto siasi creduto opportuno di portarsi alla disamina della Congregazione; (giacchè non ogni punto è da dedursi in pubblico,) e quanto potrà rilevarsi dalle particolari notizie a Noi comunicate. Si terrà un libro dal Segretario, in cui sarà sua cura di tenere registro delle determinazioni prese; e le relazioni originali, o tutto ciò, che spetta alle materie a Noi da' Vicarj Foranei, o Parochi comunicate, saranno da Noi segretamente custodite.

Tutti i Vicarii Foranei procureranno di essere in Città il giorno 23., o al più la mattina del giorno 24. di Agosto, nel qual giorno intero Noi saremo disposti a ricevere, ed ascoltare i detti Vicarii Foranei per ciò, che essi avessero da comunicarci privatamente. Non dubitiamo, che ciascuno non voglia darci la soddisfazione, e l'opportunità di vederlo, e di parlargli a parte; che se alcuno fosse attualmente, e realmente impedito, ce ne farà nota la causa, e ragione di tale impedimento, che riconosciuta giusta, e ragionevole, sarà da Noi dispensato; poichè è Nostra assoluta intenzione, e volontà, che niuno manchi senza Nostra licenza, ed approvazione. In tal caso per altro il Vicario dispensato trasmetterà i fogli di osservazioni a norma dell'Istruzione, che qui sotto si noterà.

La mattina del giorno 25. Festa di S.Bartolommeo Apostolo, ed ottava del nostro Protettore S.Agapito, quattro ore prima del mezzo giorno tutti quelli, che debbono intervenire alla Sessione, si aduneranno nella Chiesa Cattedrale, e celebratasi quivi da Noi la santa Messa, ma privata, ed intonato l'Inno: *Veni Creator Spiritus*, si andrà di là processionalmente nella Sala del Seminario; ed in tal giorno in tutte le Messe sì in Città, che in Diocesi si aggiungerà la colletta dello Spirito Santo.

In detta Sala, compiuta la invocazione dello Spirito Santo, si farà da Noi un breve discorso su l'oggetto della Sessione, o su qualche materia Ecclesiastica, e poi si proporranno dal Segretario le materie da discutersi. Si farà sopra di ognu-

ra di esse una sufficiente discussione. Sarà ad ognuno permesso di dire ciò, che ad esso sembrerà nel Signore con vero spirito di carità, e di zelo, e con tutta la gravità, e decenza degna del sacro carattere, di cui ciascuno è insignito, e dovuta all' importante loro rappresentanza. Dopo tutto ciò il Segretario minuterà le memorie ad oggetto di prendere le opportune risoluzioni. Finalmente rendute le grazie al Signore si scioglierà la Congregazione.

RELAZIONE ANNUA

De' Vicarii Foranei, e Testimonii Sinodali.

I. Se cominci a correre cattivo rumore di qualche Cherico, o Sacerdote, massime se sia Paroco, o Confessore.

II. Se alcun Sacerdote, o Cherico abiti con donne, e se con affini, o congiunte, in che grado, di quale età, e di qual fama (1).

III. Se un qualche Paroco, o Confessore frequenti le case delle proprie Penitenti, e sia spesso in colloquii, e conferenze con esse fuori di Confessionale.

IV. Se un qualche Paroco manchi alle leggi Canoniche, e Sinodali della residenza (2).

V. Se egli si sottragga spesso dalla personale amministrazione de' Sacramenti, dalla visita, ed assistenza degl' infermi (3); ovvero se nella amministrazione de' Sacramenti, ne' Funerali, e nelle sacre Funzioni trascuri l'ordine, e la gravità de' sacri Riti.

VI. Se con facilità prenda motivo, o pretesto di lasciare il sermone Parrocchiale ne' giorni prescritti; se sia solito di farlo sempre alla stessa ora; se lo faccia con sodezza, gravità, dottrina, facilità di parlare, come prescrive il sacro Concilio di Trento, senza frammischiarvi cose meno convenienti alla riverenza, e santità della parola di Dio (4).

VII. Se non provvegga sufficientemente alla necessaria istruzione de' Fanciulli, e degli adulti quanto alla Dottrina Cristiana (5).

VIII. Se ometta di annunziare le Feste, e le Vigilie, che cadono nella settimana, e di pubblicare a' tempi debiti i Nostri Editti.

IX. Se non abbia, secondo l' ordine da Noi prescritto nel Nostro Sinodo, o non tenga ben custoditi i cinque Libri Parrocchiali, quello cioè de' Battezzati, de' Cresimati, de' Matrimonii, dello Stato delle anime, e de' Morti; come altresì se non tenga, o non conservi, come abbiamo prescritto nella Visita, e nel Sinodo, l'Archivio Parrocchiale (6).

X. Se non adempia i Legati pii, gli Anniversarii, gli obblighi di Messe ne' tempi, e nelle forme prescritte da' Testatori, o dagli offerenti, o dal Nostro Sinodo; come pure se accetti Legati, Messe perpetue senza Nostra licenza.

XI. Se trascuri di riparare le fabbriche della Chiesa, del Beneficio, o di altri Luoghi pii, di cui egli ne abbia la libera, o cumulativa amministrazione; o se vi faccia taglio di alberi, o un qualche pregiudizio.

(1) *Synod. part. 4. cap. 1. num. 6.*
(2) *Ibid. cap. 5. n. 29.*
(3) *Ibid. n. 18.*
(4) *Ibid. n. 15.*
(5) *Ibid. part. 1. cap. 6. per tot.*
(6) *Ibid. part. 2. cap. 2. n. 13. cap. 3. n. 13. cap. 10. n. 23. et part. 4. cap. 5. n. 9. et 10.*

XII. Se impieghi denari di questue, o di altra provenienza dati alla Chiesa contro la mente di quelli, che fanno limosina.

XIII. Se differisca a dar sepoltura ai cadaveri per avere i suoi emolumenti, o usi pegni, depositi, o simili cose per ottenergli; ovvero se per lo contrario non aspetti le 24. ore per seppellire i cadaveri (1).

XIV. Se tralasci di mandare le limosine per Terra santa a chi è destinato in Città, giusta il prescritto del Sommo Pontefice Pio VI.

XV. Se vi sia qualche Sacerdote, o Cherico di Ordini minori, o maggiori, Beneficiato, o non Beneficiato, il quale non vada in abito, e Tonsura decente, e non serva alla propria Chiesa, o meni vita non conveniente ad un Ecclesiastico, attenda a' negozj, alla mercatura, o conversi con persone di cattivo nome, o beva con immoderanza, o porti armi, e frequenti il giuoco, la caccia contro gli statuti del Sinodo (2).

XVI. Se qualcuno di quelli, che sono obbligati ad intervenire alle Conferenze de' Casi morali, manchi spesso, e senza legittima causa (3).

XVII. Se siavi nel Paese qualche pubblico scandalo, o si introduca una qualche novità capace d' introdurre corruttela in materia di fede, o di costumi.

XVIII. Se alcun Nostro Ministro, o del Nostro Tribunale eserciti il suo impiego, carica, officio con negligenza, passione, o interesse; se affetti protezione, ed abusi a proprio vantaggio della sua rappresentanza.

Il Vicario Foraneo nella sua relazione noterà i suddetti numeri in una carta coll'ordine indicato; e dove nulla avrà che notare, scriverà, e. g.: *Ad I. Nihil*; dove poi vi è da notare, scriverà ciò, che *in Domino* crederà opportuno di significare al Superiore, sicuro di esser tenuto segreto nella Congregazione. Nel modo stesso dovranno regolarsi i Parochi nella loro annua relazione, come segue.

RELAZIONE ANNUA

De' Parochi.

I. Quanti Cherici abbia nella Parrocchia, quanti Sacerdoti, e di questi quanti sieno approvati per le Confessioni. Noti nel tempo stesso degli uni, e degli altri il nome, cognome, età, studii, e le abituali occupazioni; e non essendo Sacerdote, se frequenti i Sacramenti. E se qualche Cherico, o Sacerdote soglia frequentemente andare nella sua Parrocchia, di questo anche ne riferisca il contegno, e la vita, che vi conduce.

II. Se siavi alcun Capo di famiglia, il quale trascuri di mandare i proprii figli, o dipendenti, o famigli alla Dottrina Cristiana a norma del Nostro Editto sopra tal punto.

